BOTTARIUS, G. G.

MUSEI CAPITOLINI

TOMUS TERTIUS

CONTINENS

DEORUM SIMULACRA

ALIAQUE SIGNA

CVM ANIMADVERSIONIBVS.



ROMAE MDCCLV.

EX TYPOGRAPHIA JOH. MARIAE SALVIONI.

TYPOGRAPHI VATICANI

SVPERIORVM PERMISSV.

WELLCOME HISTORICAL MEDICAL LIBRARY

HENRICO

TIT. S. EUSEBII CARDINALI

HENRIQUEZ

AEMILIAE LEGATO

IN BONIS LITTERIS

OMNIBUSQUE DISCIPLINIS

EXCULTO

DIVINAE POTISSIMUM SAPIENTIAE

ADDICTISSIMO

IN MOLESTISSIMIS ARDUISQUE NEGOTIIS

EXPLICANDIS SOLLERTISSIMO

ET IN APOCRISARII MUNERE OBEUNDO

APUD HISPANIARUM REGES

PHLIPP. V. ET FERDIN. VI.

PRUDENTIS LAUDEM

PROMERITO

ANTIQUAE PROBITATIS

EXEMPLARI

TERTIUM MUSEI CAPITOLINI

VOLUMEN

JOHANNES BOTTARIUS

D. D.

INDEX TABULARUM

I.	OCEANUS.	XXX.	BACCHUS.
II.	JUPITER.	XXXI.	FAUNUS.
III.	JUPITER.	XXXII.	FAUNUS.
IV.	JUPITER.	XXXIII.	FAUNUS.
V.	JUNO.	XXXIV.	FAUNUS.
VI.	JUNO.	XXXV.	SATYRUS.
VII.	JUNO.	XXXVI.	BACCHA.
VIII.	JUNO.	XXXVII.	BACCHA.
IX.	JUNO.	XXXVIII.	MUSA.
X.	MINERVA.	XXXIX.	MUSA.
XI.	MINERVA.	XXXX.	GENIUS TRAGICUS
XII.	MINERVA.	XXXXI.	LEDA.
XIII.	APOLLO.	XXXXII.	DUO FILII NIOBES.
XIV.	APOLLO.	XXXXIII.	PUDICITIA.
XV.	APOLLO.	XXXXIV.	PUDICITIA.
XVI.	DIANA.	XXXXV.	FLORA.
XVII.	DIANA.	XXXXVI.	AMAZON.
XVIII.	DIANA.	XXXXVII.	ALEXANDER MAGNUS.
XIX.	VENUS.	XXXXVIII.	PYRRHUS REX.
XX.	VENUS.	XXXXIX.	PTOLEMAEUS REX.
XXI.	MARS.	L.	MARIUS.
XXII.	AMOR ET PSYCHE.	LI.	OCTAVIANUS AUGUSTUS.
XXIII.	PSYCHE.	LII.	AUGUSTUS IDEM.
XXIV.	AMOR.	LIII.	AGRIPPINA GERMANICI.
XXV.	HERCULES INFANS.	LIV.	JULIA TITI.
XXVI.	HERCULES AVENTINUS.	LV.	HADRIANUS.
XXVII.	HERCULES LERNAEUS.	LVI.	ANTINOUS.
XXVIII.	AESCULAPIUS.	LVII.	ANTINOUS.
XXIX.	HYGIA.	LVIII.	MARCUS AURELIUS.

LIX. PHILO-

LIX. PHILOSOPHUS.
LX. VENATOR.
LXI. PANCRATIASTE.
LXII. PRAEFICA.
LXIII. PUER CUM COLUMBA LUDENS.
LXIV. PUER CUM ANSERE.
LXV. BATHYLLUS AUG. LIBERTUS.
LXVI. MATRONA ACCUMBENS.
LXVII. GLADIATOR.
LXVIII. GLADIATOR.
LXIX. GLADIATOR.
LXX.
LXXI.
LXXII. TRIUM MULIERUM PROTOMAE
LXXIII. ISIS.
LXXIV. HARPOCRATES.
LXXV. SIMULACRUM AEGYPTIUM.
LXXVI. ISIS.
LXXVII. ISIS.
LXXVIII. ISIS.
LXXIX. ISIS.
LXXX. ISIS.
LXXXI. ISIS.
LXXXII. CANOPUS.
LXXXIII. HERMA ISIDIS, ET APIS.
LXXXIV. ISIS.
LXXXV. ANUBIS.
LXXXVI. DEUS AVERRUNCUS.
LXXXVII. SACERDOS AEGYPTIUS.
LXXXVIII. SACERDOS AEGYPTIUS.
LXXXIX. SACERDOS AEGYPTIUS.
XC. FICTILE ANAGLYPHUM.
XCI. LEO.

LECTO-

LECTORI HUMANISSIMO.

SUmmopere optaſſem tertium hoc Muſei Capitolini volumen in lucem emittere, omni prorſus præfatione deſtitutum, tum quod ſatis ſuperque erant, quæ in fronte priorum voluminum præfati eramus, tum quod jam diu omnes, qui prius non ſine cauſa præfationes hujuſmodi cupide avebant, nunc non ſine ratione ab iiſdem omnino abhorrent. Verum me abſtinere nequeo, quin criminationem quamdam nonnullorum hominum reijciam, qua antiquarios inſimulare non deſinunt. Vellent enim hi moroſi cenſores, eos, qui ad enarranda, quæ nobis ſuperſunt veteris temporis monumenta, aggrediuntur, certas, tutas, evidentes, lucidaſque adferre rationes, & illas more ferme geometrico comprobare. Hac autem eorum cenſura, qua ſibi maximi viri ac ſapientia præditi videntur, faciunt, *ut ait Comicus* (1), næ intelligendo ut nihil intelligant. *Nam ignorant, non omnes diſciplinas eadem ratione eſſe pertractandas, quia ab earum natura hoc omnino abhorret. Qui enim antiqua fragmina enarrare ſuſcipiunt, quæ de ipſis excogitarunt acute, quæque in ipſis gnaviter animadverterunt, in medium proponunt, conjecturiſque omnia firmant, iiſque perſuadere, non cogere profitentur; nec quibus verbi gratia, de inſcriptionibus, de anaglyphis marmoribus, toreumatis, idque genus aliis coniiciunt, temere contendunt, ut omnes aſſentiamur. Hi vero ſapientes, ſi diis placet, cenſores intelligere deberent, melius eſſe in rebus obſcuris nonnihil conjecturali arti indulgere, quam rem ſilentio conficere. Si enim primam inſiſtamus viam, magnis fortaſſe ingeniis, & acrioribus præibimus, ut veriorem interpretationem nanciſcantur. In eandem ſententiam loquitur Laurentius Pignoria* (2) *Muſarum ocellus, & omnis eruditionis promus his verbis*: Interpretationem proximæ iconis, cogitavi ſæpe ſæpius, an attingere expediret, tantam inquirendi difficultatem obtrudere viſa eſt; & denique conſultius viſum fuit, dicere aliquid, ut quæſtionis ambagibus expoſitis, doctiores ad hæc diſquirenda provocarem; qua in re lectorem monitum volo, me CONJECTURIS, quando alia non ſuppetunt, INDULSISSE, cum modo tamen, & voto corrigendi, ſi quid minus vere dictum inciderit.

Quamobrem ſi in plura offenderint nonnulli difficiles, & faſtidioſi, quæ eorum palato non ſapiant, eas noſtris apponant animadverſiones, quæ magis illis arrideant. Nos minime vetamus, immo lubentiſſimo animo gaudemus ac vitulamur, ut cum Plauto loquar. Nos quoque unum, atque idem ſentimus, quod exploratum erat celeberrimo apud Antiquos Apollonio Thianæo, qui Arcadibus quibuſdam, de ſymbolis ſimulacro Milonis appoſitis nugantibus, ita faſſus eſt: Σοφῶς μὲν ἐπινενόηται ταῦτα, σοφώτερα δὲ εἶναι τὰ ἀληθέστερα.

Sed

---

(1) Terent. Andr. prol.

(2) Pign. Menſ. Iſiac. pag. 49.

Sed hæc SAPIENTER profecto ſunt excogitata. Ego tamen SAPIENTIORA eſſe cenſeo, quæ ſunt VERIORA. *Si autem hæc omnia repudiant, taciti demirentur harum ſtatuarum graphides adeo excellenter delineatas, tantaque præſtantia ære inciſas, ut nihil ſupra. Verum, quæ ex noſtro penu proferimus, ea ferme omnia firmare conamur doctorum hominum auctoritate, qui in republica litteraria coriphæi exiſtimantur. Quapropter ſi noſtras reiicere volunt conjecturas, ſaltem ne faſtidiant cogitata eorum, qui ſola auctoritate nos frangere poſſunt; ac in præclaram Plinii Senioris ſententiam eant, quam his verbis expreſſit* (1): Quapropter quæſo, ne hæc legentes, quoniam ex his ſpernunt multa, etiam relata faſtidio damnent.

OCEA-

(1) Plin. Hiſtor. libr. XI. cap. 2.



Gio. Dom. Campiglia inv. e disegn. *P. Ant. Pazzi incis.*

OCEANUS

TABULA I.

CEANUM non ſolum Deorum omnium, ſed ceterarum quoque rerum, quibus univerſus Orbis componitur, patrem, & originem eſſe communis vetuſtiores inter, ac celebriores tum poëtas, tum philoſophos opinio fuit. Colligitur id potiſſimum ex Homero (1), qui Junonem Veneri ita loquentem inducit:

Εἰμὶ γὰρ ὀψομένη πολυφόρβου πείρατα γαίης,
Ὠκεανόν τε θεῶν γένεσιν, καὶ μητέρα Τηθύν:

quod ita vertitur:

Vado enim viſura fines terræ multos nutrientis,
Et Oceanum deorum genitorem, & matrem Tethin.

Et inferius, (2) quando Junoni Somnus ita reſpondet:

Ῥεῖα κατευνήσαιμι, καὶ ἂν ποταμοῖο ῥέεθρα
Ὠκεανοῦ ὅσπερ γένεσις πάντεσσι τέτυκται.
Facile ſopiverim etiam torrentis fluenta
Oceani, qui quidem parens omnibus eſt.

Denique Phurnutus (3) ait: Ὠκεανὸν ἔφασαν ἀρχηγὸν εἶναι πάντων. *Oceanum dixerunt auctorem eſſe omnium.*

Quapropter ab hoc pulcherrimo ſigno, quo ipſe Oceanus repræſentari vulgo creditur, hujus Muſei Capitolini voluminis explicationem exorſi ſumus.

Idem jacens exprimitur, quemadmodum flumina omnia delinean-

(1) Homer. Iliad. libr. 14. v. 200.
(2) Idem ibid. v. 245.
(3) Phurnutus De nat. deor. cap. 8.

neantur (1) teſte Philoſtrato, ac velut in hanc rem luculenter ſcribit Ælianus (2): Οἱ τιμῶντες αὐτοὺς (ſcilicet fluvios) καὶ τὰ ἀγάλματα αὐτῶν ἐργαζόμενοι οἱ μὲν ἀνθρωπομόρφους αὐτοὺς τοὺς ἱδρύσαντο οἱ δὲ βοῶν εἶδος αὐτοῖς περιέθηκαν. *Qui colunt eos* (fluvios) *& imagines eorum fabricantur, partim humana forma eos conſecrantur, partim boum figuram affinxerunt.* Oceani vero alia pariter conſpicitur ſtatua in ædibus Farneſianis, quæ antea in hortis Cæſarinis aſſervebatur, eodem ferme corporis ſtatu, ut videre eſt in ejus ære inciſa delineatione. Hoc item teſtantur bina ejuſdem Oceani diagrammata ab eruditiſſimo (3) Begero relata; in gemma primum, alterum in lucerna, denique duo gemmæ Muſei (4) Florentini ſumma eruditionis copia illuſtrati a clariſs. Gorio, qui aliam gemmam pariter in ipſo opere exhibet, ubi viſuntur inciſi (5) horti Oceani, de quibus meminit Ariſtophanes (6).

Simulacrum hoc vultum habet ſenis meditantis adeo ut gravia minari, vel moliri videatur. Ex oris forma Neptunum crederes, cum illam præferat majeſtatem, quæ in imaginibus Jovis elucet, & quam veteres pictores, & ſculptores Neptuno etiam, & Plutoni tribuere, ut ex ſolo vultu Jovem, Neptunum, & Plutonem fratres fuiſſe conſtaret. Raphaël Urbinas, qui inter ceteras præſtantes dotes hanc quoque habuit præcipuam, ut antiquorum ſemper adhæreret formis, exiſtimavit hanc ſimilitudinem retinendam in pingendis his tribus fratribus in cœna deorum, quæ in ædicula Farneſiana in Lungariæ regione cum admiratione conſpicitur, ubi primo intuitu fratres eſſe agnoſcuntur. Sed ut ad noſtræ ſtatuæ deſcriptionem revertamur, habet illa capillos promiſſos, ſpiſſos, incomptos, lata ligatos vitta in ſpiram revoluta, veluti diadema, præterquamquod diadema erat vel vitta, vel faſcia panni plana, & extenſa; quare hæc vitta illud potius ligamen eſt, quod a nonnullis auctoribus ſtroppus appellatur, de quo alibi (7), quantum ſatis erat, ſermonem habuimus. Barba in pectus promittitur. Pannus, qui ei ex humero ſiniſtro decidit, a numine colligitur, & ſiniſtra manu ſuſtinetur. Dorſus nudus omnino eſt. Pars ejuſdem panni dimidium uſque dextri cruris pertingit, vixque ſiniſtri pedis particulam conſpiciendam ſinit. Dextrum brachium prorſus nudum eſt, & conchylium manu tenet. Hujus operis elegantia ex eo intelligi etiam poteſt, quod eo numero habitum ſemper fuerit, quo ſunt pulchræ, non tamen excellentiores Græcæ ſculpturæ reliquiæ; ſiquidem cum ea ſit magnitudine, ut naturæ modum excedat, & potius in coloſſum propendeat, Græci artifices in hujuſmodi ſignis non perfectam illam abſolutamque operis exhibebant formam, quam in illis admiramur, quæ juſtam ſtaturam non excedunt. Attamen in plurimis ære inciſo-

(1) Philoſtr. Imag. num. 8. pag. 873. edit. Olearii.
(2) Æl. Var. hiſt. libr. 2. cap. 33.
(3) Beg. Theſ. Brandemb. tom. 1. pag. 75. & tom. 3. pag. 440.
(4) Muſ. Florent. tom. 2. tab. 47. num. 4. & 5.
(5) Ibid. tom. 2. tab. 51.
(6) Ariſtoph. in Nubib. act. 1. ſc. 3. v. 53.
(7) Muſ. Capitol. tab. 88.

ciſorum typorum collectionibus, qui ex veteribus Romæ ſtatuis deprompti ſunt, hæc ſi non principem, ſuum tamen ſemper obtinuit locum. Vidi ego quinque inter ſe diſſimiles formas in collectione ſane totius Italiæ præclariſſima, & copioſiſſima, penes Excellentiſſimam Familiam Corſiniam. Antiquior typus viſitur in collectione antiquitatum Romanarum, quas Joannes Baptiſta Cavalierius Cardinali Madrutio dedicavit. Alia pariter eſt a Goffredo Schaico anno 1621. adornata, alia denique a Periero edita. Reliquæ duæ auctoris nomine carent. Dignum notatu eſt, tres priores typos illam tantummodo veteris ſtatuæ partem præſeferre, quam tempus non aſſumpſerat; quippe quum abſint manus dextera, quæ modo conchylium tenet, ſiniſtra manus, a qua pannus ſubſtinetur, & pes dexter, quæ omnia ante annum 1595. reparata ſunt. Verum in Corſinia eadem typorum collectione unus aſſervatur, in quo hæc ſtatua ſuis abſoluta partibus conſpicitur, ut fontis ornatui inſerviret, quo in typo inſcriptio habetur hujuſcemodi:

CLEMENS VIII.
PONTIFEX MAXIMUS
FONTEM AQUAE FELICIS
PUBLICAE COMMODITATI
M. D X C V.

Ubi animadvertendum per hæc verba nequaquam indicari, quod fons aquæ Felicis vulgo *di Termini*, dicto anno a Clemente vel exornatus ſit, vel inſtauratus, præſertim quum ornatus, quo eum ante annos aliquot Sixtus V. decoraverat, integer adhuc exiſtat: quare credendum eſt hujuſmodi formam vel ex ingenio factam fuiſſe, vel alicui venæ ejuſdem aquæ Felicis inſerviſſe, quam ad publicam utilitatem alicubi Clemens aperuerit, vel voluerit aperire, quemadmodum inſcriptio denotare videtur. Vel forſan indicat fontem quemdam, in Agonali platea ſalientem, cujus Flaminius Vacca (1) ſubobſcuram nobis tribuit notitiam his verbis: *Appreſſo il ſuddetto Arco* (Septimii Severi) *vi era la ſtatua di Marforio ſopra terra, e li Romani volendo ornare la fonte in piazza Agone la levarono, e condottala ſino a S. Marco ſi pentirono, e la fecero condurre in Campidoglio, dove oggi ſerve per fiume alla fonte ſopra la piazza.*

Hæc ſtatua relata quoque fuit a Boiſſardo in primo volumine Topographiæ Romanæ; at quod antiquæ manus in ea ſupereſt, nobis ſolum dedit.

Nos Oceanum repræſentare diximus in epigraphe, non vero flumen, quemadmodum opinati fuerant (2) Fulvius Urſinius, & Marlianus (3), quorum primus eam Nari, Rheno alter tribuerat, cujus ſignum a Statio (4) ad Domitiani pedes collocatum fuit eo verſiculo:

A 2 *Ahenea*

(1) Flamin. Vacca in epiſt. num. 69.
(2) Apud Nardinium Rom. antiq. lib. 5.
(3) Apud eundem ibid.
(4) Statius lib. 1. Sylvar. v. 53.

Abenea captivi crinem tegit ungula Rheni.

Quæ quidem Marliani opinio a Nardinio refellitur, qui in ea potius ſententia eſt, quod per eamdem flumen indeterminate ſumptum exprimatur, ipſamque exiſtimat in foro Auguſti, vel in angulo fori Magni ſitam fuiſſe e regione lacus Servilii, ubi etiam grandis illa concha e lapide Numidico exiſtebat, quæ in foro Boario in præſenti conſpicitur. Inter multas autem, ac inter ſe diſcrepantes ſententias, quamquam ſignum hoc Oceano attribui poſſit, quod ab eo repræſentari vulgatior fama eſt, quæ res per panni etiam magnitudinem, maritimorum numinum indicium, denotari queat; in eam tamen opinionem potius inclinarem, per idem ſignum flumen ſignificari; verum hac de re liberum lectori judicium eſto. Hujuſcemodi ſignum communiter Marforii nomine appellabatur, quia in foro Martis exſtaret, quo nomine quondam vocabatur forum Auguſti, de quo paulo ſupra mentionem fecimus. Etymologiam hanc primo Marlianus (1) protulit, & variis eam auctorum teſtimoniis confirmavit. A Marliano ſub initium diſſentiebat Nardinius, ſed poſtea in illius ſententiam conceſſit. Inſigne hoc ſimulacrum inglorium, neglectumque diutius jacuit, projectum ad S. Martinæ, vel ſi mavis ante carcerem Tullianum, ut ex Lucio Mauro (2) intelligimus, qui ſic ait: *Quel ſimulacro di marmo, che ſi vede gittato a terra quì preſſo, è chiamato dal volgo Marforio per ſtare preſſo al foro di Auguſto, dove era il tempio di Marte. Non era altro queſto ſimulacro, che l'effigie d'un fiume, chi dice del Reno, e che foſſe queſto un cippo del cavallo di bronzo, ch' ebbe quì Domiziano: chi dice del fiume Nare, chiamato oggi la Nera. Altri vogliono, che queſta ſia l'effigie di Giove Panario, o Fornajo, perchè pare, che ſia quel marmo tutto ſtampato di pani.* Hæ autem panis formæ, quæ Mauro perbelle apparebant, oculis meis, & ut puto etiam aliorum, minime apparent.

Scribit Aldrovandus (3) ſuis temporibus in cella vinaria prope Minervam, ſtatuam fluminis magnam, & pulcherrimam inventam fuiſſe, quæ exiſtebat in foro Alteriorum, (quod modo a Jeſu dicitur) penes Joannem Baptiſtam Fabium, cui pro emptione plura aureorum millia oblata fuere; & ipſe Aldrovandus in fine ſubdit: *Vogliono, che ſia il ſimulacro del mare Oceano, che è quello, che tutta la terra noſtra circonda, e gira.* Hoc autem ſimulacrum primo intuitu illud idem videri poſſit, de quo hìc nobis ſermo eſt; ſed quum referat Aldrovandus magnum illud fuiſſe, noſtrum vero maximum, & coloſſeum ſit: illud ſuper ſerpentem, ſeu draconem jacere, noſtro autem nullum adjunctum eſſe talis draconis veſtigium manifeſte appareat, dicendum eſt, non unum idemque eſſe ſimulacrum, ſed illud, de quo loquitur Aldrovandus, mediis ædium Farneſiarum ſcalis in

---

(1) Vide Nardin. eodem loco.
(2) Luc. Maur. *Antichità di Roma* pag. 19.
(3) Aldrovand. *Statue di Roma* pag. 228.

in præſentia reperiri. Tandem vero omnem nobis dubitandi rationem adimunt ea, quæ de noſtra ſtatua idem auctor ſcripſit circa finem (1) ſui opuſculi: *Preſſo a S. Pietro in Carcere ſi vede diſteſo in terra il gran ſimulacro chiamato volgarmente di Marforio. Queſto fu il ſimulacro del fiume Reno, ed era premuto col piè dal gran cavallo di bronzo, che Domiziano Imperatore nel foro Romano drizzò. Fu così detto, perchè ſteſſe appreſſo al foro d'Auguſto, dove era il tempio di Marte, qual vogliono, che oggi ſia quello di S. Martina,* quaſi Martis forum. *Altri vogliono, ch' egli ſia l' effigie del fiume Nare, che mette nel Tevere, mutando la prima lettera da Nar in Mar. Sono bene alcuni altri, che vogliono, che queſto fuſſe l' effigie di Giove Panario, o Fornajo, che aveva l' altare ſul Campidoglio; perchè quando i Romani ſi trovavano aſſediati nella rocca da i Galli Senoni, mancando loro la vettovaglia, e volendo moſtrare al nemico d' averne, gittarono ſopra la muraglia de i Galli molto pane, il che fu cagione, che veniſſero i nemici ad accordo, e per queſta cagione i Romani dirizzarono a Giove Panario l' altare, e gli dirizzarono la ſtatua.* Hæc Aldrovandus, ex quo conijci poteſt, hoc ſimulacrum flumen potius quam Oceanum repræſentare, quamvis fluviorum ſimulacra cum cornibus excudi ſolemne foret, (2) ut Phurnutus ſcribit: Τοῦτε δ' ἕνεκεν καὶ τοὺς ποταμοὺς κερασφόρους καὶ ταυρώπας ἀναπλάττουσιν ὡσανεὶ βίαιόν τι τῆς φορᾶς αὐτῶν καὶ μυκητικὸν ἐχούσης. *Hinc anſam quidam acceperunt, ut fluvios quoque cornutos, & tauricum tuentes pingant, quaſi violentum quiddam, & mugitum rapidus eorum curſus oſtentet.* Quare hac forſan de cauſa tauros mactabant in fluviorum ſacrificiis, quum Homerus de Scamandro cecinerit (3):

.... Ὧ δηθὰ πολεῖς ἱερεύετε ταύρους.

Cui jam multos ſacrificatis tauros.

Attamen ſæpe ſæpius fluviorum ſimulacra cornibus deſtituta conſpiciuntur, ut videre eſt in multis, quæ Romæ ſuperſunt, immo cornua potius, aptiuſque Oceano fluminibus violentiori convenirent; quamobrem homines indomitos, violentoſque poetæ, at mythologi Neptuni filios fuiſſe commenti ſunt, teſte eodem Phurnuto (4), ut Cyclopes, Leſtrigones, & Alöides.

JUPI-

(1) Idem ibid. pag. 311.
(2) Phurn. De nat. deor. cap. 22.
(3) Hom. Iliad. libr. 21. v. 131.
(4) Phurn. ibid.

JUPITER

TABULA II. III. ET IV.

POST Oceanum, qui rerum omnium, quibus Orbis conſtat univerſus, exiſtimatur auctor, ſequitur Jupiter pater, & rex deorum, atque hominum, ut Homerus, ceterique veteres ſive Græci ſive Latini, tum poetæ, tum oratores (1) teſtantur Αἰεὶ μέγαν; αἰὲν ἄνακτα. δικασπόλον οὐρανίδῃσι. *Semper magnus, ſemper rex, legislator Superum*, ſicuti in illius (2) hymno adpoſitè ſcripſit Callimachus. Profecto etiam Pauſaniæ (3) teſtimonio ipſe deorum maximus putabatur: Ζεὺς δὲ ὕπατος θεῶν ἐστιν εἰδότως ἄν τις τῷ λόγῳ τὴν ἐπίκλησιν ταύτην Διὸς τεκμαίροιτο εἶναι *Et quia Jupiter deorum principium eſt, merito coniici poteſt aptiſſimum Jovi hoc fuiſſe cognomen*. Propterea idem auctor (4) exiſtimavit, Bulidas, qui Deum ſub nomine *Maximi* venerabantur, nihil aliud, quam Jovem intellexiſſe; ſiquidem Διὸς κατὰ ἡμετέραν δόξαν ἐστιν ἐπίκλησις. *Ex noſtra ſententia haec propria eſt Jovis denominatio*. Id ipſum confirmat ſequens Palmirena Inſcriptio (5) in Tranſactionibus Londinenſibus relata ΔΙΙ ΜΕΓΙϹΤω ΚΕΡΑΥΝΙω &c. quapropter ſtatuæ (6) Jovis Olympii, & Jovis Servatoris (7), quæ ſumma colebantur veneratione, ſedentes exprimebantur, quemadmodum ceteris omiſſis exemplis, quæ in hanc rem poſſent afferri, duo hujus numinis ſimulacra oſtendunt, quorum alterum in palatio Veroſpio aſſervatur, quodque a Maffeio (8) in ſua Collectione antiquarum, & recentium ſtatuarum illuſtratum eſt: alterum in Herculani ruinis repertum fuit, opus Græcum, ſingulari artificio elaboratum, cui caput tantummodo deeſt. Idem non ſolum ſedens, ſed interdum etiam ſtans ſculpebatur, modo in aquilam incumbens, ut videre eſt quibuſdam in numiſmatibus Licinii a Begero (9) illuſtratis, modo quadrigis vectus dextra fulminibus armata, cujuſmodi in numis (10) familiæ Plautiæ apud eumdem auctorem, & in gemma Muſei Florentini (11) conſpicitur. At ne in deſcribendis multis, adeoque variis modis, quibus, ut in veteribus monumentis obſervatur, numen hoc effingi ſolebat, diutius immoremur, ſatis erit Pauſaniæ (12) locum afferre, ubi de ſigno Jovis Olympii ſic loquitur: Καθέζεται μὲν δὴ ὁ θεὸς ἐν θρόνῳ χρυσοῦ πεποιημένος καὶ ἐλέφαντος· στέφανος δὲ ἐπίκειται οἱ τῇ κεφαλῇ μεμιμημένος ἐλαίας κλῶνας ἐν μὲν δὴ τῇ δεξιᾷ φέρει Νίκην ἐξ ἐλέφαντος καὶ ταύτην καὶ χρυσοῦ, ταινίαν τε ἔχουσαν, καὶ

(1) Iſocrat. in Nicocl. Orat. 3. pag. 73. edit. Baſil. 1587. 8.
(2) Callimach. Hymn. Jov. v. 2.
(3) Pauſan. libr. 8. cap. 36. pag. 673.
(4) Idem libr. 10. cap. cap. 37. p. 893.
(5) Tranſact. Londin. Tom. 3.
(6) Pauſan. libr. 5. cap. XI. p. 400.
(7) Idem libr. 8. cap. 30. pag. 664.
(8) Maff. *Raccolt. Stat.* Tab. 135.
(9) Beg. Theſaur. Brandemb. T. 2. p. 797.
(10) Idem ibid. p. 572.
(11) Muſ. Florent. Tom. 1. Tab. 57. n. 7.
(12) Pauſan. libr. 5. cap. XI. p. 400.

καὶ ἐπὶ τῇ κεφαλῇ στέφανον· τῇ δὲ ἀριστερᾷ τοῦ θεοῦ χαρίεν ἐστι σκῆπτρον μετάλλοις τοῖς πᾶσιν ἠνθισμένον. ὁ δὲ ὄρνις ὁ ἐπὶ τῷ σκήπτρῳ καθήμενος ἐστὶν ἀετός· χρυσοῦ δὲ καὶ ὑποδήματα τοῦ θεοῦ καὶ ἱμάτιον ὡσαύτως ἐστι· τῷ ἱματίῳ ζώδιά τε καὶ τῶν ἀνθῶν τὰ κρίνα ἐστὶν ἐμπεποιημένα: *Sedet Deus in throno, auro, & ebore confectus, capite coronam geſtat, quæ videtur eſſe ramorum olivæ. Dextra ſuſtinet Victoriæ ſigillum, auro pariter & ebore compoſitum, vitta, & corona redimitum. Siniſtra Deus ſceptrum tenet affabre elaboratum, omnique metallorum genere diſtinctum. Aquila ſceptro inſiſtit. Soccos habet anreos, quemadmodum etiam pallium, & ſupra pallium animalia, flores, & præſertim lilia rapræſentantur*. Omnes tres ſtatuæ, quæ in hoc Muſeo Capitolino aſſervantur, ſicuti etiam ſimulacrum Pinacothece Medicæ (1), hunc deum ſtantem exhibent. Bene barbatus exprimitur, nec verum eſt, quod Porphyrius (2) & Servius (3) affirmant, ipſum ſuperne nudum, inferne tectum ut plurimum effingi; quamvis enim tum ille, qui pene Veroſpios exiſtit, tum alter in Herculano repertus ejuſmodi ſint; ferme nudi tamen complures occurrunt; quod ſi modo aliquid præferunt indumenti, non eo tamen modo ſunt induti, quemadmodum ſcriptores illi nos docent. Prorſus nudus in gemma conſpicitur Muſei Florentini (4) ubi cultus etiam eſt expreſſus, quo eumdem venerari mos erat in Argæo monte. Nudus pariter quadrigis inſidens invenitur in altera gemma dicti Muſei (5), nudus in numiſmatibus Diocletiani a Begero (6) allatis, & plurimis in ſtatuis, ac gemmis apud Monfoconium (7), ac denique in numiſmatibus maximi moduli Vaticanæ Bibliothecæ (8). Contra vero veſte indutum exhibent ſupra memorata numiſmata familiæ Plautiæ, & quædam gemma ejuſdem Muſei Florentini (9). Interdum etiam pallium habet, quo humeri ſolummodo obteguntur, quum in antica ſit omnino nudus, ut repræſentatur in quibuſdam numiſmatibus Gallieni apud eumdem Begerum (10). Ægide armatum credidit Lucianus (11), nam Cupidinem inducit illi ſuadentem, ſi amabilis eſſe velit, ut ægidem ponat, atque fulmen, at contra jucundiſſimum ſe reddat, & utrinque demiſſa cæſarie, mitra eam ſubnectat, & purpurea amiciatur veſte, & calceos auratos induat. Et alio itidem loco Juno illi exprobat, quod poſitis ægide, ac fulmine ſederet talis ludens cum Ganymede. Ex quibus rebus omnibus colligitur veteres ſculptores in hoc effingendo numine non ſtabilem, certamque habuiſſe rationem, ſed vel ex artificis, vel ejus, qui opus mandabat, arbitrio fuiſſe efformatum pro opportunitate loci, vel conſuetudine regionis, vel denique opinione, quam de Jove habebant ii, qui ſtatuam dicaturi erant. Profecto Jovis ſtatuæ pallio

(1) Muſ. Florent. tom. 3. tab. 1.
(2) Porphir. apud Euſeb. Præpar. evang. libr. 3. cap. 9.
(2) Servius in Georg. libr. 2. v. 325.
(4) Muſ. Florent. tom. 2. tab. 73.
(5) Ibid. tom. 1. 57. num. 7.
(6) Beger. Theſ. Brand. tom. 2. pag. 776.
(7) Montf. Antiq. tom. 1. tab. 9. & ſupplem. tom. 1. tab. 20.
(8) Numiſm. Vatic. tab. 19. & 20.
(9) Muſ. Florent. tom. 2. tab. 3.
(10) Beger. tom. 2. pag. 744.
(11) Lucian. deor. dialog. 2. & 5.

pallio amictæ, cujuſmodi ſunt hæ Tab. II., & III. majorem ſibi conciliant venerationem. Signo Jovis Olympii, qui apud Græcos, ceteroſque populos maximo habebatur honore, erat pallium aureum, vel inauratum, quod ex citato nuper Pauſaniæ (1) loco plane perſpicuum ſit. Aliquando haſtam puram manu tenet, quæ nihil a ſceptro differt, ut idem advertit auctor (2) de Cherſonenſibus loquens: Τοῦτο οὖν τὸ σκῆπτρον σέβουσιν δόρυ ὀνομάζοντες· *Hoc ſceptrum venerantur, haſtam appellantes*. Jovi illud fabricaſſe Vulcanum tradit Homerus (3), quapropter illum ſupra omnes deos ipſi populi venerebantur. At Jupiter Lobradenſis in Caria neque ſceptrum, neque fulmina, ſed bipennem manu geſtabat, ut teſtatur Plutarchus (4), cujus rei quoque cauſam affert. Interdum pro haſta pateram, ſed communiter fulmen, quod utraque quandoque manu tenet, cujuſmodi (5) expreſſus erat Olympiæ Jupiter Horcius (Urceus neſcio qua ratione a quibuſdam Latine dictus) ante quem athletæ eorumque amici, & propinqui ſacramento pollicebantur nullis ſe fraudibus uſuros in ludis Olympicis: aliaque ſimiliter jurabant. Hujuſmodi ſignum terribili erat aſpectu, ut metum perjuris incuteret, quorum ipſe, ut vox *Horcius* ſonat, ultor erat, quo nomine in Lybia colebatur a Cæltis (6); ſed hi pro ſimulacro quercum adorabant. Aliam ſimilem ſtatuam a Cynæthaenſibus cultam memorat Pauſanias (7), quæ pariter utraque manu fulmina geſtabat, cujuſmodi unam etiam videre eſt apud Monfoconium (8). Quandoquidem præter naturæ modum exculpebatur, quibus tamen in ſtatuis Græci artifices non omnem ſemper perfectionem oſtendebant, ut dixi quare idem Jupiter Horcius, & unus apud Eleos (9) ſex erant cubitos alti, & Pauſanias (10) cujuſdam mentionem facit, forma coloſſea, & altitudine XXVII. cubitorum.

Effingebatur etiam parvum Victoriæ ſignum manu geſtans, fortaſſe ut celeberrimam illam deſignaret, quam Phlegræ de gigantibus reportavit. Talis erat ſtatua (11) in Piræo collocata, & talis illa apud Eleos (12) quæ Victoriam hanc auro & ebore perfectam præferebat; ac præterea ramis, olivæ ſimilibus coronabatur. Verum apud eumdem Pauſaniam alter deprehenditur, qui corona florea eſt redimitus (13). Denique omnium admirabilior ille erat, qui apud Corinthios in templo Minervæ viſebatur, qui præter duos communes oculos tertium in fronte habens expreſſus erat. Hocce ſignum extitit quondam in atrio Priami Regis, ad cujus aram ille confugit, capto Ilio, ſed fruſtra, ut ſcribit Virgilius (14). Hic erat Jupiter Hercæus,

(1) Pauſ. libr. 5. cap. 11. pag. 400.
(2) Idem libr. 9. cap. 40. pag. 795.
(3) Homer. Iliad. 2. v. 122.
(4) Plutarch. quæſt. Græc. num. 45.
(5) Pauſ. libr. 5. cap. 24. pag. 441.
(6) Maxim. Tyr. diſſert. 38.
(7) Pauſ. libr. 5. cap. 22. pag. 434.
(8) Montf. antiq. tom. 1. tab. 19.
(9) Pauſ. libr. 5. cap. 22. pag. 434.
(10) Idem ibid. cap. 24. pag. 440.
(11) Idem libr. 1. cap. 1. pag. 3.
(12) Idem libr. 5. cap. 11. pag. 400.
(13) Idem ibid. cap. 24. pag. 439.
(14) Virg. Æn. libr. 2. v. 514.

cæus, *Patrius* (1) etiam dictus. Mentionem quoque habitam fuiſſe reperitur (2) cujuſdam Jovis adoleſcentuli, torque ornati, quem Philaſius Cleola dedicavit, aliuſque pariter olim Megalopoli exiſtebat (3), ſymbolis Bacchi inſtructus, opus Praxitelis, qui Jupiter Philius cognominabatur, quaſi amicitiis præeſſet. De Jove autem auribus carente ſermonem inducit Cælius Rhodiginus (4).

Multi fuere, qui Jovis nomine donabantur, quum a Varrone (5) ultra trecentos numerentur, quare mirum eſſe non debet multis quoque cognominibus fuiſſe Jovem diſtinctum, quæ ſingula hic referre longum nimis, ac ſupervacaneum eſſet, præſertim cum Jovis ſtatuis noſtri Muſei, utpote quæ ſymbolis carent, quibus ſpeciatim deſignentur, nullum horum cognominum jure, ac merito tribui poſſit. Ille dumtaxat tabulæ II. credi poteſt Jupiter Ἐρίγδουπος, *tonans*, ſive *fulminator*, qualis a Virgilio pingitur (6):

Ipſe pater media nimborum in nocte coruſcans
Fulmina molitur dextra.

Vel quemadmodum ſcripſit Varro in Bimargo apud Nonium (7): *Pater divum triſulcum fulmen igni fervido acutum mittit*: & poſtea: *Tunc repente cœlitum altum tonitribus templum toneſcit*. Eſt illi vultus ſeverus, venerandus, ac majeſtate plenus. Nonnihil convertere faciem videtur in coelum, quo regnare ſortito datum illi eſt, ducto argumento vel ex tonitru, ut ait Horatius (8):

Cœlo tonante credidimus Jovem
Regnare.

Barba, & capilli nec admodum promiſſi, nec prorſus ſunt inculti. Pallium ad pedes dimittitur, qui nudi ſuperſunt, cujuſmodi eſt etiam corporis truncus. Hoc pallium contrahitur in ſiniſtro humero, ex quo deſcendit; nudum ab illa parte brachium relinquens, & manum, qua deſignare terram, dextera vero jaculari fulmen videtur. Simulacrum hoc, quod integrum conſervatur, optimo opere, ac ſummo artificio eſt exculptum; idem autem diu eſt, ex quo ſtat in Capitolio; quippe cum tam in Cavalerii collectione num. 76. quam in illa Schaici ibidem loci collocatum fuiſſe perhibeatur. Similis porro huic noſtræ & illa Jovis ſtatua eſt, quæ in ædibus Juſtinianis habetur, nihilque aliud eſt inter eas diſcriminis, niſi quod illa pedes calceatos, noſtra vero nudos habet.

Jovem pariter exhibet Tab. III. ea tantum differentia, quod hujus caput non coelum, ſed potius terram reſpicit, magiſque opertus ſit pallio, ſub quo ſiniſtram abſcondit. Neque quidquam officit, quod in dextra fulmen deſideretur, quum hæc recens reparata ſit.

(1) Pauſan. libr. 4. cap. 17. pag. 321.
(2) Idem libr. 5. cap. 22. pag. 435.
(3) Idem libr. 8. cap. 31. pag. 664.
(4) Cael. Rhodig. Antiq. lect. libr. 10. cap. 8.
(5) Vide Tertull. Apolog. libr. 2. cap. 14.
(6) Virg. Georg. libr. 1. v. 328.
(7) Nonius in v. *Sulcus*, & in v. *Toneſcit*.
(8) Horat. Carmin. libr. 3. od. 5. v. 1.

Tab. IV. Jovem pariter exhibet vultu ſuperioribus conſimilem, gravem, & ſeverum, cujuſmodi aſpectum Jovis Horcii fuiſſe Pauſanias teſtatur, quippe qui perjuriorum, ut ſupra diximus, ultor eſſet, & reis hominibus in eum intuentibus terrorem incuteret. In reliquo corpore nudus eſt. Pannus, quo obnubitur pars reliqua ſiniſtri humeri, ab ipſo ſiniſtro itidem brachio ſuſtinetur. Dextra manus fulmen tenebat, cujus nihil præter fragmentum ſupereſt. Idem ſaxo innititur, & in quadam ejus projectura ſubſiſtit aquila, quæ deum atentis oculis reſpicit ſuum. Jupiter Olympius (1) eam in ſceptro ſedentem habebat, & Aldrovandus (2) cujuſdam ſtatuæ apud D. Valerium de Valle mentionem facit, cujus ſecus pedes ipſa erat avis, quemadmodum in hac noſtra; quæ tamen a vero non abhorret quod una, eamdemque ſit ſtatua. Quamvis autem cœca Gentilitas falſum hoc numen ſumma coluerit veneratione, ut innumerabilia templa ipſi erecta, & infinita ſigna ubique diſperſa oſtendunt, attamen ſimulacro Jovis Olympii (3) Phidias hanc apponere inſcriptionem potuit: *Phidias Carmidis Athenienſis filius me fecit*, quæ inſcriptio omnem ejus cultum evertebat, cum Deus ipſe confiteretur, ſe eſſe ab homunculo factum, in cujus poteſtate erat tot effingere deos, quot ei libuiſſet, ut rudium, & imperitorum populorum cultui illos exponeret. Verum cultores homines hæc fabrefacta ſimulacra minime ut eorum religionis objecta conſiderabant, ſed omnia ad ea philoſophiæ principia quibus in ſcholis imbuebantur circa Dei eſſentiam & dotes trahebant. Phurnutus (4) idcirco ad verum reducens ſenſum ornamenta, quæ Jovis imaginibus ſolebant apponi, rationem reddit qua ille in ætatis perfectæ ſtatu exprimeretur, perfectæque res illi conſecrarentur. Ait itaque, illi victoriæ ſignum adjunctum eſſe ad demonſtrandum quod vinci non poſſet, aquilam, eo quod velocior ſit avis, oleæ coronam, eo quod arbor hæc ſemper vireſcat, & maximi uſus in humanæ vitæ curſu ſit.

(1) Pauſan. libr. 5. cap. 10. pag. 397.
(2) Phurnut. ibi.
(3) Aldrov. *Statue di Roma* pag. 218.
(4) Phurnut. ibi.

JUNO

TABULA V. VI. VII. ET VIII.

JUNO Opis (1) & Saturni, vel quemadmodum Arcades arbitrati ſunt (2), Neptuni, & Cereris filia, quum ſoror, & uxor (3) Jovis nuncupetur, primo idcirco poſt hunc loco ponendam exiſtimavimus quum etiam a Lactantio (4) moneamur his verbis: *Jupiter ſine contubernio conjugis, filiæque coli non ſolet.* Hujus myſtica, & fabuloſa hiſtoria tota tenebris, & contradictionibus eſt referta; quare nullum ea de re faciendum nobis eſſe verbum arbitramur: quum enim nihil aliud hic propoſitum habeamus, niſi de Muſei noſtri ſtatuis agere, propterea, reliquis omiſſis, circa haſce dumtaxat animadverſiones, quæ nobis occurrent, in medium afferemus, eas nimirum cum ſimulacris ejuſdem deæ, quæ alibi vel fuerunt, vel ſunt, comparando.

Τὸν δ' ἠμείβετ' ἔπειτα βοῶπιν πότνια Ἥρη (5)

Reſpondit Juno veneranda magnorum oculorum

Ab Homero pluribus in locis ſuorum vere divinorum poematum deſcribitur, ſcilicet aſpectu majeſtatis pleno, & revera grandiores oculos ſignificat vox βοῶπιν, ut docet Varro (6): *Novi* (inquit ille) *majeſtatem boum, & ab his dici pleraque magna, ut* βούσυκον, βούβαιδα, βούλιμον, βοῶπιν, *uvam quoque bumammam*, ſicuti clare advertit Plutarchus (7), apud quem voci reſpondet μεγαλόφθαλμον, quod idem eſt, ac εὐῶπιν, quo verbo Maximus Tyrius (8) uſus eſt, ideſt *venuſtorum oculorum*; quoniam hominum deorumque reginæ ejuſmodi congruebat pulchritudo, ut oculos haberet magnos, & eminentes, qui convenienti ipſius aſpectui reſponderent. Præter quam quod ſicuti apud Italos nigri, apud Gallos cæſii, ita apud Græcos eminentes oculi in pretio habebantur. Homerus (9) lactea quoque brachia (10) ſandalia aurea; Maximus Tyrius (11) præterea pulchram ei veſtem tribuit Veteres; autem artifices ipſam varia delinearunt forma. Pauſanias, qui memorat nonnulla ejuſdem Junonis ſigna, non vero multa, ſi tot, tantaque ſpectentur, quæ aliorum ipſe recenſuit deorum, ſcribit hanc deam interdum ſtantem, interdum ſedentem expreſſam

 fuiſſe,

(1) Lactant. lib. 1. oap. 14.
(2) Pauſan. libr. 8. cap. 37. pag. 667. & cap. 42. p. 685.
(3) Senec. Hercul. Fur. act. 1. ſc. 1. Lactant. lib. 1. cap. 10. Phurn. De nat. deor. cap. 3. Virg. Æn. libr. 1. v. 47.
(4) Lactant. libr. 1. cap. 11. pag. 51. edit. Lut. Pariſ. 1748.
(5) Homer. Iliad. lib. 1. v. 551.
(6) Varro de R. R. lib. 2. cap. 5.
(7) Plutarch. Quæſt. Græc. pag. 299. Pariſ. 1624.
(8) Max. Tyr. diſſert. 26. pag. 271. edit. Londin. 1708. in 8.
(9) Homer. Iliad. libr. 1. v. 55.
(10) Idem Odyſſ. lib. 10. v. 603.
(11) Maxim. Tyr. ibi.

fuiſſe, quemadmodum omnes noſtri Muſei ſtatuæ repræſentantur. Unam vidit Argis (1), Polycleti opus, throno aureo & eburneo inſidentem, diademate inſignem, manu tenentem altera punicum malum, altera ſceptrum, cui inſiſtebat cuculus. Hujuſce ſtatuæ meminit Maximus Tyrius (2) his verbis: Λευκώλενον ἐλεφαντόπηχυν, εὐῶπιν, εὐείμονα. βασιλικὴν ἱδρυμένην ἐπὶ χρυσοῦ θρόνου. *Candidis, & eburneis brachiis, venuſtis oculis, varia, & eleganti veſte, aureoque ſedens throno*. Numinibus ſcabellum ſupponebatur, cui pedes inſiſtebant, quod *ſuppedaneum* idcirco appellatur, idque honoris cauſſa, ipſeque Pauſanias (3) præcipue animadvertendum putavit quamdam Junonis ſtatuam throno inſidere, cui præter conſuetudinem ſuppedaneum adhærebat. Idem binas memorat pariter ſedentes Junones, quarum altera apud Eleos (4) una cum Jove eadem in ſella ſedet, altera apud Mantineam (5), opus Praxitelis, ſimili corporis ſtatu, una cum Minerva, & Hebe; quinimmo narrat eodem in templo apud Plateam (6) in Bœotia Praxitelem ſtantem, & Callimachum ſedentem Junonem effinxiſſe.

Cicero (7) vero formam refert, qua Juno Soſpita exprimi ſolebat, quæ maxime Lanuvii colebatur, videlicet *cum pelle caprina, cum haſta, cum ſcutulo, cum calceis repandis*, qualis tamen nec Argiva, nec Romana Juno eſt. Et ſane ad hunc modum in numiſmatibus repræſentatur familiæ Thoriæ a Lanuvio oriundæ, quæ nobis Begerus (8) ſervavit. Præterea capillis ſumma cum venuſtate comptis ornabatur, quod ex Nonni (9) teſtimonio in illis magnam poſuiſſe curam dicitur. In omnibus antiquitatis reliquiis nudis brachiis exhibetur, ad illorum fortaſſe pulchritudinem ob oculos ponendam; & denique ex iiſdem percipitur quot, quibuſque variantibus formis effingi ipſa conſueverit. Interdum enim, ut in Grutero (10) videre eſt, caput velo opertum habet, haſtam, ſive ſceptrum dextra manu tenens. Quod vero haſta hujus deæ propria fuerit teſtatur Plutarchus ſcribens (11): Ἥρας δὲ ἱερὸν τὸ δόρυ νενόμισται καὶ τῶν ἀγαλμάτων αὐτῆς δόρατι στηρίζεται τὰ πλεῖστα καὶ Κυρῖτις ἡ θεὸς ἐπωνόμασται. *Junoni conſecrata creditur haſta, & pleraque ejus ſigna haſtæ innituntur, & nominantur Quirites, quia veteres haſtam ſic appellabant*. In duobus anaglyphis magno pariter velamine ornata exprimitur (12), quo caput obtegitur, cui nomen *peplum*, quodque apud Eleos (13) ſexdecim matronæ quinto quoque anno texebant. At in gemma apud P. Monfoconium (14), quemadmodum etiam in nonnullis magnæ Græciæ numiſmatibus hæc dea plurimo quidem ornatu viſitur, ſed nullo velamine caput eidem obtegente, at vero altera quidem manu

(1) Pauſan. libr. 2. cap. 17. pag. 148.
(2) Maxim. Tyr. Diſſert. 26. pag. 271.
(3) Pauſan. libr. 8. cap. 37. pag. 675.
(4) Idem libr. 5. cap. 17. pag. 418.
(5) Idem libr. 8. cap. 9. pag. 626.
(6) Idem libr. 9. cap. 2. pag. 715.
(7) Cic. De nat. deor. libr. 3.
(8) Beg. Theſ. Brand. tom. 2. pag. 588.
(9) Nonn. Dyoniſ. libr. 32. v. 11.
(10) Grut. Inſcript. tom. 1. pag. 25.
(11) Plutarch. quæſt. Rom. pag. 285. Pariſ. 1624.
(12) Admir. Urbis tab. 27. & 28.
(13) Pauſan. libr. 5. cap. 16. pag. 417.
(14) Monf. ſupplem. tom. 1. tab. 19.

manu haſtam, altera pateram tenet. Eadem interdum expreſſa occurrit dextra calatho innixa, quo corporis ſtatu huic Deæ, teſte Pauſania (1), ſtatua in Arcadia erat poſita. Sæpe tiara ornatur, quandoque pro hac cum lunula bicorni in fronte effingitur, cujus formæ Junonem Lucinam Spanhemius (2), & Begerus (3) delinearunt. In Bæotia (4) a Pithodoro Thebano manibus ſirenas habens exculpta fuit. Inter innumeras, quæ luculenter ædes Juſtinianas (5) locupletant, manu longum, latumque ipſa ſuſtinet pallium, quod in duobus etiam ſuperius laudatis anaglyphis obſervatur. Hujuſmodi varietatis in cauſſa fortaſſe fuere tot, adeoque diverſa nomina, quibus hæc dea appellabatur: hæc autem nomina a pluribus beneficiis ſunt derivata, quæ ab eadem conferri cæca gentilitas opinabatur; vel a variis divinis attributis, quibus ſub Junonis nomine cultus tribuebat, vel denique a morum, & opinionum diverſitate ſive vulgi, ſive philoſophorum diverſarum regionum, ac civitatum.

Extitit etiam, qui crediderit plures Junones fuiſſe, quæ cauſſa etiam fuit cur adeo varia cognomina ſortita ſit, atque adeo admodum probabile fiat, plurimis quoque perſonis hæc tributa fuiſſe. Veteres tamen inſcriptiones omnem probabilitatem reijciunt, remque pro certo oſtendunt, cum in quibuſdam illarum ſæpe *Junones* reperiantur in plurali numero, ut in hac a Grutero relata (6).

CN. CORNELIVS
NIHANOR
JVNONIBVS
V. S. L. M.

& in altera, quæ in Muratoriana (7) extat inſcriptionum collectione, & quæ ita ſe habet:

JVNONIBVS
SEVERVS
VI VIR. ET. AVG.
EX VOTO

ac denique in alia, quæ in Muſeo (8) Veronenſi legitur:

JVNONIBVS
AVG. SAC.
METELLA. JDE. NOMINE
SVO DE
T. FLAVI HERMETIS
VIRI SVI
D. D.

Sed ut ad ea, quæ ſtatuarum Muſei noſtri ſingularia ſunt, deſcen-

(1) Pauſan. libr. 8. cap. 37. pag. 676.
(2) Spanhem. ad v. 61. Callymach. Hymn. in Delum
(3) Beg. Theſ. Brand. tom. 1. pag. 332.
(4) Pauſan. libr. 9. cap. 34. pag. 778.
(5) Muſ. Juſtinian. tom. 1. tab. 73. 74. 75. 76.
(6) Gruter. Inſcript. tom. 1. pag. 24.
(7) Murat. tom. 1. pag. 17. num. 4.
(8) Muſ. Ver. pag. 189.

ſcendamus, prima Juno expreſſa in Tab. V. elegantem habet oris delineationem, promiſſos, & uberes capillos, quibus in fronte ſuppoſita eminet mitella, & qui teguntur velamine, quod poſt humeros demittitur ultra corporis dimidium, quodque antrorſum deductum, affabreque plicatum, fibula in ſiniſtro humero adnectitur. Pallium matronale, quod nuncupatur *palla* ad pedes uſque pertingit, qui nudi conſpiciuntur. Dextra manu ſceptrum tenet, ſiniſtra pateram in ipſo fundendi actu. Similis hujus Deæ imago invenitur apud Monfoconium (1), & in numiſmatibus Etruſcillæ (2) hac inſcriptione: IVNONI REGINAE; quare hoc etiam cognomen tribui noſtræ poſſet, niſi LANVMVINA in epigraphe ad ejuſdem baſim appoſita diceretur. *Lanumvina* vero pro Lanuvina eſt, ſcilicet pro Junone illa, quæ *Lanuvii* colebatur. De urbe hac plura extant monumenta, inter quæ lapis apud Gruterum (3) legitur: S. P. Q. LANVVINVS, & altera inſcriptio apud Muratorium (4) quæ C. SALLIO. PROCVLO. SACERDOTI. LANVVINORVM. IMMVNI. dicata eſt.

Altera Juno Tab. VI. conſimilis eſt præcedenti, nullaque in re alia differt præterquam in veli diſpoſitione, quod potius quam caput tegat, ad pectus nodo colligitur. Brachia recens reſecta ſunt. Binas ejuſdem ſimilitudinis ſtatuas refert P. Monfoconius (5), quatuorque in pinacotheca Juſtiniana (6) exiſtunt, una autem in Muſeo Florentino (7).

Juno Tab. VII. inciſa mithra caret, & duplici pallio amicitur. Simili forma alia viſitur in gemma dicti Muſei (8). Huic noſtræ brachia recentioris artificii ſunt.

MI-

(1) Monf. tom. 1. tab. 21.
(2) Beger. Theſ. Brand. tom. 2. pag. 733.
(3) Grut. Inſcript. tom. 1. pag. 253. num. 6.
(4) Murat. Inſcript. tom. 2. pag. 198. num. 1.
(5) Monf. tom. 1. tab. 19.
(6) Muſ. Juſtinian. tom. 1. tab. 123. 124. 125. 126.
(7) Muſ. Flor. tom. 3. tab. 2.
(8) Ibidem. tom. 1. tab. 57. num. 4.

C E R E S

TABULA IX.

NON inconſulto quidem poſt Junonem, Cereri a nobis locus eſt adſignatus in deſcribendis Muſei Capitolini ſtatuis. Et revera Albricius Philoſophus (1) in libro: *De imaginibus deorum*, inquit: *Erat ergo Ceres inter duas arbores pomis onuſtas. Latere vero dextro deſuper erat Juno dea nubium imbrem ſpargens per ſata.*

Lactantius (2) vero rationibus demonſtrare contendit, Cererem fuiſſe deorum omnium antiquiſſimam, nam ea prima docuit fruges ſerere, & illæ in uſu hominum fuere ante progeniem Cæli, & Saturni, ut ex ſacris colligimus litteris. Hac de cauſa in ſybillinis (3) libris antiquiſſima dicitur, & nonnulli nomen Ceres ab Hebraico *erez*, quod terra ſignificat, deducunt.

Quæ cum ita ſint mirum videri non debet ſi Arnobius (4) putat, eam Jovis matrem fuiſſe, ubi de ea verba faciens inquit: *Nam genitrix hæc Jovis ab accolis ejus regionis traditur.* Et hac quidem de cauſa ſapienter eruditiſſimus Gherardus Voſſius (5) in libro, quem *Phyſiologia Chriſtiana* inſcripſit, eo in loco ubi de deabus agit, de Junone locutus eſt primum, inde de Veſta & Cerere. Et S. Auguſtinus (6) ultra procedens ait: *Quandoquidem etiam Matrem Magnam eamdem Cererem volunt, quam nihil aliud dicunt eſſe quam terram, eamque perhibent & Junonem. Et ideo ei ſecundas cauſas tribuunt rerum.*

Idem Albricius (7) narrat, quo cultu corporis exprimeretur, his verbis: *Taliter pingebatur; erat enim in figura matronæ præcinctæ, & pannis & calceis admodum ruſticanæ: ſedens ſuper bovem, qui eſt animal culturæ deputatum: quæ manu dextra habebat ligonem ad terram vertendam; & brachio habebat appenſum calathum cum ſeminibus.* Ut vero illi aliquod tribuerent ornamentum, quod eam majore veneratione dignam redderet, capite velato eam repræſentabant, ut aſpicitur apud Begerum (8) in quodam nummo Antonini Pii, & in illis familiæ Memmiæ, (9) & Vibiæ, & tandem in anaglyho quodam Muſei noſtri, quem in ſequenti volumine enarrabimus.

Hac quoque de cauſa illi *Dominæ* nomen tribuebant, ut teſtatur Cælius Rhodiginus (10) his verbis: *Ceterum pluribus eſt Cereris cognomentum* δέσποινα. Deæ hujus caput mitra ornatum ſpectatur in quadam

Cauſ-

(1) Albric. De nat. deor. num. 23.
(2) Lactant. libr. 1. cap. 18.
(3) Idem libr. 20. cap. 4.
(4) Arnob. libr. 5.
(5) Voſſ. de Idolatr. lib. 9. cap. 23.
(6) S. Auguſt. de C. D. libr. 7. cap. 16.
(7) Albric. De nat. deor. num. 23.
(8) Beg. Theſ. Brand. tom. 2. pag. 663.
(9) Idem ibid. pag. 565. & 593.
(10) Cæl. Rhodig. lib. 24. cap. 17.

Cauſſei (1) gemma, & in quadam ſtatua, quæ in ædibus Juſtinianis eſt (2), ex qua patet ornatus venuſtatem illi non parum venerationis conciliare, quod illi præſtat quoque veſtis genus, qua noſtra induitur.

Quod vero nudo capite eam aſpicimus, & crinibus adeo comtis, ut eam imminuant dignitatem oris, quam Deabus ſuis tribuebant Veteres, factum eſſe puto, eo quod artifex ſub Cereris forma Auguſtam aliquam voluerit effingere, & præcipue, ut fama eſt, Lucillam M. Aurelii Antonini filiam. Quod vero ſpectat ad ea agriculturæ inſignia, quæ, ut Albricius narrat, Cereris imaginibus apponebantur, quamvis non in omnibus ejuſdem Deæ ſtatuis appareant, tamen ad id ſignificandum Ceres coronam ſpiceam habere ſolebat, ut ait Phurnutus: (3) Πάνυ εἰκείως εἰςάνεται ςάχυσιν ἐςεφανωμένη. *Proprie quidem coronam ſpicis gravem gerit*. Verum non ſemper in antiquis monumentis hac corona ornata Ceres aſpicitur, ſed tamen ſemper aut ſpicas manu tenet, vel præfert, ut in quadam gemma apud Maffeium (4) Dea hæc in dextera ſpicas & papaver habet, & in quadam ejus ſtatua Muſei Juſtiniani (5), in nummis Antonini Pii, & Memmiæ (6) familiæ: aut aliquando prope eam ſunt, ut in gemma Cauſſei (7), ubi ſpicas ad ejus enatas pedes aſpicimus. Eadem quoque de cauſa in nummo quem Begerus (8) protulit, Cererem videmus arripientem manipulum ſpicarum. Sacrum illi papaver fuit, de qua re Phurnutus (9): Τό τε γὰρ ςρογγύλον καὶ περιφερὲς αὐτῶν παρίςησι τὸ σχῆμα τῆς γῆς σφαιροειδοῦς οὔσης. ἥ τε ἀνωμαλία τὰς κοιλότητας καὶ τὰς ἐξοχὰς τῶν ὀρῶν. Τὰ δὲ ἐντὸς τοῖς δενδρώδεσι καὶ ὑπονόμοις ἔοικε· σπέρματα τε ἀναρίθμητα γεννῶσιν ἡ γῆ. *Papaveris rotunditas, & globus, terræ formam, quæ ſpherica eſt, repræſentat. Papaveris autem inæqualitas, indicat terræ valles, & montium cacumina. Interiora autem papaveris ſimilia ſunt arboribus, & cavernis terræ. Per ſemina innumerabilia terræ fœcundam generationem intellige.* Duo præterea Cereris ſunt, quæ in Muſeo noſtro adſervantur ſigna, quorum alterum ſpicas, & papaver ſiniſtra, dextera alterum pari modo tenet. Quod autem papaver terræ rotunditatem deſignet, hoc etiam argumento evinci poteſt, quod in gemma apud Maffeium (10) Ceres ſuper terræ globum inſiſtens conſpiciatur. Faces quoque præſeferre Cererem commenti ſunt veteres artifices, *quia facibus ex Ætnæ vertice accenſis quæſiſſe in Sicilia Ceres dicitur Proſerpinam ejus filiam*, ut ait Lactantius (11); *unde & lampadarum dies Cereri dedicatus eſt; illa videlicet ratione, quod hoc tempore cum lampadibus, ideſt cum ſolis fervore, ſeges ad metendum cum gaudio requiratur*, ut appoſite conſequitur Fulgentius

(1) Cauſſ. Muſ. Rom. tab. 69.
(2) Muſ. Juſtinian. tom. 1. tab. 20.
(3) Phurnut. De nat. deor. cap. 28. pag. 209.
(3) Maff. Gemm. tom. 2. tab. 39. & 40.
(5) Muſ. Juſtinian. tom. 1. tab. 38.
(6) Beg. Theſ. Brand. tom. 2. pag. 565.
(7) Cauſſ. Gemm. tab. 69.
(8) Beg. ibid. tom. 2. pag. 619.
(9) Phurnut. De nat. deor. cap. 28.
(10) Maff. Gemm. tom. 2. tab. 40.
(11) Lactant. libr. 1. cap. 21.

tius (1). Quamobrem nullo modo dubitandum foret, hoc noſtrum ſimulacrum Cererem repræſentare, ſi ex antiquo opere brachia, manuſque, quæ facem, ariſtas, & papaver geſtant, fictas eſſe conſtaret. Verum quum hæc recenter ſuperaddita eſſe certum ſit, dubium erit, feminæ ne, an Deæ, & cujus Deæ ſit hoc ſimulacrum. Nam nec pone ipſum copiæ cornu adpoſitum eſt, quod Cereri in gemma apud Maffeium (2) adhæret, & ejus ſtatuis in ædibus Juſtinianis (3): nec ut in alia gemma, quam profert Begerus in Theſauro Brandeburgenſi (4), ubi Cereris caput excuſum eſt, duos puellos ſinu fovere videtur, qui ambo copiæ cornu tenent, quæ ſunt ejus, quam largitur Ceres, fœcunditatis indicia. Nec porcam habet ante pedes, aut ſerpentes draconeſve, ut in nummis familiæ Vibiæ apud Begerum (5) ipſum; porcam enim illi ſacrificabant veteres, teſtante Macrobio (6), qui ait: *Ad diem duodecimum Kal. Januarias Herculi, & Cereri faciunt ſue prægnante*. Et itidem (7) alio loco quaſi rationem vellet hujuſmodi ſacrificii nobis innuere, ait, loquens de Bona Dea, ſeu Opi: *Sunt, qui dicant hanc Deam potentiam habere Junonis, ideoque ſceptrum regale in ſiniſtra manu ei additum: eamdem alii Proſerpinam credunt, porcaque ei rem divinam fieri; quia ſegetem, quam Ceres mortalibus tribuit, porca depaſta eſt*. Et ante Macrobium Callimachus (8) hanc eamdem a Macrobio allatam rationem confirmat:

Σύες ἔργα, σύες φυτὰ λυμαίνονται.
Sues opera, ſues culta vaſtant.

Dracones vero, aut ſerpentes ipſam comitantur in ſuperius nominatis familiæ Memmiæ, & Volteiæ nummis; & ut videre eſt in anaglypho inter *Admiranda Urbis* (9), & apud Pauſaniam (10), ubi loquitur de quodam monſtroſo hujus Deæ ſimulacro, quod Phigalenſes dedicarunt, eratque hujuſmodi: Καθέζεσθαι μὲν ἐπὶ πέτρᾳ, γυναικὶ δὲ ἐοικέναι τὰ ἄλλα πλὴν κεφαλήν, κεφαλὴν δὲ καὶ κόμην εἶχεν ἵππου, καὶ δρακόντων τε καὶ ἄλλων θηρίων εἰκόνες προσεπεφύκεσαν τῇ κεφαλῇ. χιτῶν δὲ ἐνεδέδυτο καὶ ἄκρους τοὺς πόδας· δελφὶς δὲ ἐπὶ τῆς χειρὸς ἦν αὐτῇ, περιστερὰ δὲ ἡ ὄρνις ἐπὶ τῇ ἑτέρᾳ. *Simulacrum ita fabricatum, ut ſaxo inſideret, muliebri figura præter caput, quod equinum, atque adeo cum juba eſſet, DRACONIBUS, & aliis feris ad caput alludentibus, reliquo corpore ad imos pedes tunica velato; altera manu delphinem, columbam altera præferente*. Hujus vero tam abſurdi, atque horrendi ſimulacri rationem nullam adfert Pauſanias, quum exiſtimet neminem, niſi ſit in antiquitatis memoria plane peregrinus, & aliarum quoque rerum omnino imperitus, eam poſſe ignorare. Verum cum ſerpente, & draconibus effingitur Ceres, quia quum filia ejus Proſerpina a Plutone rapta

C fuiſſet,

(1) Fulg. Mytholog. libr. 1. num. 10.
(2) Maff. Gemm. tom. 2. tab. 40.
(3) Tab. 19. & tab. 20.
(4) Beg. Theſ. Brand. tom. 1. pag. 6.
(5) Idem ibid. tom. 2. pag. 593.
(6) Macrob. Saturn. libr. 1. cap. 21. Suid. v. Χοίρων
(7) Idem ibid. libr. 1. cap. 12.
(8) Callimach. Hymn. Dianæ v. 256.
(9) Admir. Urb. tab. 54.
(10) Pauſan. libr. 8. cap. 42. pag. 686.

fuiſſet, mœſtiſſima mater currum a draconibus tractum conſcendit, & facibus in vertice Ætnæ accenſis eam inquiſivit, quod tam notum eſt, quam quod notiſſimum. Unum pro cunctis ſufficiat teſtem producere Ovidium (1), qui ita cecinit de Cerere:

..... geminos Dea fertilis ANGUES
Curribus admovit, frœniſque coercuit ora,
Et medium cœli, terræque per aera vecta eſt.

Et Claudianus (2), qui Cererem curru a draconibus vectam fuiſſe ita confirmat:

.... ad Phrygios tendit ſecura penates,
Turrigeramque petit Cybelen: ſinuoſa DRACONUM
Membra regens, volucri qui pervia nubila tractu
Signant, & placidis humectant frœna venenis.

Quam ſerpentum ἀλλεγόριαν nihil aliud ſignificare volunt hujus fabulæ enarratores, quam quod ſemina frugum ſub terra latitare oporteat, ut fructum in tempore afferant.

Quamvis autem hic Cererem intueamur ſtantem, aliquando etiam ſedentem excuderunt veteres artifices, ut in gemmis apud Maffeium (3), & apud Cauſſeum (4), primus quorum illam ſuper terreſtrem globum profert ſedentem, alter ſuper ſellam. Sedet etiam in nummis familiæ Memmiæ (5): ſedens quoque Cereris ſimulacrum apud Corinthios (6) poſitum fuerat. In noſtro denique Muſeo duo hujus Deæ ſigna ſunt, quæ eam ſedentem exhibent. Cum hæc non inter elegantiora ſigna numerentur, haud delineanda curavimus, ne liber in immenſum creſceret, ne collectionis hujus decus imminueretur, & ut denique eruditis viris compendi ſumptum faciamus.

Sed ad noſtram ſtatuam redeuntes, quum ejuſdem brachia recentioris ſint operis, ſemper incertum erit utrum artifex vel Cererem, vel Junonem voluerit repræſentare; & quæ ſymbola in antiquis manibus geſſerit. Fortaſſe dextra ſceptrum vel haſtam tantum habebat, idque illi optime conveniebat, cum Domina vocaretur, ut ſuperius a nobis eſt adnotatum, & ut revera eam geſtat in onyche quodam apud Maffeium (7), in quadam muſei Juſtiniani (8) ſtatua, & in alia ædium Veroſpiarum. Fortaſſe fulmen gerebat, ut in quadam Cauſſei (9) gemma: vel gubernaculum, ut in quodam ejus ſigno ejuſdem muſei (10), vel ciſtam, quo ornata Ceres Erinnis erat teſte Pauſania (11). Verum quidem eſt, quod hæc ſigna Cererem indicaſſent, at pleraque ex his Junoni quoque tribuuntur, & præterea ea, quæ tantum Junonis propria ſunt, geſtare poterat. Sed cum ii, qui ad eam reſtaurandam dederunt operam, ſub Cereris nomine reponendam eſſe duxerint, quum nulla cauſa ſit, quæ in contraria nos trahat, nos quoque eam ſub Cereris nomine damus.

MI-

(1) Ovid. Metamorph. libr. 5. in fine.
(2) Claudian. De raptu Proſerp. libr. 1. v. 178.
(3) Maff. Gemm. tom. 2. tab. 40.
(4) Cauſſ. Muſ. Roman. tab. 69.
(5) Beg. Theſ. Brand. tom. 2. pag. 565.
(6) Pauſan. libr. 2. cap. 37. pag. 198.
(7) Maff. Gemm. tom. 2. tab. 39.
(8) Muſ. Juſtinian. tom. 2. tab. 36.
(9) Cauſſ. Gemm. tab. 69.
(10) Muſ. Juſtinian. tom. 1. tab. 19.
(11) Pauſ. libr. 8. cap. 14. pag, 649.

MINERVA

TABULA X. XI. ET XII.

POST Jovem, ejuſque uxorem merito locum fore Minervæ videbatur, vel ſaltem ob intimam conjunctionem, quam antiqui inter hæc duo Numina ſtatuebant. Et revera Minervam a dextris Jovis ſedere ex Pindaro retulit Ariſtides (1), & in ejuſdem hymno Callymachus (2) quid hoc ſibi vellet ferme enarrans cecinit:

...... τὸ δ' ἐντελὲς ὦκ' ἐπινεύσῃ
Παλλάς. ἐπεὶ μώνα Ζεὺς τόγε θυγατέρων
Δῶκεν Ἀθαναίᾳ πατρῷα πάντα φέρεσθαι.
Id que firmum, cui annuerit
Pallas: quoniam ſoli Jupiter hoc ex filiabus
Dedit Minervæ, ut paterna omnia habeat.

In Pireo (3) idem templum ambobus hiſce numinibus inſerviebat, Et in Olympia (4) Minervæ ſimulacrum prope Jovis ſtatuam erat collocatum, unde tunc illi optime conveniebant, quæ de ea ait Pindarus (5):

..... πῦρ πνέοντος ἅτε κεραυνοῦ ἄγχιστα ἡμένη
Ignem fulmineo ſpiranti proxima telo.

& tandem in Amphiarai (6) templo commune habebant altare. Hæc tam arcta conjunctio ex nummis maximi moduli Regis Galliarum comprobatur (7). Apud Phocenſes (8) in quodam templo ſtatua dicata erat Jovi, cui hinc inde Juno, & Minerva adſtabant. At totidem rationes pugnant pro Cerere, ut Minervæ anteferatur.

Plures fuiſſe Minervas antiqui mythologi fatentur, ut teſtatur Cicero (9), cujus ſententiam ſecutus eſt Clemens Alexandrinus (10). Verum ex variis fabellis, quæ curſu temporis hiſtoriæ veritatem tenebris obvoluerunt, derivaſſe putarim hanc Minervæ multiplicationem. Nam Phurnutus (11), & Fulgentius (12), mythologorum diligentiſſimi, illam tantum agnoſcunt Minervam, quæ ex Jovis cerebro exorta dicebatur, & cujus nativitatis delineationem Philoſtratus (13) teſtatur ſe vidiſſe, in qua Vulcanus apparebat Jovis caput ſecuri feriens, & Dea cataphracta ex vulnere exiliens, qualem tandem in ſuis Deorum dialogis, Deorum irriſor deſcribit Lucianus (14) luculenter. Quapropter Callymachus (15) cecinit:

 ..... ματηρ

(1) Ariſtid. Orat. de laudib. Minerv. in fine.
(2) Callymach. Hymn. in lavacr. Pallad. v. 131.
(3) Pauſan. libr. 1. cap. 1. pag. 3.
(4) Pauſan. libr. 5. cap. 17. pag. 419.
(5) Pindar. apud Plutarch. in ſympoſ. libr. 1. quæſt. 2. pag 617.
(6) Pauſan. libr. 1. cap. 24. pag. 84.
(7) Hiſtoria Acad. Inſcript. Pariſ. vol. 1. a pag. 225. ad 226. in 4.
(8) Pauſan. libr. 10. cap. 5. pag. 808.
(9) Cic. De nat. deor. libr. 3.
(10) Clem. Alex. Cohort. ad gentes pag. 24. edit. Potteri.
(11) Phurnut. cap. 20.
(12) Fulgen. libr. 2. cap. 2.
(13) Philoſtrat. Imag. libr. 2. num. 27. pag. 852.
(14) Lucian. Dialog. Deorum VIII.
(15) Callymach. in lavacr. Pallad. v. 134.

.... μάτηρ δ' ὄυτις ἔτικτε θεὰν

Αλλὰ Διὸς κορυφά ....

Nulla Deam peperit mater, verum caput Jovis.

Etruſca etiam patera poſt Fabrettum (1), & Senatorem Bonarotam (2), ab erudito viro Petro Franciſco Foggino illuſtrata eleganti diſſertatione, quæ legi poteſt in actis Academiæ Cortonenſis (3) graphice monſtrat hoc ipſum myſticum, & abnorme facinus. Senſus autem hujus fabulæ hic eſt, ut docte ſatis enarrat Phurnutus (4), Jovis mentem, ſeu mavis divinam providentiam in ipſo Jove locatam per Minervam indicari, quæ a cerebro ejus nata dicitur, quia in cerebro nobiliorem animæ partem locabant antiqui, quod etiam luculentius enarrat Themiſtius (5).

Jupiter, & hæc illius filia putabantur civitatum diligentiſſimi curatores (6), & Minerva *ſervatrix* in nummis Camarinenſium (7) apud Begerum apparet. Immo Phurnutus (8) addit ſolemne eſſe eam in arcibus, & ſuper civitatum portas adpingere, quare etiam πυλᾶτις adpellabatur teſte Heſchili Scholiaſte. Hoſpitalitatem (9) quoque curare una cum aliis diis putabatur. Celebre eſt ejus cum Neptuno (10) certamen ut nomen Athenis daret, & quam ſtrenue civitatem illam ſemper dein foverit. Sed poſtquam, ut dictum eſt, multiplicatis fabellis, hoc etiam numen multiplex evaſit, diverſis quoque modis, varioque habitu expreſſum fuit. Pauſanias (11) ſi quis alius antiquarum rerum diligens ſcriptor, plurima hujus Deæ ſigna deſcribit, non omnino inter ſe ſimilia. De illo, quod in Pireo dicatum fuerat, nil aliud ait niſi haſta armatum fuiſſe; quod autem in Olympia erat, galea, & ægide, quæ ſecundum Alexandrum Mindium apud Athenæum (12) pellis erat capreæ ſylveſtris, veſtiebatur. Ex Herculani ruderibus hujus Deæ ſimulacrum marmoreum effoſſum nuper eſt, humana magnitudine nonnihil procerius, quod ſiniſtro brachio quantum poteſt exporrecto, pendentem ex eo ægidem plane explicatam ſuſtinet; in quo ſimulacro præter operis totius excellentiam, dignum ſane magna admiratione eſt, quanto labore artifex, ad tam exilem formam tenuemque marmor, quo ægis efformatur, perduxerit.

Plurimæ etiam memorantur Minervæ armatæ, quarum una in Parthenone (13) Athenienſi poſita, in vertice galeæ Sphingen præferebat, duoſque gryphes hinc, & hinc ut teſtatur Pauſanias. Præterea in medio pectore Gorgonis eburneam effigiem habebat, manu haſtam prehenſabat, & clypeum, ad cujus pedes draco adſtabat. In Jovis Olym-

(1) Fabret. Inſcript. cap. 7. pag. 538.
(2) Bonarot. Addit. ad Dempſterum. tab. 78.
(3) Comment. Acad. Corton. tom. 2. pag. 71.
(4) Phurnut. cap. 20.
(5) Themiſt. Orat. 10. De pace pag. 130. edit. Petavii.
(6) Plutarch. Sympoſ. libr. 9. quæſt. 13. & 14.
(7) Beg. Theſ. Brand. tom. 1. pag. 378. & 379.
(8) Phurnut. cap. 20.
(9) Hiſtor. Acad. Inſcript. vol. 3. pag. 48. in 4.
(10) Pauſan. libr. 1. cap. 2. pag. 3.
(11) Idem libr. 5. cap. 26. pag. 447.
(12) Athen. libr. 5. cap. 8.
(13) Pauſan. libr. 1. cap. 24. pag. 57.

Olympici (1) templo, Minervæ ſignum aſpiciebatur Herculem defenſantis. Idem Pauſanias (2) vidit in Meſſeniæ templo Minervam quamdam κορώνην ἐν τῇ χειρὶ ἔχουσαν, *habentem in manu cornicem*. Noctuam manu tenet in quadam ejus ſtatua, quæ in ædibus Veroſpiorum aſpicitur. In nummis maximi moduli Regis Galliæ (3), apud Athenas obſignatis, noctua vaſi everſo inſiſtit, ex qua ſui inſignis ſchema deſumpſit Ludovicus Caſtelvetrus, addita epigraphe KEKPIKA.

Nullo modo prætereundam eſſe arbitror Minervæ deſcriptionem, quam affabre Phidias excuderat. Ea autem ſic ſe habet apud Maximum (4) Tyrium. Παρθένον καλὴν, γλαυκῶπιν ὑψηλὴν, αἰγίδα ἀνεζωσμένην, κόρυν φέρουσαν, δόρυ ἔχουσαν, ἀσπίδα ἔχουσαν. *Virginem pulchram, cæſiis oculis, proceram, ægida præcinctam, cum galea, & haſta, & clypeo.* Pauſanias (5) rationem adfert cur cæruleos habere oculos dicatur, videlicet quod Neptuni, ac Tritoniæ paludis filia a nonnullis credatur, ideoque etiam ab Homero ſemper γλαυκῶπις appellatur. Eadem forma eam nobis deſcribit Apulejus (6), additque, coronam oleagineam fuiſſe ſuper galeam ejus poſitam, olea enim ei in deliciis fuit ut lepide Phædrus (7) in ſuis fabellis canit. Et hac fortaſſe de cauſa averſa in parte nummorum maximi moduli, qui apud Galliæ Regem (8) adſervantur, corona oleaginea conſpicitur; nec non in ludis, quos in Attica Ericthonius Rex inſtituit, *præmium victoribus olea ponebatur, quod ejus fructus inventricem Minervam, ſicut vini Liberum tradunt*, ut ait B. Auguſtinus (9).

Medontis autem Lacedemonii opus, Minervæ ſimulacrum eſſe memoriæ prodiderunt, quæ caſſide, haſta, & ſcuto erat armata (10), qualis in gemma quadam conſpicitur apud Maffeium (11), & Montfauconium (12). Nec omnino veritati conſentaneum eſt, quod Euſthatius adfirmat (13), ſæpius ſcilicet hanc Deam excudere ſedentem conſueviſſe antiquos artifices, & id præcipue in Phæacia, Maſſiliæ, & Romæ. Nam ſi perſcrutemur, quæ adhuc Minervæ reliqua ſunt ſimulacra, eam frequentius ſtantem expreſſam fuiſſe reperiemus, atque eamdem rem nobis confirmabunt ſcriptores illi, qui de veteribus monumentis diſſeruere. Perquam rariſſime in nummis Minervam ſedentem offendimus, quemadmodum & in nonnullis monumentis, quæ Paridis judicium repræſentant, ac in duabus Muſei Juſtiniani (14) ſtatuis, ubi tres quoque ſtantes exiſtunt, inter quas celebris illa (15) cum ob excellentiam operis, tum ob nominis claritatem, etenim e terra fuiſſe erutam tradunt, dum fundamenta ponere ſtudebant Dominicanorum proxi-

(1) Pauſan. libr. 5. cap. 17. pag. 421.
(2) Idem libr. 4. cap. 34. pag. 365.
(3) Hiſt. Acad. Pariſ. Inſcript. tom. 1. pag. 222.
(4) Maxim. Tyr. Diſſert. 26. pag. 271.
(5) Pauſan. libr. 4. cap. 34. pag. 365.
(6) Apul. Metamorph. libr. 10. pag. 346. edit. Pricæi.
(7) Phædr. Fab. libr. 3. fab. 17.
(8) Hiſt. Acad. Inſcript. Pariſ. tom. 1. pag. 220.
(9) S. Auguſt. De C. D. libr. 18. cap. 12.
(10) Pauſan. libr. 5. cap. 17. pag. 419.
(11) Montf. antiq. explic. tom. 1. tab. 83.
(12) Maff. Gemm. tom. 4. tab. 71.
(13) Euſtathius ad libr. 6. Iliad.
(14) Muſ. Juſtinian. tom. 1. tab. 1. 2. 3. 4.
(15) Ibi tom. 1. tab. 3.

proximæ ædis, quæ a Minerva ipſa denominationem traxit. Et Pauſanias (1) cum commendaret ſcriptis ſuis Endoeum Dædali diſcipulum, eum ſedentem Minervam feciſſe animadvertit; nec alterum hujus Deæ ſimulacrum, ſi bene memini, ſimiliter poſitum laudat.

Quomodocumque autem ſe res habeat, qui hujus Deæ imaginem expreſſere in magna ſunt varietate conſtituti, ut ex antiquis monumentis evincitur, in quibus aſpicitur ſexcentis expreſſa modis. Ipſa galea in unoquoque trium ſimulacrorum noſtri Muſei diverſa eſt, & quam auream reputavit Callymachus (2), unde Minerva χρυσεοπήληξ ab eo appellatur.

Hoc forte factum eſt eo quod ſculptores morem, veſtituſque rationem ſequuti ſint vel regionis unuſquiſque ſuæ, non enim ejuſdem civitatis, ſed nec ejuſdem regionis, aut provinciæ ſæpe erant artifices, vel morum eorum populorum, qui eam ſtatuam dicare volebant. In quadam gemma apud Begerum (3) eidem galeæ ſubnexæ ſunt alæ, & in alia ſerpens eidem inſidet (4), ex quo fortaſſe inventæ ſunt criſtæ, quibus ſtulte adeo, atque inſipienter tunc majores noſtri gloriabantur, quando ludicra illa haſtarum pugna certare ſolebant. Interdum hæc Dea Victoriolæ gerens ſimulacrum repræſentatur, ut in numiſmatibus Lyſimachi (5), Antiochi, Philopatoris, Seleuci Epiphanis Nicatoris. In nummis Domitiani (6) ſæpe fulmine armata cernitur, quo uſam aliquàndo fuiſſe ex Homero, Virgilio, & præſertim Plinio colligitur (7).

Orta hinc quæſtio eſt, num & ipſi Palladi proprium fulmen eſſet, an illud a Jove patre mutuata fuerit. In numiſmatibus vero Gortinenſium (8) anguem manu præfert, in nummis Atteæ (9) apud Smyrnas pateram tenet, & in iis familiæ Cloviæ (10) modo tropæum geſtat, modo olivæ ramum cum epigraphe PALLADI VICTRICI. Quandoquidem oleas exprimens (11), interdum clava pro haſta, ut in gemma Muſei (12) Florentini, armata exhibetur; non ſemel etiam radium tenet textorium, ut in ſtatua ejuſdem Muſei (13) de quo erudite ad modum diſputat Gorius. Hæc eſt Minerva *Ergane*, ſive operatrix, cujus meminere Pauſanias (14), & Plutarchus (15). Hæc Dea Romæ maxime colebatur, ea fortaſſe de cauſa, quod urbem tueri, atque curare diceretur. Scimus enim ex Plutarcho Palladis ſimulacrum extitiſſe hac inſcriptione ad ejus baſim appoſita a M. Tullio.

ΑΘΗΝΑΙ. ΡΩΜΗΣ. ΦΥΛΑΚΙ.

Minervæ. Romæ. ſervatrici (16).

Mi-

(1) Pauſan. libr. 1. cap. 26. pag. 62.
(2) Callymach. Hymn. in lavacr. Pallad. v. 43.
(3) Beg. Theſ. Brand. tom. 1. pag. 49.
(4) Idem ibid. pag. 244.
(5) Idem ibid. pag. 258.
(6) Idem ibid. pag. 638.
(7) Plin. Hiſt. nat. libr. 2. cap. 42.
(8) Beg. Theſ. Brand. tom. 1. pag. 400.
(9) Idem tom. 2. pag. 441. & Muſ. Flor. tom. 2. tab. 72.
(10) Idem ibid. pag. 548.
(11) Idem tom. 3. pag. 447.
(12) Muſ. Flor. tom. 2. pag. 24.
(13) Ibidem tom. 3. tab. 3.
(14) Pauſan. libr. 1. cap. 24. pag. 56.
(15) Plutarch. *Sympoſ.* libr. 2. quæſt. 2.
(16) Apud Murat. Theſ. Inſcript. tom. 1. pag. 54. num. 4.

Minervæ Medicæ templum in regione quinta a P. Victore (1) memoratur. Sed omnium celeberrimum ejus erat forum vel Pauſania (2) teſte, cujus nonnulla adhuc ſuperſunt veſtigia, quæ numquam ſatis deplorandam dolere nos cogunt ejus jacturam, incredibili eorum negligentiæ, atque incuriæ deputandam, qui omnino tantum monumentum ſervare debuerant. In multis, ac admirabilibus tum picturæ, tum architectonices operibus, quibus idem forum decorabatur, non pauca, eaque pulcherrima anaglypha conſpicienda erant, quæ in libro, cui titulus *Admiranda Urbis*, typis impreſſa ad nos pervenerunt, in quibus lanificii ars delineatur, quam Pandari filias docuiſſe Minervam tradit Homerus (3):

Ἔργα δ' Ἀθηναίη δέδαε κλυτὰ ἐργάζεσθαι

Opera autem Minerva inclyta docuit operari.

Cetera, quæ de habitu hujus Deæ adnotanda ſuperſunt, ſatius eſſe duco in ſingulis Muſei noſtri ſtatuis obſervare.

In tabula X. Minerva exhibetur ſumma quidem oris venuſtate, ſed quæ virilem gravitatem præ ſe fert, quapropter apud Latinos recte appellatur Virago. Galea perbelle ornata, atque ita fronti ſupereminens, ut eam nec tegat, nec inumbret, mirifice auget capitis decus, ac majeſtatem. Capilli ſuper humeros eleganter cadunt: pectus lorica breviore, quæ vix mammas pertingit, armatum eſt. In medio viſitur Gorgonis caput, totumque ſerpentum circumdatur capitibus in modum anuli intortis. Palla ad pedes defluente veſtitur, cui brevior alia ſuperponitur, quæ uſque ad latera deſcendit. Siniſtro brachio clypeum tenet: pedes vero ſandaliis calceantur. De forma, & cultu hujus, ceterarumque ejuſdem Deæ ſtatuarum rationem affert Phurnutus ſcribens (4): Καθωπλισμένη γὰρ πλάττεται, καὶ οὕτως ἱστοροῦσιν αὐτὴν γεγονέναι, παριστάντες ὅτι αὐτάρκως πρὸς τὰς μεγίστας καὶ δυσφορωτάτας πράξεις παρασκευάζεται ἡ φρόνησις. μέγιστα γὰρ δοκοῦσιν ὠφελεῖν οἱ ὡπλισμένοι. Διὰ δὲ ταύτην τὴν αἰτίαν καὶ τὸ ἔπανδρον καὶ γοργωπὸν αὐτῇ ἀνατεθέασι πολὺ ἔχειν, τοιαῦτόν τι ἐμφαινούσης καὶ τῆς γλαυκότητος αὐτῆς. Καὶ γὰρ τῶν θηρίων τὰ ἀλκιμώτατα, οἷον αἱ παρδάλεις καὶ οἱ λέοντες, γλαυκά εἰσι, δυσαντίβλεπτον στίλβοντα ἀπὸ τῶν ὀμμάτων. *Fingunt eam armis inſtructam, & armatam deſcendiſſe in hanc lucem. Indicat autem hoc figmentum, quod prudentia præparetur, & accingatur etiam ad maxima, & difficillima negotia. Nam milites armati plurimum nos juvant. Hac cauſſa moti veteres, ei virilitatem, & truculentiam affinxerunt: quod multum virilitatis, & animoſitatis, & truculentiæ ipſius oculorum glaucus color repræſentat. Feræ enim robuſtiſſimæ, ut ſunt pardi & leones, glaucos habent oculos: quorum ſplendor tantus eſt, ut eos quis non facile ex adverſo intueri poſſit.*

Denique omittendum non eſt, Heraclidem (5) Ponticum in eleganti ſuo opere de allegoriis Homeri, ſingulis Minervæ explicatis adtributis, &

(1) Publ. Vict. in Antiq. Rom. Grævii tom. 3. pag. 47.
(2) Pauſan. libr. 10. cap. 5. pag. 810.
(3) Homer. Odyſſ. libr. 20. v. 72.
(4) Phurnut. cap. 20.
(5) Heraclid. Pontic. Allegor. Homer. habetur inter Mytholog. Græc. edit. Amſtelad. 1688. p. 411.

& ornamentis, ſermonem hiſce verbis abſolvere: Καὶ τί δεῖ τὰ πολλὰ μηκύνειν; οὐδὲν, ἢ τελέως φρόνησις αὕτη. *Verum quid attinet prolixam orationem ſcribere? Nihil aliud Minerva eſt, quam perfecta prudentia.*

Signum Tab. XI. tum veſtitu, tum corporis ſtatu ſuperiori conſimile eſt. Illud tantummodo peculiare habet, videlicet galeam neſcio cujus animalis calvariæ inſtar efformatam, ut videre eſt etiam in ſimulacro Minervæ ædium Farneſiarum proxime majoris aulæ januam conlocato cujus galea ſcite admodum, & ex ingenio excuſa eſt. Crines ejus ſub eadem collecti ſunt. Tunica illi uſque ad talos demittitur, cui ſuperinduitur brevis quædam veſtis ſine manicis, ut in ſuperiore ſtatua, & in Tab. VI. XVI. XVII. XVIII. manicata vero uſque ad cubitum cernitur in Tab. XII. Hanc Ferrarius (1) *tuniculam pectoralem* appellat, cenſetque ei reſpondere, quæ ab Italis dicitur *colletto*, aut *accappatoio*. Sed eum errore duci opinor, cum Italicum *accappatoio* plus collo adhæreat, & magis illud operiat, nec niſi anteriore parte diviſum, apertumque ſit.

Minerva Tab. XII. in hoc a ceteris differt, quod & tunicam habeat ad cubitum uſque, uti dicimus, manicatam, galeam inornatam, & ægidem ſine ſerpentibus. Nihil moror de ſymbolis, quæ manu præfert, cum ſint opus recens.

Nec ſemper habitu bellico Dea hæc expreſſa eſt, quin Lucianus (2) ſtatuam Minervæ ſe teſtatur vidiſſe, cui: τὸ σχῆμα οὐ πολεμιστήριον, ἀλλ' οἷον ἂν γένοιτο εἰρήνην ἀγούσης θεοῦ πολεμικῆς: *habitus erat non bellicus; ſed qualis fuerit pacem agente Dea bellica.* Tandem referre placet, Lucianum (3) eumdem Minervæ picturam aſpexiſſe, in qua hæc Dea Vulcanum amatorem fugiebat, quem ex eodem auctore (4) habemus etiam Palladis amore captum fuiſſe ſtatim ac hæc e capite Jovis patris ſui exilivit.

(1) Ferrar. Analect. de re veſt. libr. 3. cap. 9.
(2) Lucian. De domo §. 26.
(3) Idem ibi §. 27.
(4) Dialog. Deor. VIII.

APOLLO

TABULA XIII. XIV. ET XV.

APollinis ſtatuas prope innumeras apud Veteres fuiſſe ex eo colligitur maxime, quod trium præcipue facultatum inventor ac præſes ab iiſdem ſit reputatus. Primo quidem artis divinatoriæ, & oraculorum, quibus ſupra modum homines delectantur, futura prænoſcendi maxime cupidi. Secundo medicinæ, quæ non minore in pretio ac valetudo habetur: tertio muſicæ, ac poëſeos, quibus facultatibus vel impolitiores, rudioreſque homines recreantur. Alia plura ejus attributa memorat Plutarchus (1) his verbis: Ἐπεὶ καὶ φίλαθλος ἄλλως καὶ φιλόνεικος ἡμῖν ὁ θεὸς αὐτὸς ἐν κιθαρίσει καὶ ᾠδῇ, καὶ βολαῖς δίσκων. ὡς δ' ἔνιοι φασὶ καὶ πυγμῇ ἁμιλλώμενος ἀνθρώποις· ἢ προυσαμμύων ἀγωνιζομένοις, ὡς Ὅμηρος ἐμαρτύρησε *Alioquin enim iſte Deus ſtudioſus eſt certaminum, de cytharam pulſando, de cantu, de diſci jactu, & (ut nonnulli putant) etiam pugillatione. Idem hominibus certantibus opem fert, quod teſtatur Homerus.* Atque ut ſubjungit idem Plutarchus, ejus quoque ope vincebant ſagittarii, & ſcopum in certaminibus ferire dicebantur. Quibus ex rebus omnibus univerſim veneratione dignus habebatur, quare mirum eſſe non debet, quum cetera antiquitatis monumenta deperierint, tot tantaſque ipſius adhuc ſtatuas ſupereſſe, quæ non ſolum in templis, lociſque ſacris, ſed etiam ut ſcribit Svetonius (2), in bibliothecis, viis, ac foris illi ponebantur. Præterquamquod Cicero (3) non unum, ſed quatuor Apollines numerat. Pauſanias vero numinis hujus diverſa cognomina recenſet, quæ illi fuerunt attributa, quorum quum modo uni, modo alteri ſimulacra decernerentur, exinde factum eſt, ut illa in infinitum fuerint multiplicata. Quomodo autem effingi idem a Veteribus conſueverit libentius lectores ex elegantiſſimis Tibulli (4) carminibus, quam ex me audient:

Hic juvenis caſta redimitus tempora lauro &c.
Non illo quicquam formoſius ulla priorum
Ætas, humanum nec videt illud opus.
Intonſi crines longa cervice fluebant,
Stillabat Tyrio myrrhea rore coma.
Candor erat, qualem præfert Latonia Luna,
Et color in niveo corpore purpureus &c.
Ima videbatur talis illudere palla;
Namque hæc in nitido corpore veſtis erat.
Artis opus raræ fulgens teſtudine, & auro,
Pendebat læva garrula parte lyra.

(1) Plutarch. Sympoſ. libr. 8. cap. 8. quæſt. 4.
(2) Suet. in Tiber. cap. 74. num. 1.
(3) Cic. De nat. deor. libr. 3.
(4) Tibull. libr. 3. eleg. 4. v. 35.

A Maximo Tyrio (1) talis deſcribitur, qualis a celeberrimo Phidia exculptus fuit, videlicet: Μειράκιον γυμνὸν ἐκ χλαμυδίου, τοξότην, διαβεβηκότα τοῖς ποσὶν ὥσπερ θέοντα: *Adoleſcentulum, qui e clamyde nudum latus oſtendit, cum arcu, & ſagittis, pedibuſque paululum currentis in modum diductis*; ſecundum Daviſii Latinam verſionem; ſed textus Græcus aptius fortaſſe verti poterat: *Adoleſcentulum clamyde nudatum, ſagittarium, qui currentis in modum pedes figit*. Propria autem hujus numinis etiam fuit, teſte Phurnuto (2) adoleſcentia, inquit enim: Βούπαιδος δ᾽ ἡλικίαν ὁ Ἀπόλλων ἔχει. *Puberem ætatem Apollo habet*. Attamen a Veteribus, quemadmodum cetera numina ipſe etiam rudis effingebatur: Ἔστι καὶ Ἀπόλλωνος ἄγαλμα τοῦ τῶν ἑρμῶν τῶν τετραγώνων τέχνην. *Apollinis quoque ſtatua exculpta erat forma quadrata, quemadmodum hermæ*, ut ait Pauſanias (3). Plura hujuſce Dei ſigna apud Græcos illuſtria fuere. Unum erat Laconiæ (4) in templo Hilariæ, & Phœbes, ejuſdem Apollinis filiarum, quod tunica, vel recente ſubucula quotannis induebatur, quam matronæ quædam huic operi deſtinatæ texebant. Contra vero Epidauri (5) ligneus Apollo colebatur, qui nudus omnino erat. Alter quoque (6) Egiræ veteris artificii, ejuſque altitudinis, quæ naturæ modum excederet. In quodam Achajæ (7) templo hujus numinis ſtatua ceteroquin nuda, pedes tantummodo calceatos habebat, quorum unus bovis calvariæ inſiſtebat. Num autem ex hac re, quod nempe ſignum hoc calceis ſit indutum, conſuetudo illa originem trahere poſſit, quæ legitur in Pſeudolo Apolline Varronis (8): *Quod in ejus Dei templo calceati introeunt, nam in oppido, quæ eſt ædes Apollinis, & qui ibi ad Herculis ut, introeat, nemo ſe excalcietur*; viderint eruditi. Quod ad bovis calvariam ſpectat, quam memoratum Apollinis ſignum pede premebat, armenta videtur deſignaſſe, quibus Deus hic delectabatur, ut ex Alcæo colligitur (9) in hymno, quem de laudibus Mercurii compoſuit, ubi loquitur de bobus, quos hic Deus Apollini eripuit, ad quos Horatius (10) etiam, aliique multi alludunt.

Idem Apollo in ſtatua apud Arcades, canens, & citharam pulſans expreſſus eſt, cujus inventor reputabatur, quemadmodum tradit Pauſanias (11): Ἑρμῆν λύρας, Ἀπόλλωνα δὲ εὑρετὴν εἶναι κιθάρας, Ἑλλήνων ἐστὶν ἐς αὐτοὺς λόγος *Fama eſt inter Græcos, Mercurium lyram, Apollinem citharam inveniſſe*. Quod vero communis moris fuerit, ut in hunc modum exprimeretur, teſtatur Arnobius (12) his verbis: *Cum plectro, & fidibus Delius cithariſtæ geſtus ſervans cantatur, & nænias hiſtrionis*. Porro in Attica (13) ſimulacrum ejuſdem erat ornatum faſcia, ſeu diademate, quod illi comam

(1) Maxim. Tyr. Diſſ. 26. pag. 270. edit. Londin. anni 1708. in 8.
(2) Phurnut. cap. 32.
(3) Pauſan. libr. 8. cap. 32. pag. 666.
(4) Idem libr. 3. cap. 16. pag. 247.
(5) Idem libr. 2. cap. 30. pag. 180.
(6) Idem libr. 7. cap. 26. pag. 592.
(7) Idem ibi cap. 20. pag. 574.
(8) Varr. apud Nonium in v. *Excalceatur*.
(9) Alcæus apud Pauſan. libr. 7. cap. 20. pag. 574.
(10) Horat. libr. 1. od. 10. Auctor. Hymn. in Mercur. Orph. Argon. v. 13. Eurip. prolog. Alceſt. Ovid. Metamorph. libr. 2. Tibull. libr. 3. eleg. 4. Apollod. libr. 3.
(11) Pauſan. libr. 5. cap. 14. pag. 413.
(12) Arnob. libr. 1. cap. 8. pag. 20.
(13) Pauſan. libr. 1. cap. 8. pag. 20.

comam cingebat. In quodam templo Phocidis in actu (1) cervæ capiendæ repræſentabatur, & denique in antro Termiſonio (2) accedentes ad ſe veneratione quadam, & ſpiritu afflabat, quod fortaſſe ſignificare videtur B. Auguſtinus (3) ita ſcribens: *Nec enim altus Apollo eſt; qui in ſpeluncis, in montibus, in nemoribus nidore thuris, pecudumque calamitate concitatus implet inſanos*. Abæi (4) hunc Deum ſtantem, Megalopolitani (5) in ſolio ſedentem effinxerunt, ut in gemma apud Begerum (6). Hic Apollo duodecim pedes altus erat, ille vero Delphicus, qui Sitalca appellabatur, cubitos triginta quinque (7). In veteribus monumentis, quæ vorax tempus non abſumpſit, interdum nudus, quandoque veſte indutus occurrit, ut ex dictis partim colligi poteſt. Differt etiam in capitis ornamentis; nam pileo (8) interdum ornatur, eo interdum caret (9), ut videre eſt in gemma quadam apud Borionium, quam erudite Rodulphinus Venutus illuſtravit. Modo etiam (10) ſpicea, modo radiata (11) redimitur corona. Mirum eſt, nullam ab his auctoribus mentionem fieri laurei ſerti, quo ipſe coronabatur, cujus rei cauſam pluribus affert Cælius (12) Rhodiginus. Hoc, veluti ejus numinis geſtamen, ſecum Chryſes ad exercitum Græcum adduxit. In Commodi Numiſmate (13) nudus bigis inſiſtens, & ſagittas jaculans exprimitur. In numiſmatibus pariter Antonini Pii longo pallio, ferme muliebri ornatur, altera manu citharam, altera pateram tenens cum inſcriptione (14) APOLLINI AVGVSTO. In numo Demetrii (15) Soteris dextra manu jaculum habet, læva cornucopiæ, ut in gemma Muſei Florentini (16); quod fortaſſe una cum ſpicis paulo ſupra commemoratis reſpicit ad ubertatem, quæ terræ a ſole provenit. Hic enim idem eſt, qui ſol, ut plane credidere Orpheus ex teſtimonio Eratoſthenis (17), Plato (18), Cicero (19), Plutarchus (20), Macrobius (21), Phurnutus (22), aliique, quamvis ab his Varro (23), & Lucianus (24) diſſentiant. Hodierni antiquitatis ſtudioſi in hanc opinionem, ut firmiore innixam fundamento, concurrunt. Banierius tamen (25) poſteriorum ſententiam ſequutus eſt, cujus in confirmationem nonnullas refert inſcriptiones, qui ſi locum, unde eas deprompſerit, notaſſet, profecto lectorum animos ſibi devinxiſſet, illoſque faſtidio levaſſet eaſdem inquirendi. Sed forſitan hæ inſcriptiones nullibi reperiuntur nec extant: & vere adfirmare ego poſſum, omni

 licet

(1) Pauſan. libr. 10. cap. 13. pag. 829.
(2) Idem libr. 10. cap. 32. pag. 878.
(3) S. Auguſt. De ordine libr. 1. cap. 4. num. 10.
(4) Pauſan. libr. 10. cap. 35. pag. 888.
(5) Idem libr. 8. cap. 32. pag. 667.
(6) Beg. Theſ. Brand. tom. 2. pag. 736.
(7) Pauſan. libr. 10. cap. 15. pag. 833.
(8) Muſ. Borion. tab. 32.
(9) Ibi tab. 31.
(10) Montf. Antiq. explicat. tom. 1. tab. 103.
(11) Euſtath. in Homer. Iliad. libr. 1.
(12) Cœl. Rhodig. Antiq. lection. libr. 5. cap. 7.
(13) Beg. Theſ. Brand. tom. 3. pag. 126.
(14) Idem ibi tom. 2. pag. 264.
(15) Idem ibi pag. 736., & 740.
(16) Muſ. Florent. tom. 1. tab. 66. num. 7.
(17) Eratoſt. Cataſterſim. cap. 24.
(18) Plat. in Ion. pag. 363. edit. Francofurti 1602.
(19) Cic. De nat. deor. libr. 2. ſſ. 17.
(20) Plutarch. De EI. apud Delph. pag. 393. edit. Pariſ. 1624.
(21) Macrob. Saturn. libr. 1. cap. 21.
(22) Phurnut. De nat. deor. cap. 38.
(23) Varr. de L. L. pag. 19. edit. Amſt. 1632.
(24) Lucian. De dea Syr. ſſ. 33. & 34.
(25) Banier. Mitholog. tom. 4. libr. 1. cap. 14.

licet adhibita diligentia, eaſdem tamen ne in celebrioribus quidem collectionibus me inveniſſe. Neque illius fidei acquieſcendum eſt, cum in hanc rem cujuſdam anaglyphi mentionem habeat inter *Admiranda Urbis* extantis, in quo Apollinem a ſole diſtingui ait; ſed falſo; deeſt enim in eo Apollinis figura, ut quiſque facile per ſe videre poteſt. Scriptores tantummodo nominavi, qui auctoritate ipſa nos frangunt; at ut brevitati conſulerem verba illorum referenda minime exiſtimavi. Non poſſum tamen quin Heraclidis (1) Pontici locum exſcribam brevem ſimul & decretorium; ait itaque: Ὅτι μὲν τοίνυν ὁ αὐτὸς Ἀπόλλων ἡλίῳ, καὶ θεὸς εἷς δυσὶν ὀνόμασι κοσμεῖται, σαφὲς ἡμῖν ἔκ τε τῶν μυστικῶν λόγων, οὓς αἱ ἀπόρρητοι τελεταὶ θεολογοῦσι. καὶ τὸ δημῶδες ἄνω καὶ κάτω θρυλλούμενον, ἥλιος Ἀπόλλων, ὁ δέ γε Ἀπόλλων ἥλιος. *Apollinem idem eſſe ac ſolem, ipſumque Deum binis appellari nominibus ſcimus ex myſticis orationibus adhiberi ſolitis in arcanis ritibus, & etiam ex dicto, quod in omnium ore verſatur, Apollo eſt ſol, ſol Apollo.* Denique in numiſmatibus Pellæis (2), in quibus nudus exhibetur, altera manu citharam, altera geſtat faſciculum ramorum olivæ. Begerus (3) gemmam unam refert, in qua hic Deus Marſyæ pellem detrahens, & alteram qua canere fiſtula repræſentatur (4). Hujus imaginem exhibet Monſoconius (5), in qua omnino nudus, & pede arietis premens caput apparet. Quid ſibi velit aries aliqua ratione interpretari poſſet, præſertim cum juxta Apollinem in Mileſiis numiſmatibus reperiri videatur, (6) ſed fieri etiam poteſt ut erraverit, qui illam tabulam vel delineavit, vel incidit, cum aliæ multæ erroribus non careant. Fortaſſe etiam hujuſmodi caput recenter, & pro arbitrio inſtauratum eſt, quod neque inciſor, neque Monſoconius ipſe notavit. Aldrovandus cujuſdam Apollinis (7) ſigni meminit, quod ſuis temporibus in atrio noſtri Capitolii exiſtebat, quodque juxta ſe canem diminutum capite habebat. Hoc animal Apollini congruebat, qui Regis Admeti, & Laomedontis paſtor extiterat, ad quod alludit Homerus (8) illo carmine:

Φοῖβε σὺ δ᾽ εἰλιπόδας ἕλικας βοῦς βουκολέεσκες.

Phœbe tu vero flexipedes nigros boves paſcebas,

quia veteres τὴν τῶν ποιμνίων ἐπιμέλειαν ανέθηκαν αὐτῷ. *pecudis curam illi commiſerunt*, ut ait Phurnutus (9), & idcirco eundem etiam appellabant λυκοκτόνον hoc eſt *luporum occiſorem*. Idem mentionem quoque fecit cujuſdam ſtatuæ in ædibus Bufalianis, quæ ſecus pedes cycnum habebat, avem huic numini ſacram ob ſuavitatem cantus, cui ipſe Apollo præerat, obque pennarum candorem, quod Phurnutus (10) his verbis confirmat: Διὰ τοῦτο καὶ ἱερὸς αὐτῷ ὁ κύκνος τῷ μυσικώτατον καὶ λευκότατον ἅμα εἶναι τῶν ὀρνέων. *Propterea cycnus ei quoque ſacer erat, quod ceteras omnes aves*

(1) Heraclid. Pontic. De allegor. pag. 416. edit. Amſt. 1688. inter Mithologos Græcos.
(2) Beg. Theſ. Brand. tom. 2. pag. 736. & 740.
(3) Idem ibi tom. 3. pag. 196.
(4) Idem ibi tom. 1. pag. 24. & Du-Wilde in Nummis Pellæis.
(5) Monſ. Antiq. explic. tom. 1. tab. 104.
(6) Beg. Theſ. Brand. tom. 1. pag. 104.
(7) Aldrov. Stat. antich. pag. 271.
(8) Homer. Iliad. libr. 1. v. 448.
(9) Phurnut. De nat. deor. cap. 32.
(10) Idem ibi.

aves cantu, atque candore ſuperaret. Statuam aliam denique commemorat in Quirinali horto clariſſ. Cardinalis Carpenſis, cui ad pedes avis erat, qui (1) Aldrovando anſer viſus eſt, ſed cycnus pariter eſſe poterat attritus, & diuturnitate temporis conſumptus.

In numiſmatibus Tenedi (2) Apollo manu bipennem tenens conſpicitur. In binis gemmis Muſei Florentini (3) ſtans reperitur, citharam pulſans, quæ feminæ, manu arcum geſtantis, capiti inſiſtit. V. C. Gorius opinatur per hanc exprimi Dianam, vel humanam animam cantui attentam, & a ſenſibus abductam ob harmoniæ ſuavitatem, ad quam ex natura rapitur: Τὴν δὲ μουσικὴν οἰκειοτάτην οὖσαν τῇ ψυχῇ *muſicam animæ familiariſſimam*, ut inquit vetus anonymus (4) Scriptor Homeri vitæ. Et hæc voluptas, qua anima a ſonu afficitur, expreſſa videtur in altera gemma dicti Muſei (5), ubi papilio, ſymbolum interdum animæ, citharæ inſiſtens conſpicitur. Verum dici etiam poſſet illud ſigillum Muſam aliquam repræſentare, cujus in manu Apollo ſuum arcum dederit, donec cantui finem imponeret; idque convenientius videtur, quam ſi hunc tradidiſſet Dianæ ejus ſorori, ſibique æquali Deæ, in quam ipſe nullam poteſtatem gerebat; quare res prorſus a decoro aliena eſſet ſi hæc dea operam adeo humilem & abjectam Apollini præberet, & adeo ſervili forma expreſſa cerneretur. Contra vero multum imperii, & auctoritatis in Muſas, ut earum numen ac præſes habebat, ut ex illo potiſſimum colligitur dyſtico inciſo ſub Apolline circumdato Muſis anaglyphice exculptis in arca Cypſeli (6):

Λατοΐδας οὗτος τάχ' ἄναξ ἑκάεργος Ἀπόλλων·
Μοῦσαι δ' ἀμφ' αὐτὸν χαρίεις χορὸς, αἷσι κατάρχει.
En pater hic vatum proles Latonia Apollo,
Muſarumque chori circum, quibus imperat ille.

Quapropter ſi cui nimis ἀλληγορικὸν, nimiſque a ſenſibus remotum videatur memorati ſigilli arcum manu tenentis interpretatio qua humana anima ibi creditur expreſſa, videat num hæc noſtra ei magis arrideat, ita tamen ut rem in medium relinquamus, neque pronuntiare audeamus, binas ingenioſe propoſitas conjecturas ab eruditiſſimo Gorio non eſſe ſimiles vero, qui aliam pariter gemmam (7) adfert, in qua Apollo ante ſerpentem, & corvum ſtans viſitur; quod fortaſſe innuit ipſum de vaticinii præſtantia cum ſerpente contendiſſe, ut Plutarchus docet (8). Corvus vero, prout Eratoſthenes (9) ſcribit, Apollini conveniebat: Τιμὴν γὰρ ἔχει ὁ κόραξ παρὰ τῷ Ἀπόλλωνι· ἑκάστῳ γὰρ τῶν θεῶν ὄρνεόν ἐστι. *Ab Apolline honore afficitur corvus propterea quod unicuique deorum avis quædam propria eſt*. Sed quia, ut recte inquit Callimachus:

Δηναιοι

(1) Aldrov. ibi pag. 305.
(2) Beg. Theſ. Brand. tom. 3. pag. 196.
(3) Muſ. Florent. tom. 1. tab. 66. num. 5.
(4) Inter Mytholog. Græc. pag. 361.
(5) Muſ. Florent. tom. 2. tab. 96. num. 6.
(6) Pauſan. libr. 5. cap. 18. pag: 423.
(7) Muſ. Florent. tom. 1. tab. 66. num. 6.
(8) Plutarch. De oraculis pag. 417.
(9) Eratoſth. Cataſt. cap. 41.
(10) Callimach. Hymn. Jovis v. 60.

Δηναιοὶ δ' οὐ πάμπαν ἀληθέες ἦσαν ἀοιδοί,

Quum numquam priſci cantarint vera poetæ,

illi opponitur Phurnutus (1), quamvis ſumpta ex poëtis materia univerſum ſuum opus compoſuerit: Ὁ δὲ κόραξ ἀλλότριος, διά τε τὸ μιαρὸς εἶναι, καὶ διὰ τὴν χροιάν *Ab Apolline corvus avis eſt alienus, & impuritate, & colore*. Sed utroque modo referri ad Apollinem poteſt, & ſi ſecundo, pertinebit ad eum, quemadmodum ad Bacchum caper attinet, quod vitibus ſit inimiciſſimus.

Inter ſtatuas muſei Medicæi Apollinis ſimulacrum facem manu tenens reperitur, niſi fortaſſe per hoc Ptometheus (2) repræſentetur, qui ignem e cœlo attuliſſe creditur, licet clariſs. Gorius inficias eat. Aliud conſpicitur ſedens, quod pede teſtudinem calcat.

Noſtri Muſei ſtatuæ nullo ſingulari diſtinguuntur ſymbolo, excepta illa Tab. XIII. ſumma tamen æſtimatione dignæ ſunt, quum ſint opera Græca, mirabili artificio elaborata. Illa memoratæ Tab. XIII. non longe a Tibure in quadam ſulphuris fodina inventa fuit. Apollinem exhibet adoleſcentem, pulchris capillis iiſque collectis ſuper caput, cui dextram manum ſuperponit, lævaque ſuſtentat citharam, cujus forma notatu digna eſt; de qua verba non faciam, quum alibi pluribus diſſeruerim (3). Idem vultum ad cœlum convertit, a quo furorem, noſtrumque poëticum expectare videtur. Prorſus nudus hic eſt, & ſiniſtra parte tantummodo pannum habet, a quo humerus, & nonnihil brachii obtegitur, cujuſmodi ſunt bina illa hujus numinis ſimulacra ab Aldrovando (4) commemorata. Ad lævam pariter ſecus pedes gryphum habet, cujus pars antica refecta eſt. Non fabuloſum, ſed verum creditum eſt hoc animal a Philoſtrato (5), qui de ipſo ſcribit: Γρύπες δὲ Ἰνδῶν, καὶ μύρμηκες Αἰθιόπων, εἰ καὶ ἀνόμοιοι τὴν ἰδέαν εἰσίν, ἀλλ' ὅμοιά γε ὥς φασι βούλονται. χρυσοῦ γὰρ φύλακες ἐν ἑκατέρα ᾄδονται τὸ χρυσόγεων τῶν ἠπείρων ἀσπαζόμενοι. ἀλλὰ μὴ πλείω ὑπὲρ τούτων. *Gryphi Indorum, & formicæ Æthiopum, quamvis forma diſſimiles ſint, hoc tamen commune habent, ut in utroque loco auri ſint cuſtodes.* Sed a Phurnuto (6) ficta animalia potiore jure creduntur.

In altero ſigno Tab. XIV. exprimitur hoc numen nulla pariter veſte indutum. Calamiſtrati ejus, & promiſſi capilli duplici diſcrimine ferme ad pectus deſcendunt, & circum caput diademate devinciuntur. Celebris erat pulchritudo comæ Phœbi, & Bacchi, quare de venuſtis cujuſdam capillis ſic cecinit poëta (7):

Formoſæ periere comæ, quas vellet Apollo,
Quas vellet capiti Bacchus ineſſe ſuo.

Altera manu jaculum geſtat, alteri tribuendus eſſet arcus, ſed cum brachia recentis ſint artificii, quibus hæc antea ſymbolis ornata fuerit neſcimus.

Tabu-

(1) Phurnut. cap 32.
(2) Muſ. Florent. tom. 3. tab. 9.
(3) Roma Subterranea. tom. 2. pag. 57. edita Romæ 17
(4) Aldrov. Statue Rom. pag. 286. & 305.
(5) Philoſtrat. Vit. Apollon. libr. 6. cap. 1.
(6) Phurnut. cap. 32.
(7) Ovid. Amor. libr. 1. eleg. 14. v.

Tabula XV. Apollinem exhibet innixum trunco, ætate adoleſcentulum, quemadmodum effingi ipſe conſueverat, ſicuti tradit B. Auguſtinus (1). Nulla peculiari diſtinguitur nota, aut ſymbolo, præterquam cycnum ſecus pedes habet, ex quo repræſentari Apollinem antiquitatis ſtudioſi arbitrati ſunt, quia hæc avis cantu in primis præſtabat, ut auctor eſt Ælianus (2), quamvis ille rem in dubium revocare plane videatur: Ὅτι δὲ εἰσι φιλῳδοὶ (κύκνοι) τοῦτο μὲν ἤδη καὶ τεθρύλληται. Ἐγὼ δὲ ᾄδοντος κύκνου οὐκ ἤκουσα, ἴσως δ᾽ οὐδὲ ἄλλος. *Quod vero cantandi ſint ſtudioſi, id quidem vulgatum eſt. Ego vero cycnum nunquam audivi canere, fortaſſe neque alius.* Et in hiſtoria (3) animalium pariter inquit: Ὅπως μούσης τε καὶ ᾠδῆς ἔχει, εἰπεῖν οὐκ οἶδα· πεπίστευται δὲ ὑπὸ τῶν ἄνω τοῦ χρόνου, ὅτι τὸ κύκνειον οὕτω καλούμενον ᾄσας, εἶτα ἀποθνήσκει. *Quid muſica vel cantu poſſint, non habeo quod adfirmem: veteres tamen perſuaſum ſibi habuerunt, cycnea, ut appellant, modulatione decantata mox eum expirare.*

Neque his admodum diſſimilia ſcribit Philoſtratus (4), ubi de phoenice loquitur, quæ conſtructo nido ſe ipſam comburit, & moriendo argute canit: Τουτὶ δὲ καὶ τοὺς κύκνους φασὶ δρᾶν οἱ σοφώτερον αὐτῶν ἀκούοντες. *Hoc vero & cycnos facere perhibent, qui eis arte debita auſcultavere.*

Vel ſolum ob cantus ſuavitatem Apollini cycnos ſacros eſſe exiſtimandum foret, ſed Hecateus Abderitas, aliique Scriptores inſuper narrant apud Hyperboreos, quando ſacra Apollini conficiuntur, ingentem cycnorum vim e viciniis Ryphæis montibus deſcendere, & ambitu templi conſiſtere, ipſoſque, dum a cantoribus, & lyriciſtis hoc numen celebratur, ad harmoniam quoque canere, & abire completo ſacrificio, & commemoratus Ælianus (5) ait: Κύκνος ὅνπερ οὖν καὶ θεράποντα Ἀπόλλωνος ἔφησαν ποιηταὶ καὶ λόγοι μέτρων ἀφειμένοι πολλοί. *Cycnus, quem non ſolum poetæ, ſed multi etiam ſolutæ orationis Scriptores, Apollinis miniſtrum faciunt.* Et alibi eos canoros dicit, & Apollini dicatos eſſe affirmat, quum nihilominus parum curentur ab Indis. Nec deſunt alii numero plures, iique graviſſimi Scriptores, qui cycno cantus ſuavitatem tribuere, inter quos Macrobius (6) quum vel luſciniæ comparat: *Quid mirum ſi inter homines muſicæ tanta dominatio eſt, quum aves quoque, ut LVSCINIÆ & CYCNI aliæve id genus, cantum veluti quadam diſciplina artis exerceant.*

DIA-

(1) S. Agoſt. De C. D. libr. 6. cap. 7.
(2) Ælian. Var. Hiſt. libr. 1. cap. 14.
(3) Idem Hiſtor. anim. libr. 2. cap. 32.
(4) Philoſtr. Vit. Apoll. libr. 3. cap. 14. in fine, & libr. itidem 3. cap. 49. pag. 135. edit. Olearii.
(5) Ælian. Hiſtor. anim. libr. 2. cap. 32.
(6) Macrob. De ſomn. Scip. libr. 2. cap. 3.

D I A N A

TABULA XVI. XVII. ET XVIII.

ÆSchylus quidam Græcus homo, ab Ægypto, quo ſe contulerat ad ſtudiorum, bonarumque artium, quibus Regnum illud tunc temporis maxime florebat, præcepta haurienda, in patriam reverſus, popularibus ſuis notas fecit recentiores Ægyptiorum de theologicis inſtitutis opiniones, & inter alias retulit, Dianam non Latonæ, ſed Cereris quidem filiam fuiſſe, ut refert Pauſanias (1). Verum quomodocumque res ſe habeat, uſque ad extrema idololatriæ tempora Dea hæc habita fuit ſoror Apollinis, qui e Latona natus erat. Peculiari eam cultu proſequuti ſunt non tantum Græci, quos inter nota ſunt Brauronia feſta (2) quæ in ejus honorem quotannis indicebantur, & in quibus capra ſacrificabatur, & illa divinæ Iliadis pars canebatur, quæ Dianæ opera commendat: verum etiam Romani, qui ejus natalem diem (3) celebrabant, poſtridie Nonas Apriles, quamvis quoque November menſis in ejus eſſet tutela, quo etiam menſe ejus numini, & fratris Apollinis conſecrata feſta ſæcularia, ad exitum uniuſcujuſque ſæculi; Romani, ea pompa, quæ illos rerum dominos oſtenderet, perſolvebant. Magnam ei famam virginitas ſua conciliavit, cui tamen doti detrahit Lactantius (4). Præter hæc magni eam nominis Deam reddebat patrocinium, quo montes & nemora tuebatur, ut diceretur (5):

Montium cuſtos, nemorumque virgo.

Portus etiam maritimi in ejus cuſtodia erant teſte Callimacho (6): quamobrem mirum non eſt ſi inter favorabilia nautis numina reponebatur, unde in epigraphe quadam REGINA VNDARVM (7) vocatur, & ab Arthemidoro (8) Λιμνάτις dicitur, quamvis putarem legendum ibi eſſe Λιμενία, vel Limneſia, quum ita a Servio appelletur (9) Venus. Innumera autem ſimulacra, innumeraſque hujus Deæ imagines Romæ fuiſſe neceſſe eſt credere; cum tot, tantarumque nobis ab antiquis auctoribus notitia ſervetur, & cum plurimæ barbarorum, & imperitorum ſævas effugerint manus, & ad noſtra uſque tempora illæſa pervenerint. Peritiores tam picturæ, quam ſculpturæ artifices Deam hanc ſæpiſſime repræſentarunt eo modo, quo a populorum ſuperſtitione credebatur incedere, vel ea corporis forma, quam illi tribuebant poëtæ, qui pulcherrimas comas, ſummamque in ſagittandi arte peritiam

(1) Pauſan. libr. 8. cap. 27. pag. 676.
(2) Heſychius & Suidas in voce Αρτεμις.
(3) Tommaſ. De donar. cap. 9.
(4) Lactant. Inſtit. divin. libr. 1. cap. 17.
(5) Horat. libr. 3. Od. 22. v. 1.
(6) Callimach. Hymn. Dianæ v. 39.
(7) Gruter. Inſcript. pag. 37. num. 8.
(8) Arthemid. libr. 2. cap. 40.
(9) Serv. In Virgil. Æneid. libr. 1.

ritiam tantis laudibus efferebant (1). Diligentiſſimus Junius in libro quem *De pictura veterum* inſcripſit, viginti ſex vel pictas, vel ſculptas, hujus Deæ refert imagines, quorum operum nomina artificum, veteres nobis reliquerunt auctores. Apelles pictorum facile princeps eam pinxit Nympharum choro mixtam, & ſacrificantem, eaque fuit operis hujus excellens elegantia, quod ſi Plinio (2) fides habenda, putatum eſt ab ea vinci Homeri (3) carmina, quæ Deam eo ſitu deſcribunt. Phidias eam ſculpſit adeo elegante oris venuſtate, ut Petronius (4) volens elegantiſſimum feminei oſculi exemplar producere, dixerit: *Et oſculum quale Praxiteles habere Dianam credidit*. Artifex hic (5) ſtatuam Deæ perfecit naturali ſtatura proceriorem, cui manu facem tenenti, pharetra ab humeris dependebat, & ad ejus pedes ſtabat canis. Menecmus (6), & Soidas ambo efformarunt pulcherrimum Dianæ Laphriæ ſignum, in quo ſpectabatur Dea venatica veſte induta, quæ tamen ex ebore, & auro confecta erat. Quamvis una ex Deabus virginibus eſſet, dum venabatur, ſuccincta ad genua veſte utebatur. Id eam in votis habuiſſe teſtatur Callimachus (7).

> . . . . δός μοι
> Φαες φορίηντε, καὶ ἐς γόνυ μέχρι χιτῶνα
> Ζωνυσθαι λεγνωτὸν ἵν ἄγρια θηρια καίνω
> . . . . *da mihi*
> *Lucem ferre, uti ſuccincta ad genua veſte*
> *Fimbriata, dum agreſtes venor feras.*

Et Ovidius (8):

> *Talia pinguntur ſuccinctæ crura Dianæ;*
> *Quum ſequitur fortes fortior ipſa feras.*

In ædibus Laurentii Ridolfi, ut ait Aldrovandus (9): *E' una Diana veſtita da cacciatrice co' panni corti, e tiene la mammella dritta ſcoperta. E' queſta una ſtatua belliſſima, e di qualche eccellente arteſice.*

Verum artifices, qui venationis ſtudium, quo hæc Dea afficiebatur, & virginitatis ſuæ curam volebant ſimul oſtendere, longa, & ad pedes demiſſa virginea palla eam effingebant indutam, ut erat Dianæ ſtatua, quam memorat Pauſanias (10). Immo ea Deæ hujus monumenta, quæ tempus edax rerum ad nos uſque tranſire reliquit, illam hoc ornatu exhibent, ut inferius obſervabimus.

Sed alia quoque plura ei antiqui artifices ornamenta tribuere. Aregon (11) grypho innixam pinxit, quod animal fratri ejus Apollini gratum erat. Quum vero cuſtodiæ ſit ſymbolum, fortaſſe ei additus erat ad cuſtodiendam numquam ſatis bene cuſtoditam virginitatem. Eadem de cauſſa dici poteſt duos ejus Deæ ſtatuæ, quam vidit Pauſanias (12), dracones appoſitos. Pharetra illi ab humero dependebat,

E

(1) Homer. Odyſſ. libr. 20. v. 80. & 197.
(2) Plin. Hiſtor. nat. libr. 35. cap. 10.
(3) Homer. Odyſſ. libr. 5. v. 102.
(4) Petron. Arbitr. Satyric. cap. 126.
(5) Pauſan. libr. 10. cap. 37. pag. 892.
(6) Idem libr. 7. cap. 58. pag. 669.
(7) Callimach. Hymn. in Dian. v. 11.
(8) Ovid. Amor. libr. 3. eleg. 2. v. 32.
(9) Aldrov. *Statue di Roma* pag. 229.
(10) Pauſan. libr. 2. cap. 30. pag. 180.
(11) Strab. libr. 8. pag. 343.
(12) Pauſan. libr. 8. cap. 37. pag. 676.

bat, canis ſecus pedes erat, dextra facem gerebat, læva dracones moderabatur. Ea in arca celeberrima, quam Cypſelides (1) in Olympia dedicarunt, alas habebat: dextera parte illi adſtabat leo, ſiniſtra panthera, quarum belluarum cæde maxime venatores delectantur. Non hic ſermonem inſtituam de præclaro Dianæ Epheſiæ ſigno, quum in hoc volumine nulla ſint ſimulacra, quæ ſub hoc nomine illuſtranda veniant.

Quæ tandem Dianæ ſuperſunt ſtatuæ, gemmæ, numiſmata, ceteraque monumenta aliquam in ejus ornatu differentiam monſtrant. In quadam Muſei (2) Florentini gemma alas habet, ut ſuperius innuimus in Græcia expreſſam fuiſſe ex Pauſaniæ (3) teſtimonio. In alia gemma tota nuda eſt, & læva manu cervum tenet. In Tharſi nummis pileo ornatur Phrygio, & ſuper leonem ſtat (4). In Tranquilinæ (5) quodam numiſmate habitu venatorio cincta eſt, & cervo inſidet. Animalia hæc, & alia, quæ prope eam ſunt, ad venationem ſignificandam ſunt appoſita. Begerus (6) gemmam refert, in qua ſculpta eſt Diana Aricina. In arboris umbra ſedet, pharetra illi a lævo dependet humero: eadem manu arcum gerit, veſtemque ad pedes uſque demiſſam habet. Dextra lorum, quo canis vinctus eſt, tenet. Adnotandum quidem eſt, quod Diana hæc Aricina ſedens expreſſa ſit, quum Pauſanias (7) de duabus Dianæ Aricinæ ſignis loquatur, quæ illam ſtantem repræſentabant. Hujuſmodi ſunt quoque Dianæ ſimulacra, quæ in noſtro Muſeo ſunt, & innumera alia, quæ Romam exornant. Immo aliquando Diana Ortia, ſeu recta memorata invenitur. De hac Rhodiginus ait (8): *Dianam vero non Orthiam modo nuncupant, verum etiam* λυγοδέσμαν, *quoniam in virgultorum, quæ dicunt* λύγυς *denſitate comperta memoratur, quæ ſimulacrum circumplexa* ὀρθόν; *ideſt rectum illud ſtatuebant*. De Diana hac ſæpe numero verba facit Plutarchus (9) ex Pindaro, qui eam Ortoſiam vocat.

Diana hæc Aricina eadem ac Diana Nemorenſis eſt, quæ in antiquis lapidibus cum Veſta confunditur, ut conijci poſſe videtur vel ex ſequenti inſcriptione ad lacum Nemorenſem inventa anno (10) 1554.

DIANAE.
NEMORENSI. VESTAE.
SACRVM. DICT
IMP. NERVAE. TRAIANO. AVG
GERMANICO IIII COS. PRAEF.
EIVS. T. VOLTEDIO. MAMILIANO
QVAESTORIB.
L. CAECILIO. VRSO II. M. LVCRETIO
SABINO II. AEDILIB. Q. VIBENNA QVIETO
TI. CLAVDIO. MAGNO
P. CORNELIVS. TROPHIMVS PISTOR
ROMANIENSIS. EX. REG. XIIII. IDEM. CVR.
VICI QVADRATI. ET LANIA CF. THYONOE CONIVX
EIVS VOTVM. LIBENS. SOLVERVNT.

Ad-

(1) Pauſan. libr. 5. cap. 19. pag. 425.
(2) Muſ. Florent. tom. 1. tab. 19.
(3) Pauſan. libr. 5. cap. 15. pag. 415.
(4) Beg. Theſ. Brand. tom. 1. pag. 307.
(5) Idem ibid. tom. 3. pag. 147.
(6) Idem ibid. tom. 1. pag. 64.
(7) Pauſan. libr. 1. cap. 40. pag. 96.
(8) Cœl. Rhodig. libr. 18. cap. 1.
(9) Plutarch. in Theſeo, & in Apophtegm. Lacon.
(10) Gruter. Inſcript. pag. 41, num. 7.

Adnotandum eſt in aliis inſcriptionibus legi NEMORESISDIANA, quæ verba NEMORENSIS DIANA legenda eſſe Cuperus (1) putat, *ita ex more loquendi illius ſæculi*; & addit, quod ſicut *Dii montenſes Dii montium*, de quibus in ſacris libris (2) mentio habetur, ſignificat, ita *Diana Nemorenſis* eam, quæ maxime in deliciis ſaltus habuit, denotet, qua de cauſſa MONTINENSIS quoque eſt nuncupata, non tamen quod in lucos monteſque aliquod haberet imperium, hoc enim plane Diis ruſticis relinquebatur, non cæleſtibus, quos inter Diana erat.

Verum quum Diana Aricina ea ſit, quæ Ariciæ colebatur, ita puto Dianam Nemorenſem eam eſſe, quæ in oppido Nemi in finibus Ariciæ poſito peculiarem cultum obtinebat. In Syracuſarum nummis, & in iis Pergenſibus, ſuccincta veſte tegitur, cothurnoſque in pedibus habet: in illis vero Philadelphiæ (3) nudis pedibus videtur incedere. In hortis Mediceis (4) pileo ornatur Phrygio: ſuccincta eſt, cothurnos habet, arcum manu tenet: & in impluvio ædium DD. de Scottis in via Julia præter veſtem ſuccinctam, & cothurnos, ejus veſti capræ ſylveſtris pellis ſuperinjecta eſt, quæ corpus e tranſverſo cingit. Gorlæus apud Montfauconium (5) in nummo quodam veſtibus decentibus omnino amictam eam producit, lauri ramum manu tenentem, & falcem, ut ea quoque erat, de qua loquitur Pauſanias (6). Montfauconius (7) idem duos ex Vaillantio deſumptos nummos profert, in quorum uno in curru, quem duo cervi trahunt, ſedens aſpicitur, & in altero ſerpentes bini hoc Deæ præſtant officium. Singularis (8) quoque valde eſt nummus, quem idem refert, ubi Diana in curru ſedens, facemque gerens viſitur. Aper, & Leo, quos Hercules moderatur, currum trahunt. Plinius (9) ſenior, cui debemus maximum antiquæ eruditionis theſaurum, ſed qui fabularum, & incredibilium rerum credulus Scriptor eſt, narrat Epheſi ſtatuam fuiſſe Ecatis, quæ eadem ac Diana eſt, *in cujus contemplatione admonent æditui parcere oculis, tanta marmoris radiatio eſt*: & Coeæ erat ejuſdem Deæ ſimulacrum eodem teſte, *cujus vultus intrantes triſtem, exeuntes hilaratum putant*. Statuæ noſtræ nil habent pretii præter operis elegantiam.

Signum, quod in Tabula XV. eſt, Deam ſagittantem monſtrat, ut duo illa erant, de quibus loquitur Pauſanias (10). Faciem ad cælum paululum converſam habet, comæ in nodum negligenter ſuper caput illi colliguntur, quo in loco creſcentis lunæ ſignum, ſymbolum ei apponi ſolitum, tenet. Aldrovandus (11) ita deſcribit Dianam, quæ in ædibus Præſulis Euriali Silveſtris, Pauli III. cubicularii intimi erat.

(1) Cuper. ad cap. 2. Lactant. *De mortib. perſecut.*
(2) III. Reg. cap. 20. v. 23.
(3) Beg. Theſ. Brand. tom. 1. pag. 384. 506. 507.
(4) Admir. Urbis tab. 33.
(5) Montfauc. Antiq. explic. tom. 1. tab. 89.
(6) Pauſan. libr. 2. cap. 28. pag. 177.
(7) Montſauc. Antiq. explic. tom. 1. tab. 89.
(8) Idem ibid. tab. 92.
(9) Plin. Hiſt. Nat. libr. 36. cap. 5.
(10) Pauſan. libr. 7. cap. 23. pag. 504. & libr. 10. cap. 38. pag. 898.
(11) Aldrov. *Statue di Roma* pag. 277. & 278.

Vi è una Diana veſtita, che ha in teſta come due piccole corna. Diana fu ſorella di Febo, ed è una coſa ſteſſa con la luna, e per queſto ſi ſinge cornuta, perche la luna ſcema pare, che abbia due corna. Quivi è pure una bella ſtatua di Diana in piè veſtita. Ha il turcaſſo dietro alle ſpalle, una ſaetta in mano, e ha le ſue trecce ravvolte vagamente dietro. Longa palla defluit uſque ad pedes, qui calceati ſunt. Cingulus veſtem hanc adhærere facit ejus corpori, cui quoque alia brevior veſtis additur, quæ ab humeris ad pectus deſcendit, & defluens illi ſinum operit. Brachia nuda ſunt, ut expeditior in ſagittando videatur. Quum veſtes ad pedes uſque demiſſas habeat, in actu venandi illam expreſſam eſſe non crederem, ſed potius Nioben, & illius filios telis conficientem, & ſe quod egregie ſcopum collineaſſet, gloriantem, quare ad Apollinem ſe convertit fratrem, ut ei plaudat: aut denique putandum eſt, id illam efficere occiſo Pithone, quem Apollini opem ferens necavit. In actu ſagittantis fuiſſe quoque eam dici poteſt, quam Pauſanias (2) arcui aptantem tela conſpexit: & aliam, quam Aldrovandus (3) refert ſe vidiſſe in ædibus Præſulis Franciſci Soderini.

Alia hujus Deæ ſtatua, quæ in Tab. XVI. exprimitur: nihil habet novi, quod ab altera eam diſtinguat. Mirum videri non debet, ſi abſque decreſcentis lunæ ſigno caput ejus expreſſum ſit. Quum hæc illius corporis pars recentioris ſit artificii, id vitio, vel imperitiæ reſtauratoris tribuendum eſt, ſi tamen vitium & error dicendus eſt omiſiſſe ornamentum, quo in aliis etiam veteribus monumentis Diana caret, & præcipue in quadam gemma, quam illuſtrat Begerus (1).

Tabula XVII. Dianam Luciferam nobis oſtendit, de qua loquitur Pauſanias (4), & cujus non pauca ſuperſunt monumenta. Caput ornatum ſemeſtris lunæ nota habet, crines promiſſi ad humeros uſque dilabuntur. Pannus capiti ejus in circulum ſuperſtat, quemque Dea ſiniſtro contrahit brachio. Diceres eum auras inflare, ut ille, quem antiqui marinis tribuebant Diis, obſervatur. De Diana quadam hunc in modum induta loquitur Aldrovandus (5), quæ ſtabat in ædibus Coſiis. Sed huic noſtræ perbelle ſimilis erat ea, quam (6) decreſcentis lunæ ſignum capiti ſuperimpoſitum habuiſſe teſtatur. Noſtra quidem ſtatua dextra manu facem tenet; quæ tamen opus eſt recens. Tamen ea Dianæ ſtatua, quam Pauſanias (7) commemorat, faces gerebat, idque vero ad ſignificandum lumen, quod a ſole haurit luna; qua quoque de cauſſa Græcos eam appellaſſe *ſelenen* Critici arbitrantur, quum ab eo novum ſemper lumen bibat, & eadem ſit cum Ecate, quæ faces tenens ſemper exprimebatur. Apulejus (8) Ecatis imaginem quamdam deſcribit his verbis: *Crines uberrimi prolixique, & ſenſim intorti, per divina colla*

(1) Beg. Theſ. Brand. tom. 3. pag. 231.
(2) Pauſan. libr. 7. cap. 23. pag. 593. & cap. 17. pag. 595.
(3) Aldrov. *Statue antiche* pag. 199.
(4) Pauſan. libr. 4. cap. 31. pag. 352.
(5) Aldrov. *Statue antiche* pag. 128.
(6) Idem ibid. pag. 174.
(7) Pauſan. libr. 8. cap. 36. pag. 675.
(8) Apul. Metamorph. libr. 11. pag. 240.

colla paſſive diſperſi, molliter defluebant. Corona multiformis variis floribus ſublimem diſtrinxerat verticem: cujus media quidem ſuper fronte plana rotunditas in modum ſpeculi, vel immo argumentum lunæ, candidum lumen emicabat. Dextra, lævaque ſulcis inſurgentium viperarum cohibita, ſpicis etiam cerealibus deſuper porrectis multicolor, byſſo tenui prætexta, nunc croceo flore lutea, nunc roſeo rubore flammida; & quæ longe longeque etiam meum confutabat obtutum, palla nigerrima ſplendeſcens atro nitore, quæ circum circa remeans, & ſub dextrum latus ad humerum lævum recurrens, umbonis vice dejecta parte laciniæ, multiplici contabulatione dependula, & ad ultimas oras nodulis fimbriarum decoriter fluctuabat. Per intextam extremitatem, & in ipſa oræ planitie, ſtellæ diſperſæ coruſcabant: earumque media ſemeſtris luna, flammeos ſpirabat ignes. Quaqua tamen inſignis illius pallæ perfluebat ambitus, individuo nexu corona totis floribus, totiſque conſtructa pomis adhærebat. Jam geſtamina longe diverſa, nam dextera quidem ferebat æreum crepitaculum: cujus per anguſtam laminam in modum balthei recurvatam, trajectæ mediæ paucæ virgulæ, criſpante brachio tergeminos jactus, reddebant argutum ſonorem. Lævæ vero cymbium dependebat aureum cujus anſulæ, qua parte conſpicua eſt, inſurgebat aſpis, caput extollens arduum, cervicibus late tumeſcentibus. Pedes ambroſios tegebant ſoleæ, palmæ victricis foliis intextæ.

Inter vetuſta monumenta, quæ adhuc ſuperſunt, plurima Dianæ luciferæ ſigna ſpectantur. Inter cetera admiratione digna, unum eſt, quod Spanhemius (1) refert, & in quo aſpicimus Deam cervo inſidentem; alterum, nummi Gordiani (2) in collectione Vaticana, in quo Diana caput velo opertum non habet, & eam tamen eſſe luciferam denotat inſcriptio appoſita: *DIANA LVCIFERA*; duo tandem a Begero (3) relata, noſtris ſimilia, & quæ pedibus globum premunt, quod fortaſſe illi ſupponitur ad ſignificandam tellurem, in quam lunam maximam habere poteſtatem ſuperioris ævi gens credidit, noſtrorumque temporum vulgus nunc quoque pro comperto habet.

Relatis tot excellentium artificum in hac Dea effingenda curis laboribuſque, denique adnotandum eſſe arbitror, ſimulacrum Dianæ, quam πατρώαν vocabant, columnam informem (4) fuiſſe. Sed notum eſt id omnibus pene Gentilium numinibus eveniſſe, ut ſub rudis ſaxi forma primum expreſſa fuerint, quod magna eruditionis copia Cuperus ad Lactantium (5) animadvertit.

VE-

(1) Spanhem. in Callimach. hymn. Dian. pag. 207.
(2) Tom. 2. tab. 69.
(3) Beg. Theſ. Brand. tom. 3. pag. 228.
(4) Pauſan. libr. 2. cap. 9. pag. 132.
(5) Cuper. ad cap. 2. Lactant. *De mortib. perſec.*

VENUS

TABULA XIX. ET XX.

SI in deſcribendis Capitolini Muſei ſignis phyſicum, non vero mythologicum ordinem eſſem ſequutus, profecto Venerem primo ferme loco poſuiſſem, de ea namque ſic cecinit Lucretius (1):

Alma Venus, Cæli ſubter labentia ſigna,
Quæ mare navigerum, quæ terras frugiferentes
Concelebras: per te quoniam genus omne animantum
Concipitur, viſitque exortum lumina ſolis &c.

Veteres huic Deæ non ſolum homines, ſed etiam Deos ſubjectos eſſe arbitrabantur, quibus pro arbitrio cælum, terram, mare, & inferna loca compleverant. Quod autem tanta Veneri dominatio fuerit attributa, optime quidem ex hac deprehenditur inſcriptione ſtatuæ ejuſdem Deæ, ut teſtatur Gruterus (2), baſi inſcripta, & ad S. Mariæ Majoris reperta:

SOL CALET IGNE MEO. FLAGRAT NEPTVNVS IN VNDIS.
PENSA DEDI ALCIDAE. BACCHVM SERVIRE COËGI:
QVAMVIS LIBER ERAT. FECI SERVIRE TONANTEM
QVAMVIS LIBER ERAT. MARTEM SINE MARTE SVBEGI.

Quamobrem ſimulacrum hoc etiam ante Jovem videbatur fuiſſe collocandum, eo magis quod cultus, eidem Deæ apud Thebanos tributus, omnium habebatur antiquiſſimus teſte Coelio Rhodigino (3): *Scitu, ni fallor, digniſſimum eſt apud Thebanos Veneris ſimulacra fuiſſe vetuſtate miranda, ut quæ ab harmonia credantur dicata.* Vetuſtiſſimum quoque oportet ſimulacrum illud fuiſſe (4), quod in hortis Venereis Atticæ ſitum erat, quum ad modum hermæ eſſet exculptum, qua forma primum veteres ſuos repræſentare Deos conſueverant. Sciendum quoque, illud antiquius, quod Paphi viſebatur, nihil aliud fuiſſe, ut teſtatur Maximus (5) Tyrius, quam pyramis candidi marmoris. Demum autem hæc Dea etſi ſecundo ſaltem poſt Oceanum loco videatur fuiſſe ponenda, quod ex eo illam ortum traxiſſe vel ipſi tradant mythologi, ſatius tamen duxi, communiorem ſequi, & vulgatiorem opinionem, quam a poëtis hauſimus, quorum libros uſque a pueritia manu trivimus, ac eorum ſententiis imbuti ſumus. Jam vero mythologia, quæ temporum curſu tota tenebris referta fuit, quemadmodum alia numina produxerat, ita etiam Veneres multiplicavit. Cicero (6) quatuor

(1) Lucret. libr. 1. v. 2.
(2) Gruter. Inſcript. tom. 1. pag. 60. num. 4.
(3) Cœl. Rhodig. libr. 14. cap. 6.
(4) Pauſan. libr. 1. cap. 19. pag. 44.
(5) Maxim. Tyr. Diſſert. 8. ℞. 8. pag. 87. edit. Londini 1740.
(6) Cic. De nat. Deor. libr. 3.

quatuor commemorat Veneres, & Cl. Furmondus (1) junior in quadam diſſertatione Veteres ſeptem uſque inter ſe diſſimiles enumeraſſe probat, quas omnes ipſe acri ſtudio ad unam tantummodo redigit.

Neque mirum videri debet, Deam hanc variantibus ſemper inter ſe formis expreſſam fuiſſe, quum ejus cultus non anguſtis finibus ſe continuerit, ſed longe lateque fuerit extenſus. Tria apud Thebanos Veneris ſimulacra extitiſſe Pauſanias (2) teſtatur, quæ e roſtris navium Cadmi putabantur (ſed tacet quo habitu, & forma) extructa. Narrat Ariſtoteles (3), Dædalum ligneam Veneris ſtatuam ita fabricaſſe, ut incluſo in ea hydrargiro per ſe moveretur, non ſecus ac ſi anima prædita fuiſſet. Nec minus abnormi forma Veneres Cypri, & Paphi erant exculptæ. Cypria, ſi Macrobio (4) credendum, barbata erat, quod utriuſque ſexus eam eſſe hi populi arbitrarentur, in reliquis autem corporis partibus inſtar mulieris ornabatur longo peplo, quod illi Gratias elaboraſſe tradit Homerus (5):

Ἀμβροσίου διὰ πέπλου ὅν οἱ Χάριτες κάμον αὐταὶ,

Per ambroſium peplum, quod Gratiæ ipſæ elaborarunt.

Quod autem hæc ſimulacra ruditer, atque imperfecte fuerint exculpta, nonniſi artis incunabilis dandum eſt, non quod artifices magnam Venereæ pulchritudinis opinionem minime habuerint, ſed alio modo eam exprimere illius temporis homines ignorabant. Verum tanta inſcitia ſatis ſuperque compenſata fuit, quum ars ad faſtigium perveniſſet ſuum, a celeberrima & venuſtiſſima Venere Gnidia, quam, ut narrat Lucianus (6), inſanum adeo in modum quidam deperiit adoleſcentulus, ut deſperatione actus in mare ſeipſum præcipitem dederit. Alius pariter eodem mentis furore captus fuit, quem Apollonius (7) Thyaneus objurgationibus ſanitati reſtituit. In quodam Corinthio anaglypho ſummæ venuſtatis cernebatur (8) Venus mari emergens, e cujus ſpuma nata eſſe dicitur; unde ἀφροδίτη appellatur, ita ſcribente Cœlio Rhodigino (9): *Nam genitura* SPUMA *eſt*, SPUMA *alba eſt &c. ab ea ipſa facultate* APHRODITEN *nominarunt*. Hic ipſe ortus ejus adeo excellenter ab Apelle pictus (10) fuit, ut in hoc opere verſibus ornando omnes tunc certaverint poëtæ. Supra cetera eminet ſequens Antipatri Sidonii (11) epigramma:

Τὰν ἀναδυομέναν ἀπὸ ματέρος ἄρτι θαλάττας
Κύπριν Ἀπέλλειου μόχθον ὅρα γραφίδος
Ὡς χερὶ συμμάρψασα διάβροχον ὕδατι χαίταν,
Ἐκθλίβει νοτερῶν ἀφρὸν ἀπὸ πλοκάμων.
Αὐταὶ νῦν ἐρέουσιν Ἀθηναίη τε καὶ Ἥρη:
Οὐκ ἐτί σοι μορφᾶς εἰς ἔριν ἐρχόμεθα.

Quod

(1) Memorabil. Acad. Inſcript. Pariſ. vol. 7. pag. 14. in 4.
(2) Pauſan. libr. 9. cap. 16. pag. 742.
(3) Ariſtot. de animal. libr. 1. cap. 4.
(4) Macrob. Saturn. libr. 3. cap. 8.
(5) Homer. Iliad. libr. 5. v. 338.
(6) Lucianus De amorib. tom. 2. pag. 416. edit. in 4.
(7) Philoſtrat. Vit. Apollon. libr. 6. cap. 3. pag. 231. edit. Olearii.
(8) Pauſan. libr. 2. cap. 1. pag. 113.
(9) Cœl. Rhodig. libr. 16. cap. 15.
(10) Plin. Hiſt. nat. libr. 35. cap. 10.
(11) Antholog. libr. 4. cap. 12.

Quod ita ab Auſonio vertitur.

Emerſam pelagi nuper genitalibus undis
Cyprin, Apellæi cerne laboris opus.
Ut complexa manu madidos ſalis æquore crines
Humidulis ſpumas ſtringit utraque manu.
Jam tibi nos, Cypri, Juno inquit, & innuba Pallas,
Cedimus, & formæ præmia deferimus.

Signum quoque Romæ proſtat in ædibus DD. *della Valle* prope S. Andreæ hujus Deæ ortum pariter repræſentans, de quo ita ſcribit Aldrovandus (1): *A man dritta è una Venere ignuda, quando nacque dalla ſpuma del mare, onde ha un delfino appreſſo con la ſpuma in bocca, che queſta finzione accenna.*

Policarmus illam ſeſe abluentem (2) ſculpſit, & Nearcus immixtam (3) Gratiis & Amoribus pinxit, quemadmodum viſitur in duabus gemmis Muſei Florentini (4), quarum in una Amores, in altera Gratiæ (5) unguenta ac ſuffimenta ei apparant, ac abſtergenti crines ſpeculum prætendunt, quo poſteriori modo picta ab Albano fuit; cujus tabula in pinacotheca Corſinia aſſervatur, eamdemque formam mox iteravit in celeberrimis picturis quatuor anni tempeſtates referentibus penes Galliæ Regem, quæ ære inciſæ conſpiciuntur; quamvis proprie Gratiæ, uti Laurentio Mediceo ſcribit Marſilius (6) Ficinus: *Neque revera Veneris ſunt pediſſequæ, ſed Minervæ.* Et ſane Philoſtratus (7) meminit cujuſdam Veneris, juxta quam non Gratiæ, verum Nimphæ erant, quæ illi ſpeculum, fibulas aureas, & ſandalia porrigebant, atque Amores eidem primitias fructuum ex horto decerptas offerebant, cui picturæ reſpondet nomen, εὔκαρπον quo a Sophocle apud Plutarchum (8) Venus appellatur. In quodam Eleæ (9) templo Veneris ſimulacrum pede teſtudinem calcabat, & in atrio ejuſdem templi aliud erat, quod pede pariter caput premebat capri. Pauſanias, qui hæc nobis deſcripſit, conjectura aſſequi nequit, quid ſibi Phidias, & Scopas voluerint, quorum alter primum, alter ſecundum ſignum ſculpſit. Sed teſtudo ex ſententia Rhodigini (10), ſymbolum eſt ſilentii, receſſus, & ſolitudinis, quæ dotes quo rariores, eo laudabiliores in feminis ſunt; caper autem ſumitur pro univerſa rerum natura, cum ipſe ſimilis facie appareat Deo Pani, vel hic potius admodum hirco ſimilis ſit, & nemo ignoret Panem, ut vox ipſa ſonat, *univerſum* ſignificare, hoc eſt univerſam rerum omnium naturam. *Pan ab antiquis diebus* (ait Albritius) (11) *fuit Deus naturæ, & in ſimilitudinem naturæ fuit ab eis figuratus;* unde in carminibus Orpheo (12) tributis dicitur:

Πᾶνα

(1) Aldrov. *Statue di Roma* pag. 214.
(2) Plin. Hiſt. Nat. libr. 36. cap. 5.
(3) Idem ibid. libr. 35. cap. 11.
(4) Muſ. Florent. tom. 1. tab. 41. num. 3.
(5) Ibi tom. tab. 82. num. 3.
(6) Marſ. Ficin. Epiſt. libr. 7.
(7) Philoſtrat. Imag. libr. 1. num. 6. pag. 733.
(8) Plutarch. Amat. pag. 756. edit. Pariſ. 1624.
(9) Pauſan. libr. 6. cap. 23. pag. 515. & 516.
(10) Cœl. Rhodig. libr. 10. cap. 3.
(11) Albric. De deor. imag. cap. 9. inter Mytholog. Lat. tom. 2. pag. 312.
(12) Orph. Hymn. Panis in principio.

Πᾶνα καλῶ κράτερον κόσμοιο τὸ σύμπαν,
Οὐρανὸν, ἠδὲ θάλασσαν, ἠδὲ χθόνα παμβασίλειαν
Faune ades Upilio, mundi ſubſtantia totus
Cælum, ſalſa maris, terrai dædala ſedes.

ut vertebat Joſeph Scaliger.

Fingitur etiam ardentiſſime in libidinem propenſus, ut eſt natura caper. Venus quoque ab Empedocle appellata fuit ζείδωρος ut videre eſt apud Plutarchum (1), quod epitheto a Lucretio (2), & a Latinis Scriptoribus ipſi communiter impoſito reſpondet, nempe *Alma Venus*, hoc eſt quæ dat vitam; & hinc etiam Salmaſius (3) illius currum trahi finxit a paſſeribus, videlicet avibus ſalaciſſimis, uti comprobatur teſtimonio Ciceronis (4). Quibus ex rebus omnibus manifeſto apparet, jure meritoque ſculptam fuiſſe capri caput pede prementem. Eleæ (5) Veneris extabat ſimulacrum a Pelope dicatum tunc, quum Hyppodamiam uxorem ſibi adjunxit, quod myrto feminea compoſitum erat. *Virentis ab radice myrti* vertit Amaſeus Pauſaniæ verba μυρσίνης τεθηλυίας. Sed neque interpretatio, neque auctoris Græci verba clare rem exponunt, quare Loeſcheri mihi magis arridet opinio, qui ultimum dividit verbum, legendo nempe μυρσίνης τε θηλυίας, hoc eſt *myrti feminæ*. Nemini vero eſt ignotum, ſacram huic Deæ myrtum fuiſſe, qua in quadam Maffeii (6) gemma Venus coronata repræſentatur. Proprium quoque Veneris ornamentum, ſi credimus Luciano (7), erat ceſtus, cujuſdam veſtis genus, de quo plura ſcripſere eruditi (8). In Laconia ſtatuam pariter habebat, in qua ſedens, armis inſtructa, flammeo, & compedibus, quibus a Tindareo (9) ligata fuit, exprimebatur, ad oſtendendam nimirum fidei conjunctionem, quæ viros inter & uxores debet intercedere. Illius Statua apud Corinthios (10) a Canaco Sicionio ſedens erat excuſa capite geſtans πόλον hoc eſt cælum, vel mundum, manu altera pomum, altera tenens papaver; neque minus varia inter ſe ea monumenta ſunt, quæ vorax tempus non abſumpſit. Inter *Admiranda Urbis* (11) extat anaglyphum, in quo exhibetur Venus nuda, conchæ a duobus Tritonibus ſuſtentatæ inſidens, ambabuſque manibus ſibi capillos abſtergens, quod quidem memoratam fortaſſe Apellis picturam imitatur. In Muſeo quoque Florentino (12) manu columbam tenens exprimitur, & in altera gemma (13) cum corona, & in alia apud Begerum cum concha inſpicitur. In nummis Familiæ Claudiæ (14) capillis comptis, & monili ornata apparet. In numiſ-

(1) Plutarch. ibi.
(2) Lucret. libr. 1. in principio.
(3) Cæl. Rhodig. libr. 14. cap. 6.
(4) Cicer. De nat. deor. libr. 3.
(5) Pauſan. libr. 5. cap. 13. pag. 408.
(6) Maff. Gemm. part. 3. tab. 6.
(7) Lucianus de Dea Syria ſ. 32. pag. 475. tom. 3.
(8) Mattaire Marm. Oxonienſia pag. 24.
(9) Pauſan. libr. 3. cap. 15. pag. 246.
(10) Idem libr. 2. cap. 10. pag. 134.
(11) Admir. Urbis tab. 30.
(12) Muſ. Florent. tom. 1. tab. 72. num. 3. & Beg. tom. 3. pag. 270.
(13) Ibi tom. 2. tab. 72.
(14) Beg. Theſ. Brand. tom. 3. pag. 269.

numiſmatibus Veſpaſiani (1), Juliæ (2), Fauſtinæ (3) junioris, & Magnæ (4) Urbicæ armata viſitur, quorum in nonnullis haſtam, in quibuſdam pomum, & in alio palmam manu geſtat cum hac inſcriptione: *VENUS VICTRIX*, quod fortaſſe denotat, certamine inito de pulchritudine ceteras duas viciſſe Deas, ut pro certo nobis affirmare videtur ſequens epigramma (5):

Παλλὰς τὰν Κυθέρειαν ἔνοπλον εἶπεν ἰδοῦσα
Κύπρι, θέλεις οὕτως ἐς κρίσιν ἐρχόμεθα:
Ἡ δ' ἀπαλὸν γελάσασα: τί μοι σάκος ἀντίον αἴρειν.
Εἰ γυμνὴ νικῶ, πῶς ὅταν ὅπλα λάβω;

quod ita reddit Auſonius.

Armatam vidit Venerem Lacedæmone Pallas,
Nunc certemus, ait, judice vel Paride.
Cui Venus, armatam tu me temeraria temnis,
Quæ quo te vici tempore nuda fui?

Notatu in primis digniſſimum eſt numiſma Julii Cæſaris (6), in quo Venus non armis ſolum eſt inſtructa, ſed & manu caduceum tenet, illud fortaſſe reſpiciens, quod quemadmodum Veneris bella pace componuntur: *nam amantium iræ amoris redintegrationes ſunt* (7), ita bellum civile Cæſaris pace & tranquillitate populi Romani, qui a Venere ſuam trahebat originem, conficiendum erat. A Spartanis (8) etiam hæc Dea repræſentabatur armata, ut teſtatur Lactantius (9), qui de ipſis ſic loquitur: *Ædem Veneri armatæ, ſimulacrumque poſuere*, cujus quidem rei rationem etiam affert ex hiſtoria deductam, quam Juſtinus (10) narrat. Venus autem hæc ſimilem in modum ornata a Romanis Cluacina vocabatur. Ceterum de Venere militari forma inſignita opportune ita ſcripſit Cælius Rhodiginus (11): *Alioqui in libro de Romanorum fortuna idem refert Plutarchus, Spartiatas dicere Venerem, ubi Eurotam tranſmittat, ſpeculum abjicere, ac ceſtum: haſtam vero arripere, & inſertare ſcutum, Lycurgo ſeſe componentem. Armatæ Veneris meminit Fabius, atque item Pauſanias: extat & de ea re Leonidæ hexaſticum.*

Eadem ſæpe cum filio Cupidine ludens conſpicitur, & modo illum amplexans (12), modo arcum eidem (13) ſurripiens: aliquando etiam apparet (14) biga invecta, quam duæ columbæ, vel duo, quemadmodum diximus, paſſeres trahunt. Ea autem ipſa de cauſſa paulo ſuperius a nobis indicata, in quadam gemma, quam Begerus (15) explicuit, rhedæ ab hirco tractæ inſidens repræſentatur, unaque Amor viſitur, qui hirco eodem vectus cornu inflat, ſuamque matrem reſpe-

(1) Beg. Theſ. Brand. ibid. tom. 2. pag. 544.
(2) Idem ibid. tom. 2. pag. 637.
(3) Idem ibid. tom. 3. pag. 131.
(4) Idem ibid. tom. 2. pag. 675.
(5) Antholog. libr. 4. cap. 12.
(6) Beg. Theſ. Brand. tom. 2. pag. 603.
(7) Terent. Andria 3. 3.
(8) Pauſan. libr. 3. cap. 23. pag. 269.
(9) Lactant. libr. 1. De falſa Relig. cap. 20.
(10) Juſtin. libr. 3. cap. 4.
(11) Cæl. Rhodig. libr. 18. cap. 12.
(12) Beg. Theſ. Brand. tom. 1. pag. 181.
(13) Idem tom. 3. pag. 264.
(14) Idem tom. 2. pag. 601.
(15) Idem tom. 1. pag. 177.

reſpectat. Verum majori eruditionis, & myſteriorum copia redundat alter, quem ipſe (1) auctor refert, ejuſdem Deæ triumphus. Nuda Venus in curru ſedet, pannus in circulum inflatus capiti ejus ſuperſtat; quod ornamentum omnia maris numina habent, Venerique tribuitur, eo quod e mari prognata ſit. Jaculum manu dextra tenet, ſiniſtra pannum continet. Duo Leones, quorum alter maſculus, alter femina ex corporis forma cognoſcitur, currum trahunt, & recte quidem, cum vis hujus numinis ex illa geniali unione duorum ſexuum enaſcatur. Amor feroces ſagitta moderatur belluas. Duo feminæ, quæ fortaſſe vel Nymphæ, vel Gratiæ ſunt, face in humeros inclinata currum præcedunt. Eas præit juvenis nudus citharam ſonans, & retro Satyrus eſt, qui fiſtulam modulatur; dum Amor per æra volans matri floream coronam exhibere videtur.

In anaglypho quodam apud Montfoconium (2) aſpicitur Venus quædam notatu digna, non corporis externo cultu, cum nuda ſit, ſed ſymbolis quibus ornatur. Siniſtra tria jacula tenet, dextra thyrſum, in cujus ſummitate manipulus ſpiceus eſt; quod ſupereſt haſtæ hujus Bacchicæ totum pampineis frondibus, & uvæ racemis circumdatum eſt. Altera (3) Venus cum ſpicis, & uvis in eadem antiquitatum collectione ſpectatur. E miſtica quidem hiſtoria minime apparet, qua de cauſſa ſymbola Cereris, & Bacchi, Veneri tribuantur. Qua de re ad moralem ſenſum, & allegoricum convertamur; & colligemus nil aliud ex hoc innui quamquod duo prima numina Veneri miniſtrant, *nam ſine Cerere, & Baccho friget Venus* (4); cui quoque ſententiæ, vetus illa omnino reſpondet inſcriptio, quam eruditiſſimus Gorius (5) publici juris fecit.

ΘΕΟΙC
ΑΦΡΟΔΙΤΗ ΚΑΙ ΤΩΙ
ΥΙΩΙ ΕΡΩΤΙ.
ΚΑΙ ΔΙΟΝΥCΩΙ
ΔΗΜΗΤΡΑ. ΕΚ
ΤΩΝ ΙΔΙΩΝ
ΜΗΤΡΙ
CΥΜΠΑΘΕCΤΑΤΗΙ.

DIIS
VENERI ET FILIO
AMORI.
BACCHO ET CERERI:
DE SVA PECVNIA
MATRI
PIISSIMAE

F 2 Sic

(1) Beg. Theſ. Brand. tom. 1. pag. 171.
(2) Montf. Antiq. tom. 1. tab. 102.
(3) Idem ibid.
(4) Terent. Eunuch. 4. 5.
(5) Gorius Inſcript. Donian. Claſſ. 1. num. 53.

Sic quoque S. Auguſtinus (1) ait: *Confert hoc idem Libera, quæ Ceres, ſeu Venus eſt,* quibus verbis ex tribus numinibus, unum tantum videtur conficere; ſed teſtimonium hoc libens omitto cum in aliam ſententiam, ab ea, quæ in ſupercitata inſcriptione eſt, diverſam poſſit produci.

E Veneris cum Anchiſe amore genitum Æneam, & ab eo derivaſſe *Romanos rerum dominos, gentemque togatam,* poëmatis ſui tuba orbi univerſo Romano monſtravit Virgilius (2), qua de re mirum videri non debet ſi innumera hujus Deæ ſimulacra, & præſertim Romæ inveniantur, ut ex iis quæ Aldrovandus (3) enumerat manifeſte cognoſcitur, & ex illis quæ uſque adhuc ſuperſunt. Quis ignorat Romanos ſub *Genitricis* nomine eam coluiſſe? Teſtis eſt Macrobius (4), qui ait ſub hoc nomine in ſacris invocari, cum ea mater eſſet Æneæ, ut Mars pater erat Romuli: *Quum hodieque IN SACRIS Martem patrem, Venerem GENITRICEM vocemus.* Lucretius (5) quoque dum eam vocat ut carminibus faveat ſuis, ait: *Æneadum GENITRIX.*

Simulacrum quod tabula XIX. exhibetur, Venerem nudam totam oſtendit, & in eodem corporis ſtatu, ac incomparabilis Venus Medicea eſt. Dum ſimulacra maximæ artis & pretii fingebantnr, & famam nomenque acquirebant, propriæ gloriæ maculas infligere non credebant periti artifices, dum ad earum formas, alias quoque aptabant. De Hercule Farneſiano eximio Glyconis opere id factum eſt, cum ex adverſa parte alter illi bene ſimilis collocatus admiretur. Sed alia ejuſdem numinis ſtatua, & archetypo Glyconis ſi non excellentior, ſaltem par ſpectatur in impluvio Mediceo M. Ducis Florentiæ, de qua Flaminius Vacca (6) in epiſtola ad Simonem Anaſtaſium ſcribit: *Si ſcoprì un Ercole compagno di quelli del cortile Farneſe, ne vi mancava ſe non una mano. Nella baſe vi erano le ſeguenti lettere: OPUS LYSIPPI. Il Duca Coſimo di Toſcana la comprò per ſcudi ottocento dal detto Ronconi, nella cui vigna preſſo il palazzo maggiore fu trovata, facendola trasferire a Firenze dove al preſente ſi trova.*

Aldrovandus (7) rationes profert quibus putat veteres nudam totam Venerem efformaſſe, dicens: *La dipinſer nuda perchè appariſſero le ſue gran bellezze: oppure, perchè gli amanti che lei, ed il figliuolo ſeguono, moſtrano tutti ignudi i loro penſieri, e fanno molto all'aperta le loro coſe, non credendo però, che altri le vegga.* Verum Arnobius (8) aliam nuditatis hujus affert ſignificationem, his verbis: *Venus NUDA, & aperta, tamquam ſi illam dicas publicare* (fortaſſe *publicate*) *divendere meritorii corporis*

(1) S. Auguſt. De Civit. Dei libr. 7. cap. 3. num. 1.
(2) Virgil. Æneid. libr. 1. v. 286.
(3) Aldrov. Stat. Rom. pag. 120. 125. 129. 160. 162. 163. 178. 193. 214. 225. 238. 253. 257. 276. 278. 286.
(4) Macrob. Saturn. libr. 1. cap. 12.
(5) Lucret. libr. 1. v. 1.
(6) Flam. Vacc. lett. num. 77.
(7) Aldrov. ibi pag. 120.
(8) Arnob. libr. 6. pag. 233. edit. Anoviæ 1603. in 8.

poris formam. Urna, pannuſque, qui prope illam eſt, denotant, aut e balneo emerſam eſſe, vel in illud deſcenſuram. Venus quædam præclari operis, in hoc eodem actu aſpici poteſt inter ſimulacra *di Belvedere*, & fortaſſe ſimilis huic illa erat, quam deſcribit Aldrovandus (1), quæque ſua ætate in ædicula Farneſiana erat: *In un giardinetto, che ſi trova prima, ſi vede ſopra una pila antica una Venere ignuda da mezzo corpo in ſu, e ſi tien fra le coſce riſtretti i panni. Ha le trecce ſparſe ſul collo, e tiene in mano una conca marina. Da i lati di queſta ſtatua ſono due putti ignudi colle veſti ravvolte in ſpalla. Di ſopra vi tengono due urne, e ſtanno in atto di verſar acqua*. Alia erat quoque in ædibus Pompilii Nari in campo Martis, quam ille invenerat in quadam ſua vinea *alla Trinità de Monti*, & de qua idem auctor (2) ſcribit quæ ſequuntur. *Si vede una Venere ignuda intera, che eſce dal bagno. Tiene con la man deſtra un panno, e ſi cuopre le parti vergognoſe, e l' altra mano ſi ſtende ſopra la mammella ſiniſtra, e ſta poſta ſopra una baſe, e dicono, che abbia le piu belle ſpalle, e ſchiene di ſtatua, che ſi vegga*.

In Tabula XX. ſimul cum Marte figuratur. Comptos habet crines, & luculenter collectos ſub eo ornatu, quem mitram vocant. Pulchra veſtis, elegantibus diſtincta flexibus, & variis aptata fibulis Deam operit, quæ calceos quoque habet. Martem amplectitur nudum, qui tamen galeam in capite gerit, & haſtam in ſiniſtra manu. In Muſeo (3) Mediceo ſimile noſtro huic extat monumentum. In ambobus Venus ſpectatur, quæ Marti irato, & bellico furore pleno blanditur, eumque placat. Lucretius (4) qui Venerem exorat ut pacem Romanis impetret, & hujus furibundi numinis bellicos extinguat ſpiritus, videtur carminibus ſuis ſtatuas noſtras proſequi, dicens:

Quo magis æternum da dictis Diva leporem,
Effice ut interea fera mœnera militiài
Per maria, ac terras omnis ſopita quieſcant
Nam tu ſola potes tranquilla pace juvare
Mortalis: quoniam belli fera mœnera Mavors
Armipotens regit: in gremium qui ſæpe tuum ſe
Reficit æterno devinctus vulnere amoris:
Atque ita ſuſpiciens tereti cervice repoſta,
Paſcit amore avidos inhians in te, Dea, viſus;
Eque tuo pendet reſupini ſpiritus ore.
Hunc tu, Diva, tuo recubantem corpore ſancto
Circumfuſa ſuper ſuavis ex ore loquelas
Funde, petens placidam Romanis incluta pacem.

MARS

(1) Aldrov. ibi pag. 160.
(2) Idem ibi pag. 193.
(3) Muſ. Florent. tom. 3. tab. 36.
(4) Lucret. libr. 1. v. 36.

M A R S

TABULA XXI.

PRofecto mirandum eſt quin plura Romæ, quæ Martis Urbs appellatur, hujus numinis ſimulacra reperiantur. Unum tantum in noſtro monumentorum, ſtatuarumque copia celeberrimo Muſeo exiſtit, verum eleganti ſane artificio elaboratum, cui nihil etiam recenter ſuperadditum præterquam brachii deſtri dimidium a cubito & infra. Duo tamen commemorat Plinius (1), alterum cum Mercurio in templo Concordiæ a Piſicrate excuſum, alterum vero apud Circum Flaminium ad Labicanam portam in templo, Bruti Callaici Scopæ opus, qui coloſſeum & ſedens illud ſculpſit. Nullum meminit ſe Romæ reperiiſſe Aldrovandum. Hoc autem noſtrum quum nudum ſit, neque præter ſcutum, galeam, & baltheum quidquam aliud præferat, quod nobis ſeſe offerat contemplandum, quamobrem commentatione dignum ſit, propterea nihil ferme de eo dicendum ſupereſt quamquod illud egregia eſſe arte effictum. Etſi autem Martem ut plurimum ſtantem vidimus, quomodo in Muſeo (2) Mediceo obſervatur; Plinius ſedentis Martis aliam ſtatuam memorat præter eam, de qua ſuperius mentionem fecimus, atque huic ſimilem refert Montfoconius (3). Nudus pariter ſæpe ſæpius conſpicitur ſeu in ſtatuis, ſeu in anaglyphis, ſeu in nummis, quod etiam adnotatum invenimus apud Iſidorum (4), qui inſuper hujuſmodi habitus rationem adfert dicens: *Quod vero nudo pectore ſtat, ut bello ſe quiſque ſine formidine cordis objiciat*. In nonnullis attamen numiſmatibus militari more indutus cernitur, uti in nummo familiæ Aburiæ (5), & Hoſtiliani, & Emiliani, & Claudii Gotici, atque in gemmis Muſei Florentini (6). Ut hic in noſtro ſigno, ſic ferme ſemper Mars caſſide tectus conſpicitur. Sic illum videre eſt in pulcherrimo quodam anaglypho inter *Admiranda Urbis* (7), in gemmis apud Cauſſeum (8), & Begerum (9), & duabus ſtatuis, quarum alterius delineatio extat in Muſeo Florentino (10), alterius autem in collectione ſtatuarum a Maffejo (11) adornata. Mars vero utpote furore ac ira percitus hanc caſſidem ſæpe ſæpius minaciis territans, ac caput motitans quatiēbat, quapropter Homerus illum frequenter appellat Κορυθαίολος.

Sed ut vera fatear neſcio an hoc ſimulacrum, aliaque huic ſimilia

(1) Plin. Hiſt. nat. libr. 36. cap. 8.
(2) Muſ. Florent. tom. 3. tab. 37. Maff. *Raccolta di Statue* tab. 30. Beg. Theſ. Brand. tom. 2. pag. 591. 707. 774. tom. 1. pag. 48. tom. 3. pag. 204.
(3) Montfauc. Antiq. explic. tom. 1. tab. 66.
(4) Iſidor. Orig. libr. 8. cap. 11.
(5) Beg. Theſ. Brand. tom. 1. pag. 48.
(6) Muſ. Florent. tom. 2. tab. 18. & 60.
(7) Admir. Urbis tab. 22.
(8) Cauſſ. Gemm. tab. 62.
(9) Beg. Theſ. Brand. tom. 1. pag. 48.
(10) Muſ. Florent. tom. 3. tab. 37.
(11) Maff. *Raccolta di Statue* & Montfauc. Antiq. explic. tom. 1. tab. 66.

milia Martem repræſentent, vel gladiatorem aliquem, cui ſæpe ſtatuas poſitas fuiſſe, vel ex ipſo noſtro Muſeo compertum habemus. Huic enim numini ſua tribuere ſymbola antiqui, quibus caret noſtrum ſimulacrum. Immo aliquando nonnulli populorum iis ſymbolis veluti ipſi Deo divinos tribuere honores, & obtulerunt ſacrificia. Ita Scythæ, teſte Herodoto (1), acinacem, & lanceam Romanorum antiquiſſimi, ut ex Varrone retulit Clemens Alexandrinus (2), tanquam Martis ſimulacra venerabantur. De Scythis hoc idem narrat Banierus Herodoti innixus teſtimonio in libr.30. cap.59. Verum Herodotus eo loco ne verbum quidem habet de hac re, quod ideo animadvertendum duxi, ut qua hic auctor ἀκρίβεια polleat omnes norint. Verum inter Martis ſymbola numeranda veniunt animalia ei ſacra, ſcilicet vultures, canes, & aſini, quos (3) illi ſacrificabant veteres. Ægyptii vero inter hieroglyphica illa ſua, pro Venere, & Marte duas cornices pingunt (4). Verum penes Græcos artifices ſolemne erat illum cum tropheo exprimere, ut videre eſt apud Begerum (5) in nummis, & apud Cauſſeum (6) in gemmis; vel ſigillum Victoriæ (7) manu præferentem, vel ſpicam (8), aut cancrum (9) pede prementem, quæ omnia a noſtro ſimulacro abſunt. Quo fit ut magis, magiſque ambigamus an hæc ſimulacra Martis numen repræſentent. Verumtamen hæc ejus ſtatuarum tanta penuria nihil officit, quin antiquiſſimus ſit illius cultus. Etiam ex Pauſania (10) didicimus in Laconicis Martis ſimulacrum extitiſſe, quod ex Colchide adduxerant Caſtor & Pollux: & Martem inter *ſelectos Deos* adnumeratum fuiſſe, tradidit ex Varrone Auguſtinus (11).

Intra urbium moenia Marti minime templa dicabant Veteres, ſed Minervæ, ut innuerent, rempublicam domi prudentia, ſapientiaque regendam eſſe, foris autem bello, militiaque. Quapropter quamvis Romæ templum Martis Quirini extaret, attamen in via Appia fuit etiam Gradivi Martis extra pomoerium ſacra ædes, ut L. Maurus (12) refert, quod fortaſſe a Vitruvio (13) didicerat; atque ante ipſius pomerii ingreſſum ejus imaginem pingebant Antiqui, ut teſtatur Æſchyli Scholiaſtes (14), & Tzetzes (15) ad Lychophronem. In Muſeo Mediceo e nigro marmore conſpicitur, in noſtro autem ex albo, quod apprime convenit cum Plutarchi (16) graviſſimi auctoris ſententia, qui Martem albo, Oſiridem vero ſubobſcuro marmore effictum fuiſſe adfirmat.

AMOR

(1) Herodot. libr. 4. cap. 62.
(2) Clem. Alexandrin. in Protreptico.
(3) Phurnut. cap. 21., & Cæl. Rhodig. Antiq. lect. libr. 8. cap. 18.
(4) Idem libr. 29. cap. 18.
(5) Beg. Theſ. Brand. tom. 2. pag. 519. & 591. & 580. & 707.
(6) Cauſſ. Gemm. tab. 62.
(7) Muſ. Florent. tom. 2. tab. 23. & 58.
(8) Beg. Theſ. Brand. tom. 2. pag. 591.
(9) Cauſſ. Gemm. tab. 62.
(10) Pauſan. libr. 3. cap. 29. pag. 258.
(11) S. Auguſt. de C. D. libr. 7. cap. 2.
(12) Luc. Maur. pag. 49.
(13) Vitruv. libr. 1. cap. 7.
(14) Schol. Æſchil. In ſeptem ad Thebas.
(15) Tzetz. ad Lycophron. v. 356.
(16) Plutarch. De Iſid. & Oſirid.

AMOR ET PSYCHE

TABULA XXII. ET XXIII.

CONſideranti mihi, nullum de fabula Amoris & Pſyches apud antiquos Græcos, Latinoſque auctores, qui ante tempora Apulæi, & Fulgentii (1) floruerunt, extare teſtimonium; quum denique ii duo tantum auctores de hoc commento verba faciant, quamvis Stoſcius (2) dicat: *De hiſce Cupidinis & Pſyches nuptiis plura, & ad ſatietatem mythologi*; in eam facile deſcendo opinionem, vel hoc unum ex iis ſacris myſteriis fuiſſe, quæ perpetuo ſilentii vinculo obſtruebantur, & a quibus profani procul ire jubebantur; vel Apulejum (3) totam hanc fabulam ex ingenio condidiſſe ſuo, non pueriliter quidem & ludicre, verum ad ſignificandum, & explanandum, ſed ſub allegoriarum circumſcriptionibus, ſyſtema illud de animarum lapſu, quod apud Orientales, & Ægyptios (4) primum eſt excogitatum, deinde ab Homero cooptatum, & denique a Platone (5) ſapientiſſime illuſtratum. Miſcens utile dulci Apulejus in illo ſuo lepidiſſimo commentario, proprietates omnes ab aliis philoſophis animæ adtributas voluit commemorare; Amoriſque in eam vim oſtendere.

De lapſu animarum ſyſtema antiquiſſimum plane eſt. Zoroaſter illud docuit, & amplexus eſt, Zoroaſter inquam ille, qui vetuſtiſſimus antiquorum theologorum habetur. Ille ipſe animam alas habere ſcripſit, quæ tamen in monumento, quod illuſtramus, haud ſpectantur, quamvis non deſint ei, quod in Muſeo Florentino adſervatur. Noſtrum eis caret non ob operis difficultatem, ſed ad ſignificandum animæ lapſum in corpus, quod illa deperiens amplectitur, & oſculatur, inclytæ præclaræque ſuæ prorſus oblita naturæ, & immortalis originis. Hæc quoque Cælii Rhodigini (6) graviſſimi auctoris ſententia fuit, qui ait: *Hoc ipſum denique Zoroaſtrem veteris theologiæ auctorem eminentiſſimum ſignificaſſe arbitror, quum eſſe ALATAM ANIMAM comminiſceretur, ac confractis alis labi in corpus præcipitem, rurſumque lætius plumantem, ac denuo factam volucrem ſuperna repetere*. Si vero concedimus figuram alteram Amorem exhibere, ejus alas nihil aliud eſſe ex Platonicorum ſententia inveniemus, niſi veri, bonique ſtudium: *Geminas alas accipio geminum inſtinctum menti ingenitum, animam ad ſuperna elevantem*; ut idem auctor refert (7). Anima diffractis alis delapſa non amplius elevatur, quum haud amplius illi, eæ enaſcantur niſi eam calore ſuo foecundo foveat

(1) Fulgent. Mytholog. libr. 5.
(2) Stoſc. in libro De Gemmis quibus nomen artificis inſcriptum eſt num. 70.
(3) Apul. Metamorph. libr. 4. 5. & 6.
(4) Porphir. In antro Nymph.
(5) Plat. in Phæd. in Gor. in Cratyl.
(6) Cæl. Rhodig. Antiq. lection. libr. 16. cap. 18.
(7) Cæl. Rhodig. Antiq. lection. libr. 16. cap. 18.

ſoveat Amor, non ille tamen terreſtris, & improbus, verum cœleſtis, quem illa pectori admovet ſuo, quaſi unam eamdemque ſubſtantiam cum eo effici velit. Nec longe fortaſſe a veritate aberraret, qui diceret, illum, quem Anima amiciſſime amplectitur, nil aliud eſſe quam divinarum rerum meditationem, qua Anima in Deum avide reſpiciens, ab hac miſeriarum regione extollitur, quod nova alarum renovatione exprimitur: *Aut planius animæ ALAS contemplativam intelligimus virtutem, atque item moralem, quas veritatis, divinarumque rerum contemplatione, ac intuitu recuperet, quemadmodum terrenorum appetitione, atque caligine amiſerat*; ut Rhodigini (1) verbis utar, quæ magnum Platonicæ philoſophiæ lumen Marſilius Ficinus (2) ita brevius expreſſerat: *Animus, ut Platoni noſtro placet, duabus tantum ALIS, ideſt intellectu, & voluntate poſſit ad cæleſtem patrem, & patriam revolare*. Et in Phædonis argumento hanc eamdem ſententiam enarrans ait: *Satis vero tibi fuerit in præſentia intelligere, geminas ALAS eſſe geminum inſtinctum menti ingenitum, ad ſuperna animum elevantem; in intellectu quidem inſtinctum ad divinum verum, in voluntate vero inſtinctum ad divinum bonum pro viribus convertentem*.

Verum ſi tot hujus fabulæ monumenta pulcherrima perſpiciamus attente, & præcipue noſtrum, & Florentini Muſei (3) ſymplegma, illa quidem poſt ætatem Apulei (adeo operis elegantia præſtant) elaborata fuiſſe non putabimus, ſed ante auctoris illius tempora, & a clariſſimis artificibus ex antiquorum philoſophorum ſententiis, & præcipue Platonis ætate, & antiquiore quoque; homines enim animam noſtram eſſe immortalis naturæ ſemper putaverunt. Quod vero Platonis dogma de anima pateret omnibus, & ut ita dicam in ore omnium eſſet, teſtari videtur gemma quædam, in qua caput divini hujus philoſophi impreſſum eſt, ad cujus tempora duæ papilionis alæ ſunt eleganter appoſitæ. Id quoque alia ſignificare poſſet gemma, in qua ex ore Platonis ipſius animalculum papilioni ſimile prodire videtur, ni forte animalculum illud apes una ſit ex iis, quæ in adhuc infantis philoſophi ore favum mellis condidere. Duo hæc pulcherrima monumenta poſſidet Eques Franciſcus Victorius, eruditiſſimus vir, & erga homines litteratos humaniſſimus. Quum vero mei inſtituti non ſit philoſophum agere, ad ea expendenda, quæ fabulam hanc reſpiciunt, antiqua monumenta gradum faciam, unde noſtrum præſtantiſſimum illuſtretur ſymplegma. Notum quidem eſt, animam ſub papilionis forma a majoribus noſtris fuiſſe expreſſam; immo apud Græcos vox eadem ψυχὴ ſubſtantias haſce ambas ſignificabat. Id teſtatur Heſychius (4) his verbis: Ψυχὴ καὶ πνεῦμα, καὶ ζωϊφίον πτηνόν. *Pſyche animam, & animalculum papilionem denotat*.

(1) Cœl. Rhodig. Antiq. lection. libr. 16. cap. 18.
(2) Marſ. Ficin. De relig. Chriſt. in proemio.
(3) Muſ. Florentin. tom. 3. tab. 43.
(4) Heſych. in V. Ψυχὴ

In quadam vero Latina inſcriptione legimus vocem *papilionem* pro *anima* uſurpatam. Sponius (1), qui marmor hoc refert, in Hiſpania teſtatur inventum, & a Grutero (2) quoque in ſuo inſcriptionum theſauro profertur. Inter alia hæc habet verba:

HAEREDIBVS MEIS MANDO
ETIAM CINERE VT MEO
VOLITET EBRIVS PAPILIO
OSSA IPSA TEGANT MEA.

Quod vero ipſa quoque papilionis figura ad denotandam animam uti ſolerent Veteres, ex anaglypho opere, quod inſcriptioni huic adhæret, probatur, in quo papilio e moribundo corpore egreditur. Contra vero in anaglyphis, quæ inter *Admiranda Urbis* locum habent (3), Pallas cernitur, quæ animam ſub papilionis forma recenter efformato corpori imprimit. Quum autem in antiquis monumentis Anima ſub elegantis puellæ repræſentatur aſpectu, humeris alas additas ſemper habet.

Sponius, qui inveſtigare contendit, qua de cauſſa Veteres Animam aut ſub forma papilionis, aut cum ejus alis efformarent, primo incertus hæret, utrum ſymbolum hoc ad naturam animæ enarrandam excogitaverint, quod nonnulli arbitrati ſint, eam ex aëre, aut vento conſtare, ut ex Homero (4), & Virgilio colligimus (5). Verum rebus attentius inſpectis credidit, hoc animalculo Pythagoricam animarum tranſmigrationem ſignificari. At pace tanti viri non intelligo, quomodo mors, & novus ortus inſecti hujus Pythagoricam ſententiam, & ab uno in alterum corpus, tranſitum animæ poſſit ullo modo adumbrare. Potius quidem papilionis naturam immortalitatem animæ ſignificare crederem, & fortaſſe hanc ſententiam ſub tranſmigrationis velamento nos docuit Pythagoras. Hoc idem Homerus ingeniorum excellentiſſimorum facile princeps ſuis in verſibus exprimit, ſæpe dicens (6):

Ψυχὴ δ᾽ ἐκ ῥεθέων πταμένη ἄϊδος δὲ βεβήκει.

Anima autem e membris volans ad orcum deſcendit

Verum elegantius, clarius, & ſublimius divinus noſter Dantes (7), quamvis Platonica ſcripta, vel Homerica non legiſſet, in ſuo poëmate hoc commentum expreſſit:

Non v'arcogete voi, che noi ſiam vermi,
Nati a formar l' angelica farfalla;
Che vola alla giuſtizia ſenza ſchermi?

Quæ

(1) Spon: Miſc. ſect. 1. art. 3.
(2) Grut. Inſcript. tom. 1. pag. 15.
(3) Admir. Urbis tab. 66.
(4) Homer. Odyſſ. 11. v. 206.
(5) Virgil. Æneid. libr. 2. v. 702.
(6) Homer. Iliad. libr. 14. v. 856.
(7) Dantes Purgat. 10.

Quæ quum ita ſint, verius exiſtimo, Veteres, qui animam ſub papilionis figura delinearunt, ad ejus immortalitatem reſpexiſſe. Etenim ſævis hiemis temporibus accedentibus, papilio videtur mori: remeante vero lætiſſima veris tempeſtate ad novam vitam excitari. Hunc profecto in modum homines poſt mortalis hujus vitæ curſum, ad æternam novamque vitam exſurgunt. Sententiam vero de immortalitate animæ antiquiſſimam eſſe quis ignorat? Pauſanias (1) teſtatur, eam Caldæos, & Indos promulgaſſe primum; Cicero (2) autem Pherecidi hoc beneficium acceptum refert, Pherecidi inquam illi, qui imperante Servio Tullo philoſophica docebat inſtituta. Lactantius (3) vero ea Triſmegiſti Hermetis, qui ſub Mercurii nomine ab Ægyptiis cultus fuit, affert verba, quæ aperte animæ immortalitatem aſſerunt. Non inconſulto denique omitto, quæ ex Sybillæ oraculis deprompta carmina idem auctor (4) refert, & reſponſa, quæ Mileſii Apollinis oraculum Polibo cuidam dedit: quum apud pleroſque hujuſmodi narrationes dubiæ admodum ſint, & a non paucis tandem nullo in pretio habeantur.

Inter Maffeii (5) gemmas unam habemus, quæ papilionem lyræ adhærentem exhibet, & in Muſeo Florentino (6) alia quoque conſpicitur gemma, in qua papilio ſpectatur fiſtulam tenens, quaſi eam velit modulari. Id arbitror factum eſſe ad indicandam Platonis opinionem, qui docet, amorem pulchritudinis eſſe deſiderium. Quæ pulchritudo cum ex tribus conſtet partibus: *quarum tertia ſonorum modulata jucunditas eſt*, ut ait Coelius Rhodiginus (7), & ſicuti jam dixerat Marſilius (8) noſter his verbis: *pulchritudo ad mentem, & ad viſum, auditumque pertinet*; anima amans cytharam, tibias, fiſtulas amat, aliaque inſtrumenta. Cenſorinus (9) vero arbitratur, humanas animas harmoniam expetere, quod *ipſæ divinam ſuam naturam per cantus agnoſcant*. Illæ autem e Coelo deſcenderunt, & ideo, ut ait Macrobius (10): *In hac vita omnis anima MUSICIS SONIS capitur, ut non ſoli, qui ſint habitu cultiores, verum univerſæ quoque barbaræ nationes cantus, quibus vel ad ardorem virtutis animentur, vel ad mollitiem reſolvantur, exerceant, quia anima in corpus defert memoriam muſicæ, cujus in cœlo fuit conſcia*. Aliam quoque idem auctor affert cauſam, ex qua fit, ut *muſica capiatur omne, quod vivit, ſcilicet quia cœleſtis anima, qua animatur univerſitas, originem ſumpſit ex muſica*.

Nulla quidem res antiquis in monumentis adeo frequenter exprimitur, quam Animæ cum Amore unio ſuavis, eorum nuptiæ, varii amoris actus, quos ſimul exercent, & tandem quæ illa ab ingrato ſuffert mala, conatuſque, quibus ejuſdem tyrannidi ſe ſubtrahere contendit

(1) Pauſan. libr. 4. cap. 32. pag. 360.
(2) Cicer. Tuſcul. quæſt. libr. 1.
(3) Lactanr. Inſtit. Divinar. libr. 7. cap. 13
(4) Idem ibi.
(5) Maff. Gemm. tom. 3. tab. 29.
(6) Muſ. Florent. tom. 2. tab. 96.
(7) Cœl. Rhodig. libr. 16. cap. 24.
(8) Marſ. Ficin. in argumento. Phædri.
(9) Cenſor. De. dic. natali. cap. 12.
(10) Macrob. In. ſomn. Scipion. libr. 2. cap. 3.

tendit, niſi ille Amor ſit cœleſtis & caſtus, qui cum ea ſolummodo convenit, & cui juncta, dulci tranquillaque pace fruitur, ſed ille vilis & terreſtris, a quo ejus dignitas deturpatur. Inter antiqua monumenta hujus fabulæ, obſervatione digna eſt gemma (1) quædam, in qua aſpicitur Venus manu papilionem tenens, eumque faci filii ſui admovens, unde totus ardeat, Amoriſque igne pereat.

Præterea apud Sponium anaglyphum ſpectamus, in quo Amor ipſe ardenti ſua face papilionis alas exurit. Ad hæc enarranda maximum lumen afferre poſſent ejuſdem Coelii Rhodigini (2) verba: *Porro apud optimum maximum poetam, divini operis libro ſexto, columbas geminas ad aureum ramum inveniendum duces, non aliud quam haſce ALAS eſſe contenderim, quibus connitentibus erigitur mens ad ſapientiam, auri nomine ſæpius ſignificatam. Sed & a Venere mittuntur, quia Amor divinorum eximius ALIS præſtat alimenta, quibus ſubrigimur, & in Deum tranſimus*. Fortaſſe quoque dici poſſet, hac in gemma vulgarem Venerem πάνδημον dictam ſignificari, & quæ a Platone pro Amore laſcivo & corporeo ſumitur, qui impuro igne ſuo Animæ alas urit, ſcilicet ab ea expellit naturalem ſe ad cœlum extollendi voluntatem, & pulchriora adamandi facultatem; nam ut Ficinus (3) ait: *Inclinatio vegetalis naturæ intenditur ad corporea gubernanda*; tunc vero *animas fractis jam ALIS in elementa deſcendere Pythagorici putant*. In gemma quadam Muſei Florentini (4) Cupidinem cernimus laterna quærentem amicam ſuam, ad ſignificandum, quod quum præter Amorem univerſalem, quem Plato admittit, peculiaris Amor hominis ſit, qui ad quamlibet animam præcipue ſpectat, ut explicat Plotinus: & quum is duplicis ſit generis, æthereus ſcilicet, & terreſtris, primus ab alto derivat, & ipſam animam quæritat, quæ ex ſua voluntate ei quidem obviam non iret. Philoſophi putarunt Amorem vel Deum, vel dæmonem, vel denique animi affectionem quamdam eſſe, ut ait Plotinus (5): Περὶ ἔρωτος πότερα θέος τίς ἢ δαίμων, ἢ πάθος, ἢ τῆς ψυχῆς, ἢ ὁ μὲν θεός τις ἢ δαίμων, τὸ δέ ἢ καὶ πάθος. *Conſiderandum eſt utrum Amor ſit Deus, vel dæmon, vel animi affectio, vel ex parte Deus, vel dæmon, vel animi affectio*. Verum, ut ipſemet auctor teſtatur, univerſalis Amor Deus habitus eſt, at præcipuus cujuslibet animæ, Dæmonis, vel Genii nomen ſortitus eſt. Ἆρα ὁ ἔρως οὗτος ἐστὶν ὁ δαίμων, ὃν φασιν ἑκάστῳ συνέπεσθαι, ὁ αὐτοῦ ἑκάστου ἔρως. *Et fortaſſe Amor hic dæmon eſt, quem dicunt quemlibet hominem comitari, ſcilicet eſſentialis uniuſcuiuſque Amor*.

Verum nullum extat de hoc commento monumentum præclarius gemma quadam, quæ Amoris & Pſyches exhibet nuptias. Sponius (6) eam retulit primus, dein in editione Petronii (7) Arbitri, quam Burmannus adornavit iterum ejuſdem delineatio inſpicitur, & tandem exhibita

(1) Muſ. Florent. tom 1. tab. 80.
(2) Cœl. Rhodig. Antiq. lection. libr. 17. cap. 15.
(3) Marſ. Ficin. ad Phædrum. cap. 2.
(4) Muſ. Florent. tom. 1. tab. 82.
(5) Plotin. Ennead. 3. libr. 5. cap. 1.
(6) Spon. Miſc. ſect. 1. art. 3.
(7) Petron. Arbitr. Satyric. cap. 26.

hibita eſt in collectione gemmarum, quæ artificis nomen præferunt, a Stoſchio (1) editarum. Gemma hæc in Muſeo Arundelliano Londini modo aſſervatur. In ea Cupido eſt, cujus caput & humeros leve velum obumbrat. Pſyche caput involutum habet flammeolo, quod illi uſque ad pedes dilabitur, nudas papilionis alas ſolummodo relinquens. Levis margaritarum catena ambos ligat. Genius quidam thalamum exornat veſte, Hymenæus autem facem præfert, quam humeris ſuſtinet, evidenter eorum vicinas ſignificans nuptias. Alter tandem Genius, caniſtrum floribus pomiſque refertum capitibus ſponſorum ſuperimponit. Qui flores, & diverſa videntur poma in ea graphide, quam Stoſchius exhibuit, in ea apud Sponium minus accurate fortaſſe elaborata nuces videntur, ſpargi ſolitæ in nuptiis, ut lepide cecinit Catullus (2).

Da NUCES *pueris, iners*
Concubine: ſatis diu
Luſiſti NUCIBUS: *lubet*
Jam ſervire Thalaſſio.
Concubine, NUCES *da*.

Verum nil communius, quam Amorem, & Pſychen ſe mutuo tenaciter, & feſtive amplexantes intueri, quales habent monumenta duo apud eumdem Sponium (3); & multæ etiam gemmæ illos ita compoſitos exhibent. Porro ſpeciali quidem obſervatione digniſſimum eſt anaglyphum, quod inter *Admiranda Urbis* (4) habet locum, in quo eleganter hæc fabula bis expreſſa eſt. In media marmoris parte Gratiæ nudæ ſtant, quæ duobus Geniis præbent dexteram, ut ſimul choros ducant. Hinc & inde Amor, & Pſyche expreſſi ſunt, in mutuos amplexus ſe ſe ſuaviantes, dum interea duo alii Genii, flores e caniſtris humi poſitis carpunt, & circum ſpargunt. Hujus anaglyphi idea tota Platonica eſt. Marſilius (5) Ficinus, qui in operibus ſuis divini philoſophi ſententiis novum lumen addidit, ait, animam amantem formæ eſſe cupidam, & pulchritudinis; *quæ ſeu virtutis, ſeu figuræ, ſive vocum gratia, quæ animum per rationem, vel viſum, vel auditum ad ſe vocat, & rapit, pulchritudo rectiſſime dicitur. Atque hæ tres* ILLAE GRATIAE *ſunt, de quibus ſic Orpheus:* Ἀγλαΐητε, Θάλεια, καὶ Εὐφροσύνη πολύολβε. *Splendor, viriditas, lætitiaque uberrima.* Nec omittendum a me eſt, in muſeo Cl. Viri Franciſci Victorii duas alias gemmas Amoris, & Pſyches nuptias exhibentes ſpectari, quas humaniſſime Antonio Franciſco Gorio Columbarium Libertorum Liviæ Auguſtæ edituro commodavit, ut earum graphicam delineationem, libro ſuo elegantiſſimo apponeret. Quæ dedicato-

(1) Tab. 70.
(2) Catull. epigram. 57.
(3) *Spon.* Miſc. art. 3. num. 7. 8.
(4) *Admir. Urb.* tab. 68.
(5) Marſ. Ficin. In. conviv. orat. 5. cap. 2.

catoriæ epiſtolæ initialem exornat litteram, Amorem manu ab amplexibus non impedita coronam tenentem, & Pſychen facem gerentem exhibet. In illa vero, quæ ad libri calcem collocata eſt, amatores ſe ad invicem amplectentes ad coelum extolluntur, ut illa immortalitate fruantur, a qua miſellam Pſychem zelotypiæ furore acta Venus, arcere tanto temporis ſpatio ſtuduit. Bonarota (1) quoque in ſua elegantiſſima *Vitreorum vaſculorum* collectione unum refert, in quo duo conjuges repreſentantur hoc ſtatu, ſed præter ſolita ornamenta, Pſyche ad pedes ſpeculum habet, & Amor arcum, tela, pharetram, amborum propria ſymbola. Pulcherrima denique illis aureo charactere circumſcripta eſt acclamatio, hiſce verbis: ANIMA DVLCIS FRVAMVR NOS SINE BILE ZEZES. Multa doctiſſimus Auctor affert ad hoc illuſtrandum vitrei operis fragmentum, & quæ ſtudioſi homines maximo cum fructu legere poſſunt.

Inter innumeras inſcriptas gemmas, quas apud ſe habebat Franciſcus Ficoronius antiquariæ rei inſtructiſsimus vir, quædam cum hac acclamatione, ſed abſque figuris aſſervabatur: VNIO ANIMA SVAVIS. Gemmas has, quas vulgo litteratas vocant, editurus, diem obiit ſupremum. Hanc ſpartam poſt ejus mortem ſuſceperunt nonnulli eruditiſsimi viri, qui hoc officium litterariæ reipublicæ quamprimum, ut fama eſt, præſtabunt. In Muſeo Juſtinianeo (2) extat anaglyphum, in quo exprimitur Amor, & Pſyche, ſimul ludentes. Centaurus maſculus lyram tangit, eique ſuperſedet Amor, tibiam ori ſuo admovens. Genius eum conſequitur cymbala pulſans. Contra ſtat centaurus femina, eique inſidet Pſyche, quæ pariter cymbala pulſat. Alter Genius, qui eam conſequitur, poma ex arbore floreſque colligit, pleniſque manibus ſpargit. Inter duos centauros Genius quidam pedes in modum ſaltantis nectit, tibiaſque modulatur. Multa poſſent ad hoc anaglyphum illuſtrandum conferri, quæ brevitati conſulere volens prætermitto.

Dulcis illa ſuaviſque unio, quæ Amorem, Pſychemque mutuo connectit, non durat diu. Vix illa aliquam in ſe Amori tradidit auctoritatem, ſtatim eam is pro arbitrio ſuo dominatur, & quo libet trahit. Vera hæc ſententia in gemma (3) quadam exprimitur, quæ Amorem in biga ſedentem, a duobus papilionibus actum oſtendit. Platonici, ex eorum ſummi magiſtri opinione, cuilibet animæ duo corpora tribuebant, æthereum unum, & tenuiſsimum, ſolidius alterum, & e craſsiori compactum materie (4). Primo currus nomen dabant, nam is erat, qui animam ad ſuum ducebat locum, ſed ea ipſa illud trahebat, qua de cauſa moleſtum, incommodumque illi erat, eamque a curſus ſui meta deturbabat. Id docuit Virgilius (5) poëta Platonicorum dogmatum ſtudioſiſsimus.

Igneus

(1) Bonarot. Obſervat. ad vaſ. vitr. tab. 18. 2. 5.
(2) Muſ. Juſtinian. tom. 2. tab. 42.
(3) Borion. Tab. 42. Gor. Gemm. aſtrif. tab. 122.
(4) Marſ. Ficin. In Plotin. Ennead. libr. 2. cap. 2.
(5) Virg. Æneid. libr. 6. v. 730.

Igneus eſt ollis vigor, & cœleſtis origo
Seminibus, quantum non noxia corpora tardant;
Terrenique hebetant artus, moribundaque membra.

Ut vero anima corpus recto duceret curſu, illi amore opus erat, ut aptam inſiſteret viam, amorem enim ordinatarum rerum omnium principium, normamque fuiſſe, docent omnes antiqui mythologi, & philoſophi. Ideo de duobus corporibus verba habet Marſilius (1) Ficinus, dum ait: *Corpus quidem ſolidum, & compoſitum &c. corpus vero cœleſte, quod eſt in nobis occultum, orbicularem ſui figuram ad figuram terreni corporis, cui inſinuatum eſt &c.* Quod vero alterum currus quidam fuerit reputatum, teſtatur idem Marſilius (2) ſcribens: *Hoc vocant magi vehiculum animæ, æthereumque ſcilicet corpuſculum, acceptum ab auctore, immortale animæ indumentum, naturali quidem figura rotundum propter ætheris regionem, ſed in humanam effigiem ſe ſe transferens, quando corpus humanum ingreditur: atque in priorem ſe reſtituens, quum egreditur &c. quod Plato currum tum deorum, tum animarum vocat in Phædro, vehiculum in Timæo.*

Hoc denique corpus quamvis tenue, ſubtile, & ætherum, tamen omnino purum non erat (3), *propter terreni corporis mixtionem; & eo quod ſpiritus ſimplex immortaliſque non aliter compoſito, mortalique corpori, quam per corpus ſimplex, & immortale conjungitur*, ut ait idem auctor.

Sed duriora quidem ſub barbari Amoris tyrannide Anima experitur mala. Modo is eam trunco clavo affigit, de qua re Sponius inquit (4): *Cupido Animam clavo affigere videtur arbori, ne altius aſcendat, perque aeris ſpatia vaga oberret.* Modo eam face adurit ſua (5): modo ei alas evellit (6); aut manus ei ad tergus convertit (7), nectitque, vel tandem eam ad terram proijcit, & pedibus calcat (8).

Verum lacrymas quidem elicit infelicis Animæ humanæ malum, quod eam ſufferre aſpicimus quadam in gemma, quam Maffejus (9) affert, ubi duo Cupidines, quorum alter alterum reſpicit, ſedent, & ſimul contendunt diſtrahere animam quamdam. Id fortaſſe denotat, amatorem aliquem duobus contrariis agitatum affectibus, quorum unus dulcis ſuaviſque ſit, alter amarus, pœnisque obnoxius graviſſimis. Hinc fortaſſe Orpheus (10) Amori γλυκυπίγρυ dedit cognomen, ſcilicet *dulcis amari*. Plato vero in Phædone docuit, hominem dum Amoris detinetur affectu, dolore affici ſimul, & gaudio: Τοτ' ἄρα ἄνθρωπος καὶ τ' ἀλλὰ ζῶα λυπεῖταί τε ἅμα καὶ χαίρει. Marſilius Ficinus denique hac de re cauſſam reddit: *Quippe, quum Amor mors voluntaria ſit; ut mors, eſt amara, ut voluntaria, dulcis.* Digna quoque obſervatione eſt

(1) Marſ. Fic. Theolog. Plat. libr. 18. cap. 4.
(2) Idem ibid.
(3) Idem ibid.
(4) Spon. Miſc. ſect. 1. art. 3. p. 7. Maff. Gemm. t. 3. tab. 26.
(5) Muſ. Florent. tom. 1. tab. 82.
(6) Muſ. Florent. tom. 1. tab. 82.
(7) Muſ. Florent. tom. 1. tab. 81.
(8) Maff. Gemm. tom. 3. tab. 23.
(9) Maff. Gemm. tom. 1. tab. 78.
(10) Marſ. Ficin. In conviv. orat. 2. cap. 8.

eſt altera gemma, quam Sponius (1) illuſtrat. Pſyche ſedet humi, Cupido eam arboris alligat trunco, Cupido alter eam flagris cædit. Mulier quædam colo lanam trahens, eam reſpectat, nec illi auxiliatricem porrigit operam. Montfauconius (2) ſe prorſus ignorare fatetur, quæ nam femina illa ſit, ſed fortaſſe una eſt ex tribus Parcis, ibi appoſita ad vitæ humanæ ſpatium ſignificandum, in quo anima ſæviſſimis turbatur affectibus. Quum denique miſeriarum omnium finis mors haberetur, Anima infelix deſperatione acta ſe ipſam comburit (3). Quæ Amor damna Animæ humanæ infert, aliquando Amori ab illa rependuntur. Hujus ultionis exemplum habemus in quadam Muſei Florentini (4) gemma, quæ Animam humanam præfert, Cupidinem columnæ alligantem. Inter antiqua, quæ Borionius (5) poſsidet monumenta, eam in navi ſtantem, quam duo delphines trahunt, ſpectamus, dum illa eorum curſum remis gubernat. Rodulphinus Venutus, qui opus hoc illuſtravit, putat eam ſic ad Elyſios campos enatare. Fortaſſe tamen illic Anima ſignificatur, quæ cunctis ſoluta affectibus, per mare vitæ hujus ſpatiatur; vel denique Genium innuit nauticum, qui lucri addictus ſpei, dum navibus extremas Orbis partes petit, Amoris ſpernit blanditias vel ipſius teneræ conjugis immemor. Symplegma hoc noſtrum, illi Medicei muſei ſimillimum eſt & magnitudinis, & figurarum modo, & ſtatu, & operis excellenti artificio. Amoris figura reſpondet omnino ejus picturæ, quam exhibet Agatho in Convivio Platonis; & Marſilius (6) in eo opere illuſtrando ita exprimit: *Juvenis eſt tener, & agilis, concinnus, & nitidus*. Et alio in loco (7): *Agatho vero poeta, veterum poetarum more Deum iſtum humana veſtit imagine, pingitque ipſum hominum inſtar formoſum, juvenem tenerum, flexibilem, ſive agilem, apte compoſitum, atque nitidum*. Quæ verba fere omnia ex Platone ipſo uſurpaverat, qui hæc habet: (8) Τῶν μαλακωτάτων, ἁπαλώτατον ἀνάγκη εἶναι, qui addit, eum ut aquam eſſe mollem. Hæ qualitates omnes, quamvis minime exprimi poſſe videantur in marmore, tamen in ambobus hiſce monumentis effulgent mirum in modum, tanta artificum peritia fuit, quibus tamen non cederet, qui ſimile noſtris aliud ſculpſit ſymplegma, quod apud Comitem *Fede* ſervatur, ſi ætas, præclarorum omnium operum hoſtis, ambas figuras capite non minuiſſet, quæ ſupplevit *D. Le Gros* peritus quidem artifex, ſed ad aliam fabulam in illis reficiendis reſpexit. Præclaræ tamen Amoris formæ detrahit Socrates in fine ejuſdem Convivii (9), & ſuis in orationibus Themiſtius (10).

Tabu-

(1) Spon. Miſc. ſect. 1. art. 3. pag. 7.
(2) Montfauc. Antiq. explic. tom. 1. tab. 101.
(3) Muſ. Florent. tom. 1. tab. 82.
(4) Muſ. Florent. tom. 1. tab. 82
(5) Borion. tab. 43.
(6) Marſil. Ficin. Comment. in conv. orat. 5. cap. 2.
(7) Ibi cap. 7.
(8) Plat. Conviv. pag. 1189.
(9) Idem. ibid. pag. 1194.
(10) Themiſt. Orat. 13.

Tabula XXIII. Muſei noſtri, ut arbitror, aliam exhibet fabuloſæ hujus hiſtoriæ partem, quam Platonicus Apulejus (1) ita commentus eſt. Irata Venus miſellam Pſychen juſsit poſt varios labores uſque ad inferos, & Orci ferales regiones greſſum dirigere, pyxidemque Proſerpinæ adferre, dicens: *Petit de te Venus, modicum de tua mittas ei formoſitate, vel ad unam ſaltem dieculam ſufficiens, nam quod habuit, dum filium curat ægrotum, conſumpſit, atque contrivit omne.* Dicto obſequens Pſyche Veneream obivit legationem. Itineris hujus exitum, quomodo Pſyche vas aperuerit, quid illi ex hac nimia curioſitate evenerit, ex Apulejo facile poteſt intelligi. Statua noſtra Pſychen exhibet mitra ornatam, longa amictam palla, quæ etiam manus operit, quibus pyxidem ſuſtinet. Dum auctor illam manibus expreſſit impeditis, crederem reſpexiſſe ad Apulej narrationem, qui ait, turrem quamdam in vocem prorupiſſe ſubitam, eique præcepiſſe inter alia (2): *Squalido ſeni dabis nauli nomine de ſtipibus, quas feres, alteram: ſic tamen ut ipſe ſua manu de tuo ſumat ore. Nec ſecius tibi pigrum fluentum tranſmeanti quidam ſupernatans ſenex mortuus, putres attollens manus, orabit, ut eum intra navigium trahas. Nec tu tamen illicita affectare pietate. Tranſito fluvio, modicum te progreſſam textrices orabunt anus telam ſtruentes, manum pauliſper adcomodes. Nec id tibi contingere fas eſt.* Si quis vero petat, cur ſtatuæ huic potius Pſyches, quam Pandoræ nomen indiderim, is ſciat, me in hac appellatione ſequutum imagines antiquas hujus ſtatuæ, quæ hoc nomen præferunt. Has inter aſpici poteſt ea, quæ locum habet numero 2. in antiquarum ſtatuarum collectione, quam Joſeph de Rubeis adornavit anno 1619.

Tandem a me omittendum non eſt, Benedictum xiv. nuper novum addidiſſe Muſeo Capitolino ornamentum, aliud ſcilicet Pſyches ſignum, quod maturæ puellæ formam habet, quæ in genu dexterum concidens, caputque ad cœlum convertens, facem manu tenet, & fortaſſe hac ratione revocare fugitivum ſtudet Cupidinem, qui ab ejus thalamo avolavit, dum illa nimis avide eum ſpectans, ejuſque corpori propius lucernam admovens, hæc evomuit ſtillam ferventis olei ſuper humerum Dei dextrum. Ille enim inuſtus exiluit, & prorſus ex oculis, & manibus conjugis avolavit, ut cum Apulejo ipſo loquar. Hoc etiam ſignum in villa Eſtenſi Tiburi proſtabat.

(1) Apul. Met. libr. 6. pag. 188. edit. ad uſum Delph. (2) Apul. ibid. pag. 189.

A M O R

TABULA XXIV.

MUlta quidem de Amoris numine attulimus, dum diſseruimus ad tabulam XXIII., ejus cum anima noſtra dulciſſimam conjunctionem, ſuaveſque nexus enarrando. Nunc vero (1):

Τὸν Ἔρωτα γὰρ τὸν ἁβρὸν
Μέλπομαι βρύοντα μίτραις
Πολυανθέμοις ἀείδων.
Ὅδε καὶ θεῶν δυνάστης,
Ὅδε καὶ βροτοὺς δαμάζει.
Cupidinem tenerum
Celebro, abundantem corollis
Florulentis cantando.
Idem & deorum potens eſt,
Idem & homines domat.

Nemo inter deos omnes tantum honoris, quantum numen hoc, eſt aſſequutus, & id ob maximam potentiam, & auctoritatem, quam illud habere crediderunt mythologi. Memoratu autem digniſſimum eſt hac in re anaglyphum illud opus, quod in noſtro Muſeo aſſervatur; monſtrat enim Amorem de diis omnibus triumphum ducentem. In muſeo autem Florentino aſpicitur Cupido fulmen ipſum Jovis diffringens (2). In rem noſtram quoque animadvertendum duco, conſueviſſe Veteres ejuſdem dei imagines, vel ſtatuas in gymnaſiis exhibere colendas inter Herculem (3), & Mercurium. Verum putandum non eſt, illos his in locis amorem veneratos eſſe impudicum, ſed honeſtum lenemque animi motum, qui nomine amicitiæ donatur. Id nobis teſtatur Athenæus dicens: Οἱ πρεσβύτεροι κατὰ φιλοσοφίαν σεμνόν τινα τὸν Ἔρωτα καὶ παντὸς αἰσχροῦ κεχωρισμένον ᾔδεσαν, δῆλον ἐκ τοῦ κατὰ γυμνάσια αὐτὸν συνιδρῦσθαι Ἑρμῇ καὶ Ἡρακλεῖ, τῷ μὲν λόγου, τῷ δὲ ἀλκῆς προεστῶτι. ὧν ἑνωθέντων φιλία τε καὶ ὁμόνοια γεννῶνται, δι' ὧν ἡ καλλίστη ἐλευθερία τοῖς ταῦτα μετιοῦσιν αὔξεται: *Antiquiores philoſophi agnoverunt quemdam venerabilem Amorem, & ab omni turpitudine ſemotum. Hoc inde manifeſtum eſt, quod iis in ludis, in quibus corpus exercebant, ipſi, Mecurioque ſimul, & Herculi ſtatuas ponerent, illi ut orationis & facundiæ, huic ut roboris atque virium præſidi, ut his in unitatem coactis amicitia, & in rebus gerendis conſenſio vigerent, quibus adeptis libertas invaleſcit.* Purus hic Amor communem cum Pallade aram (4) habuit Athenis, ut idem auctor refert. At vero latius impudici Cupidinis cultus eſt propagatus, quum in comperto ſit Theſpienſes ei quædam ſolemnia

(1) Anacreon. in Fragment. od. 58. v. 926.
(2) Muſ. Florent. tom. 2. tab. 16. num. 1.
(3) Athen. libr. 13. cap. 2.
(4) Athen. ibid.

lemnia dedicaſſe, quorum tanta erat celebritas, ut Panathenea excederent, luculenter Athenis in honorem Minervæ inſtituta (1) Longum tamen foret referre & quot laudes, & quot injuriarum plauſtra in illum contulerint Veteres auctores, & præcipue pöetæ. Unuſquiſque eum talem fingebat, qualem in ſe erat expertus, ut de Praxitele ait Simonides (2); verum quum maxima pars hominum, vel ingenio, vel corpori, vel fortunis ſuis ærumnoſum ſit illum experta, hac de cauſa innumeris quoque eum injuriis, & maledictis laceſſivit, tribuens eidem incommodi hoſpitis nomen, ut apud Anacreontem (3) ajebat ille, qui Cupidinem cereum venditabat. Contra vero non deſunt, qui eum concordiæ, & tranquillitatis largitorem vocaverunt, quo nomine illum donavit Zeno Cyzicenſis teſte Pontiano apud Athenæum (4).

Præclariores bonarum artium magiſtri, in eo efformando operam poſuerunt. Eos inter primum recenſendus eſt Praxiteles, qui duas Cupidinis ſculpſit elegantiſſimas, & a Calliſtrato (5) valde commendatas ſtatuas. Conſueta, qua effingebatur, forma erat ſub pueri formoſi ſpecie, pulcherrimi vultu, ore vividi, nudi corpore, micantibus oculis, cum alis, arcu, pharetra, & ſagittis. Videſis Anacreontem (6) variis in locis. Apulejus quoque (7) hæc appellat *magni Dei propitia tela*, ubi *propitia* idem eſſe ac *propria* nonnulli putant. At Cupidinem alas non habuiſſe ſunt, qui contendant; & nullo pacto eas illi convenire, quos inter Eubolus, ſeu Ararus in Campylione (8).

Τίς ἦν ὁ ἀνάψας πρῶτος ἀνθρώπων ἄρα
Ἠκηροπλαστήσας Ἔρωθ' ὑπόπτερον;
Ὡς οὐδὲν ᾔδει πλὴν χελιδόνας γράφειν
Ἀλλ' ἦν ἄπειρος τῶν τρόπων τῶν τοῦ θεοῦ

Quis mortalium primus quæſo pinxit,
Aut cera finxit alatum Amorem?
Nihil præter teſtudines ille pingere didicerat,
Quin & ingenium prorſus ignorabat hujus Dei.

& Alexis in Abſciſo:

. . . . λέγεται γὰρ λόγος
Ὑπὸ τῶν σοφιστῶν μὴ πέτεσθαι τὸν θεὸν
Τὸν Ἔρωτα, τοὺς δ' ἐρῶτας· αἰτίαν δ' ἔχειν
Ἐκεῖνον ἄλλως ἠγνοηκότας δὲ τοὺς
Γραφεῖς, ἔχοντα πτέρυγας αὐτὸν ζωγραφφεῖν

(1) Athen. ibi.
(2) Simonid. in Antholog. libr. 4. cap. 12.
(3) Anacreont. od. 10.
(4) Athen. libr. 13. cap. 2.
(5) Calliſtr. Stat. num. 3.
(6) Anacreont. od. 3.
(7) Apul. Met. libr. 5. p. 161. ad uſum Delph.
(8) Athen. ibid.

. . . . . *Creber ſermo eſt*
Apud ſophiſtas, non volare Deum
Amorem, ſed illos, qui amant: alia vero de cauſſa alas affingi:
Pictores autem ignaros pennatum eum delineaſſe.

Quod vero ſpectat ad arcum, quo inſtructus ſolet ſemper incedere, Theophraſtus (1) in Eroticorum libro ait, Cheremonem tragicum ſcripſiſſe: Δίδυμα τόξα αὐτὸν ἐκτείνεσθαι, χαρίτων τὸ μὲν ἐπ' εὐαίωνι τύχῃ, τὰ δ' ἐπὶ συγχύσει βιοτᾶς. *Duos arcus illum tendere, alterum Gratiarum bona fortuna, alterum doloris, quo vita hominum permiſcetur, ac confunditur.* Propertius (2) autem inter Latinos de cauſis ornamentorum Amoris eleganter hæc habet:

Quicumque ille fuit, puerum qui pinxit Amorem,
Nonne putas miras hunc habuiſſe manus?
Hic primum vidit ſine ſenſu vivere amantes,
Et levibus curis magna perire bona.
Idem non fruſtra ventoſas addidit alas,
Fecit & humano corde volare Deum.
Scilicet alterna quoniam jactamur in unda,
Noſtraque non ullis permanet aura locis
Et merito hamatis manus eſt armata ſagittis,
Et pharetra ex humero Gnoſia utroque jacet.

Accuratiorem Amoris imaginem exprimit Moſchus(3)pulcherrimo illo in idyllio, quo Venerem fugitivum filium exquirentem inducit.

Χρῶτα μὲν οὐ λευκὸς, πυρὶ δ' εἴκελος. ὄμματα δ' αὐτοῦ
Δριμύλα καὶ φλογόεντα, κακαὶ φρένες, ἁδὺ λάλημα
Εὐπλόκαμον τὸ κάρανον, ἔχει δ' ἰταμὸν τὸ πρόσωπον,
Μικκύλα μέν τήνω τὰ χερύδρια, μακρὰ δὲ βάλλει.
Γυμνὸς μὲν τόγε σῶμα, νόος δὲ οἱ ἐμπεπύκασται.
Τόξον ἔχει μάλα βαιὸν ὑπὲρ τόξω δὲ βέλεμνον.
Καὶ χρύσεον περὶ νῶτα φαρέτριον, ἔνδοθι δ' ἐντὶ
Τοὶ πικροὶ κάλαμοι τοῖς πολλάκι κημὲ τίτρωσκει.
Πάντα μὲν ἄγρια, πάντα, πολὺ πλεῖον δὲ οἱ αὐτῷ
Βαιὰ λαμπὰς ἐοῖσα τὸν ἅλιον αὐτὸν ἀναίθει.

Quæ ſic elegantiſſime vertit Angelus Politianus Latine:

Corpore non niveus, verum ignem imitatur, ocelli
Acres, ſlammeoli, mala mens, ſuaviſſima verba,
Criſpulus eſt olli vertex, facieſque proterva,
Exiguæque manus, procul autem ſpicula torquet,
Membra quidem nudus, mentem velatus inerrat.
Arcum habet exiguum: ſuper arcu impoſta ſagitta eſt.
Parva pharetra olli dependet, & aurea tergo,
Sunt & amari intus calami, quibus ille protervus Me

(1) Athen. libr. 13. cap. 2.
(2) Propert. libr. 2. eleg. 9.
(3) Moſch. Idyll. 1.

Me quoque ſæpe ferit matrem: ſunt omnia ſæva,
Omnia, ſeque ipſum multo quoque ſævius angit.
Parvula fax olli, ſed & ipſum Hyperiona vincit.

Hæc erat humana Cupidinis facies, cui varia addebantur ornamenta, ad mentem illius, qui opus imperabat. Pauſias, celeberrimus pictor, quem Horatius (1) jure meritoque commendat, eum expreſſit quaſi deponeret arcum, pharetram, atque ſagittas, & aſſumeret lyram (2). Diceres hanc picturam ab aliquo excogitatam, qui muſices, vel qui harmoniæ, & poëſeos dulcedine illectus fœdas turpiſſimi Amoris contemnebat voluptates. Zeuſis (3) Amorem roſeo ornatum ſerto pinxit, & Nealcus (4) ludentem læto Gratiarum formoſæque matris ſuæ choro immixtum. Monumenta, quæ uſque dum ſuperſunt, quæque nobis ejus exhibent imaginem variis ornatam ſymbolis, & mille diſtinctum modis oſtendunt. Ex quinque ejuſdem numinis ſtatuis, quæ in muſeo (5) Juſtinianeo adſervantur, ſingulæ aliquem habent præcipuum ornatum, a quo diſtinguuntur.

In quadam ſtatua (6) meditabundus ſedens, & pede teſtudinem premens aſpicitur. In gemmis vero, modo delphinum (7) equitatur, modo in vinculis (8) eſt, modo fruſtra volare contendit, id illi immani globo, qui ab ejus pendet (9) pedibus, prohibente; vel cum leone (10) ludit; aut lyram pulſat, aut cornu (11); vel ſagittas ad rotam acuit (12). Modo prope matrem jacentem (13) adeſt, & admovet illi roſeam coronam, nunc ab ejuſdem genitricis pendet (14) brachiis, modo denique coronam illi porrigit (15) Dea, vel ipſemet matri (16) arma præbet. Si Cupido in noſtro expreſſum ſimulacro æreus foret, non e Pario confectus marmore, crederem certe hunc unum ex duobus iis fuiſſe, quos conflavit Praxiteles, adeo noſter hic illis eſt ſimilis, ſi vera ſunt, quæ de ipſis ait Calliſtratus (17), quare noſtrum illis ipſis deſcribam verbis, quibus hic auctor duo illa ſimulacra deſcripſit. Παῖς ἀνθηρὸς, καὶ νέος, πτέρυγας ἔχων, καὶ τόξα. Εγαυροῦτο δὲ εἰς γέλωτα, ἔμπυρον τι, καὶ μείλιχον ἐξ ὀμμάτων διαυγάζων οἱ πλόκαμοι αὐτοῦ τὴν κεφαλὴν ἐσκίαζον ἀνθηροὶ καὶ ἔνουλοι, νεοτήσιον ἀπολάμποντες ἄνθος. *Puer floridus, tener, alis præditus, & arcu &c. Exultabat autem riſu, igneos quoſdam, & manſuetos oculis radios vibrans &c.: cincinni vero caput ejus obumbrabant venuſti, & criſpi, juvenili ſublucentes nitore.*

Noſtra hæc ſtatua, quæ celebrem Eſtenſem villam Tiburi exornabat, in Muſeum Capitolinum conceſſit beneficio BENEDICTI XIV. P. M., cui longum, fauſtum, & felix imperium Deus elargiatur.

HER-

(1) Horat. libr. 2. ſat. 7. v. 95.
(2) Pauſan. libr. 2. cap. 13. pag. 134.
(3) Scholiaſt. Ariſtoph. in Acharnan. & Suidas in v. Ζεῦξις.
(4) Plin. Hiſt. nat. libr. 35. cap. XI.
(5) Muſ. Juſtinian tom. 1. tab. 25. & 27. 28. 29.
(6) Schaic. ſtat. collect. num. 64.
(7) Maff. Gemm. tom. 3. tab. 17.
(8) Maff. Gemm. ibi tab. 14.
(9) Maff. Gemm. ibi tab. 20.
(10) Maff. Gemm. ibi tab. 19.
(11) Maff. Gemm. ibi tab. 11.
(12) Cauſſ. Gemm. tab. 35.
(13) Muſ. Juſtinian. tom. 1. tab. 90.
(14) Maff. Gemm. ibi tab. 8.
(15) Cauſſ. Gemm. tab. 73.
(16) Cauſſ. Gemm. tab. 75.
(17) Calliſtr. ſtat. n. 3.

HERCULES INFANS

TABULA XXV.

QUum neſcio quis inter antiquos declamatores de laudibus Herculis verba facturus in magna auditorum celebritate ſurrexiſſet, quidam ex circumſtantibus audito orationis argumento illum ſubſannatus regeſſit: Et quis nam Herculem uſpiam vituperavit? Eadem ratione, ſi quæ de illo dicta ſunt, vel ex fabulis, vel ex ſcriptis antiquorum mythologorum, ſeu hiſtoricorum; ſeu ex philoſophiæ placitis huc congerere velim, vererer ne jure & merito mihi obiiceretur: Et quis nam hæc adeo pervulgata ſcire avet, quum nullus ſit, qui ignoret Herculis facinora? Quare iis, quæ de Hercule antiquitus, & quæ in peculiaribus lucubrationibus recenter ad ſatietatem uſque, magno eruditionis apparatu dicta ſunt, prætermiſſis, de hoc egregie excuſo marmore verba faciam.

Hoc autem ræpreſentat Herculem infantem, dum adhuc puerulus duos ſuffocavit ſerpentes ab Junone zelotypa immiſſos, ut eum enecarent. Nam, ut ferunt mythologi, quum Alcmena Amphitrionis Thebani uxor ex furtivo cum Jove congreſſu Alcidem concepiſſet, ipſum ſtato tempore peperit in agro, Junonis invidiam metuens, ac infantem expoſuit. Minerva autem, & Juno caſu illuc prætereuntes illum non ſine admiratione conſpicatæ, Minerva Junonem ſuadet, ut eum pectori admoveat, & lac ei pæbeat. At puer ſupra ætatem compreſſius mammam illi vellicans, ab Junone doloris impatiente, projectus eſt; quem miſerata Minerva, tulit, & domum reportavit, matrique infantis nutriendum commendavit, qua re invidia acta Juno dracones immiſit infantem deglutituros, quos ipſe enecavit. Ex hoc primo Herculis facinore Diodorus (1) Siculus arbitratur illi hoc nomen obtigiſſe, quum antea Alcides appellaretur; *Heracles* enim Junonis gloriam ſignificat. Itaque quod in perniciem, & interitum præſtitum erat, ceſſit in gloriam. Nam ut ait, ipſe Diodorus (2): Τοῖς μὲν οὖν ἄλλοις οἱ γένευς τ' ὀνόματα περιτιθέασι, τούτῳ δὲ μόνῳ ἡ ἀρετὴ τὴν προσηγορίαν ἔθετο. *Aliis igitur parentes profecto nomina imponunt, huic autem ſoli virtus nomen conciliavit*. Verum prætereundum minime arbitror hunc Deum non a nativitate quidem Ἡρακλῆν vel Ηρακλείδην vocatum fuiſſe, ſed poſtquam veniſſet Delphos quadam de cauſa ad conſulendum oraculum, oraculi ipſius monitu, ut præter Ælianum (3) adfir-

(1) Diodor. Sicul. libr. 4. p. 218. edit. d. Rodom.
(2) Diodor. Sicul. libr. 4. p. 218.
(3) Ælian. Var. Hiſt. libr. 2. cap. 32.

adfirmat Euſtathius, ac Pindari Scholiaſtes (1), vel ut idem Euſtathius (2) ſubdit, quod ἀπὸ τῆς Ἥρας κληθεὶς, a Junone invocatus ei auxilium tulit. Præterea Macrobius (3) aliam Herculei nominis etymologiam comminiſcitur; ait enim: *Hercules quid aliud eſt, niſi* Ἥρας *ideſt aeris,* κλέος *ideſt gloria?* Diverſo tamen modo, hoc enarravit nomen Fulgentius (4). *Hercules*, ait ille, Ἡρακλῆς *Græce dicitur, ideſt* Ἡρώων κλέος, *quod nos Latini virorum fortium famam dicimus*. Sententiam hanc ſecutus eſt quoque Albricius (5) ſcribens: *Hercules enim Heracleos, ideſt virorum gloria fortium*. Hyginus (6) inſuper addit, hoc vere egregio patrato facinore, Deo infanti *Primigenii* nomen adjunctum fuiſſe: *Infans quum eſſet, dracones duos duabus manibus necavit, quos Juno miſerat, unde Primigenius eſt dictus*. In obſequium Herculis fortaſſe homines hoc nomen aliquando aſſumpſere, quod ſignificari videtur hoc marmore Romæ nuper effoſſo:

HERCVLI AVG. SACR.
EX VISO
PRIMIGENIVS.
IMP. CAESARIS. VESPASIANI.
AVG. IVVENCIANVS. TABVLAR.
A MARMORIBVS.

Verum quomodocumque ſe res habeat, a longiore hujus ſimulacri deſcriptione inſtituenda ſuperſedebo, quum hoc a Philoſtrato (7) juniore in libro de Imaginibus factum fuerit. Expreſſus in illa pictura erat Hercules eo ſtatu, ut videretur apprehendere manibus ab Junone immiſſos dracones, ne ad perterritam quidem matrem, quæ prope adſtabat, reſpiciens. Animalia illa in gyros caput glomerabant: pellis eis non amplius lucens, & vivida, ſed lividis, ſanguineiſque conſperſa erat maculis. Ex Alcmenæ matris vultu timor paulatim recedebat, & oriri videbatur hilaritas, propter filii ſui virtutem. Ad ejus ſollicitudinem timoremque ſignificandum, pictor eam ſola tunica amictam repræſentaverat, ſolutis crinibus, manibus elatis. Et circumpinxerat famulas illas, quæ parturienti adſtiterant. Ex altera tabulæ parte ingens multitudo Thebanorum militum adſtabat, qui auxiliatricem offerebant operam Amphitruoni, qui nudo micans gladio, in ſerpentes ruiturus videbatur. In angulo quodam Tireſias erat expreſſus, vaticinia de infante Hercule edens. Vates ille numine correptus afflatuſque apparebat. Induſtrius quoque pictor ad ſignificandum tempus, quo facinus patratum fuerat, noctem humana ſub forma tabulæ adjunxerat. Hunc pariter Herculis infantis laborem pin-

(1) Scholiaſt. Pindar. in od. 4. Iſthmic.
(2) Euſtath. ad libr. 3. Iliad.
(3) Macrob. Saturn. libr. 1. cap. 20.
(4) Fulgent. Mytholog. libr. 2. ſ. 7.
(5) Albric. De imaginib. deor. cap. 22.
(6) Hygin fab. 30.
(7) Philoſtr. Imagin. n. 5.

pinxiſſe Zeuſin auctor eſt Plinius (1). In quadam antiqua Muſei Victorii gemma facinus hoc pariter ſcalptum apparet. Aliæque fuere quondam noſtræ huic prope ſimiles ſtatuæ, quarum unam in Attica extitiſſe refert Pauſanias (2). Begerus quoque parvi ſimulacrum refert Herculis non duos, ſed unum draconem (3) elidentis. Quamvis hanc ſtatuam putem Herculem referre, tamen ille eſſe poſſet puer, quem Alcon (4) a dracone extinctum luget eleganti epigrammate. Nec deſunt alia quoque monumenta, quæ Herculem hoc ſtatu expreſſum referant. In collectione ſtatuarum, quam Schaichius publici juris fecit num. 18. Hercules eſt puer in genua procumbens, draconeſque occidens. In villa Burgheſiorum in monte Pincio ſtatua Herculis eſt noſtræ ſimilis. Ne autem tanto robore præditum fuiſſe puerulum abſonum videatur, *illum fuiſſe triplici dentium* ſerie a Jone Chio proditum in monumentis eſt; & legitur in Agricolationis (5) libro auctoris incerti, *in immortalitatis participatum ab Jove admiſſum, quod dormientis Junonis lac ſuxiſſet; quumque interim divini liquoris per cœlum effuſa portio eſſet, galaxiam effecit: non nihil vero & terram rigaſſet, natum inde lilii florem.*

Animadvertendum inſuper Herculem majore præ ceteris hominibus corpore donatum fuiſſe, quod ex ſtadii Olympici menſura Pythagoras collegit, ut eſt apud Aulum Gellium (6), quod multum conferre videbatur ad vires ſecundum eamdem magnitudinis rationem augendas. Quare aliquantulum magis veritati conſonum apud imperitum vulgus apparebit, quum a poëtis audiet, immiſſis in Herculem infantem, aut etiam ſtatim natum draconibus:

Citius e cunis exſilit: facit recta in angues impetum:
Alterum altera apprehendit eos manu perniciter,

& deinde ſic eos ſtrenue conſtrictos

...... *Puer ambo angues enecat,*

ut ait Plautus inter (7) Latinos. Inter Græcos vero habemus in Anthologia (8) poëtam hoc ita deſcribens Herculis præclarum facinus:

Θλῖβε δρακοντείοις περιμήκεας, ὄβριμε, χεῖρας
Ἥρακλες, δακέτων ἀγχιβαθεῖς φάρυγας,
Ἐξέτι νηπιάχοιο, χόλον ζηλήμονος Ἥρης
Αμπαυσον μόχθε, γνῶτι καὶ ἐκ βρέφεος,
Οὐ γάρ σοι κρητὴρ χαλκήλατος, οὐδὲ λέβητες,
Α᾽λλ᾽ ὁδὸς εἰς αὐλὴν Ζηνὸς ἔπαθλον ἔφυ.

Elide draconum prælongas, violente, manus,
Hercules, draconum profunda guttura,

Vel

(1) Plin. Hiſt. natur. libr. 35. cap. 9.
(2) Pauſan. libr. 1. cap. 24. p. 56.
(3) Beg. Theſ. Brand. tom. 3. p. 283.
(4) Anthol. libr. 6. cap. xi.
(5) Coel. Rhodig. l. 4. c. 1. l. 6. c. 7. & l. 21. c. 22.
(6) Aul. Gell. libr. 1. cap. 1.
(7) Plaut. Amphitr. act. 5. ſcen. 1. v. 63. &c.
(8) Antholog. libr. 4. cap. 8. n. 4.

Vel ex infante iram zelotypia affectæ Junonis
Compeſce: laborare diſce vel ex infante.
Non tibi enim crater ex aere, neque lebetes,
Sed via in Jovis aulam pretium eſt certaminis.

Hercules infans aliter quoque expreſſus eſt. Inter alios, qui data opera de Hercule, ejuſque monumentis diſſeruit, Begerus (1) in Theſauro Brandeburgenſi, necnon in peculiari opere, quod *Hercules Ethnicorum* inſcribitur, *ex variis antiquitatum reliquiis delineatus*; ubi & *Hercules draconicida* in tribus numis, & duobus ſigillis, & cetera ejus facinora, & labores conſpici queunt, quos Euripides (2) vocat ϛεφάνωμα, ſcilicet δωδεκαθλίαν, ſeu duodecim laborum collectionem; de quibus omnibus multa habet Apollonii Scholiaſtes (3), Seneca tragicus (4), Ovidius (5), & tandem Virgilius (6) qui de hoc facinore ait:

.... ut prima novercæ
Monſtra manu, GEMINOSQUE premens eliſerit ANGUES.

Gruterus (7) denique ex Pighii ſchedis protulit Herculis figuram ſtantis cum clava & leonis pelle. Mirum videri non debet, illum hoc ornatu exprimi antequam Nemæum leonem occidiſſet, quum Theocritus (8) de illo dudum infantulo canat:

Ὧδε μὲν Ηρακλῆα φίλα παιδεύσατο μάτηρ,
Εὐνὰ δ' ἦς τῷ παιδὶ τετυγμένα ἀγχόθι πατρὸς,
Δέρμα λεόντειον, μάλα οἱ κεχαρισμένον αυτῷ.
Sic autem Herculem cara edocuit mater.
Torus erat puero inſtructus prope patris torum,
Exuvium leonis, valde illi ipſi gratum.

(1) Beg. Theſ. Brand. tom. 3. p. 280.
(2) Eurip. in Hercul. fur. v. 355.
(3) Schol. Apoll. ad Argon. libr. 4.
(4) Senec. in Hercul. fur. v. 527.
(5) Ovid. Met. libr. 9. fab. 3.
(6) Virgil. Æn. libr. 8. v. 288.
(7) Grut. Inſcript. p. 681.
(8) Theocrit. in Hercul. infant. in fine.

HERCULES AVENTINUS

TABULA XXVI.

CEleberrimum hoc ſeu Herculis, ſeu ut vulgo audit, Herois Aventini ſignum maximi ſemper factum fuiſſe teſtantur auctores omnes, qui de Romanæ urbis ornamentis ſcripſere, & ab antiquis temporibus in Capitolio fuiſſe collocatum. Nam ſive marmoris præſtantiam ſpectes, quum ex baſalte efformatum ſit, ſive egregiam ſculptoris artem, qua ipſum excudit, auro contra illud æſtimandum putabis. Ectypum ejus ære inciſum multi nobis dederunt, ac nuper Maffejus (1), & Montfoconius (2); verum nemo tam diligenti, atque eleganti delineatione, ut in hac Tabula, nam nihil in extremarum linearum ductu, & umbrarum diſtributione excogitari poteſt præclarius. Cultu ornatur prorſus Herculeo, etenim leonis pelle, quæ infra collum ſuper pectus nodo conſtringitur, caput & ſcapulæ operiuntur, cetera nudus. Hercules ferme ſemper hac pelle repræſentatur ornatus ad Nemæi leonis cædem deſignandam, quam egregie excuſam in opere illo anaglypho omnes admirantur, quod in poſtico Villæ Mediceæ hic Romæ adfixum eſt, atque in quadam magni facienda Muſei Florentini (3) ſtatua, & in nummis apud Begerum (4), ſed non minus præclare in laudatiſſimi (5) tragici carminibus:

Πρῶτον μὲν Διὸς ἄλσος
Ἠρήμωσε λέοντος,
Πυρσῷ δ' ἀμφεκαλύφθη,
Ξάνθον κρᾶτ' ἐπινωτίσας
Δεινῷ χάσματι θηρός

Ac primum quidem nemus Jovis Hercules
Viduavit leone:
Fulvo autem CIRCUMTEXIT SE,
Flavum LEONIS CAPUT imponens tergo
Terribili rictu feræ.

At non ſemper, immo rarius hac utitur pelle pro capitis indumento. Aldrovandus (6) unum memorat Herculis ſimulacrum eodem modo velati capite: alia vero ſigna, quæ permulta ab eo recenſentur, vel hac pelle præcincta ſunt, vel ſuper illam incumbit Deus, vel in humeros hoc leonis ſpolium reiicit, vel ſuis illud brachiis circumvolvit: vel ſi ſedeat

(1) Maff. Raccolta di ſtat. n. 2.
(2) Montfoc. Antiq. tom. 1. tab. 48.
(3) Muſ. Florent. tom. 3. tab. 65.
(4) Beg. tom. 2. p. 566. & p. 785.
(5) Euripid. Hercul. fur. v. 360.
(6) Aldrov. Stat. di Rom. p. 251.

deat, ſuper femora pellem leonis retinet, ut in nummis Maximiani apud Begerum (1); at nunquam ea exutus apparet, præterquamquod ubi ille femineis (2) Jolis veſtibus amictus, hæc contra Herculis exuviis ornata in antiquis monumentis conſpicitur. Hoc etiam animadvertit olim Albricius (3): *Secunda victoria Herculis* (ait) *notabilis fuit, quià ipſe pugnaſſe cum leone, ipſumque clavâ mactaſſe, & interempto PELLEM ABSTULISSE dicitur, quo deinde ſpolio inceſſit SEMPER INDUTUS, ſignum victoriæ perceptæ. In quo etiam oſtentatur animi fortitudo, contra quam nulla vis corporea prævalet, quæ ſemper ſpolium leonis, ideſt vim virtutis defert.* Ea ratione, qua hic capite velato, nempe rictu leonino Hercules inſpicitur eadem in numo (4) Regum Macedonum pariter apparet; antiquis enim temporibus galeæ e pelle canis, ſeu lupi, ſeu alterius animantis fiebant. Hinc etiam nomen fortaſſe galeæ profluxit, nempe (5) a pelle τῆς γαλῆς, ideſt felis, aut muſtellæ, ex qua aliquando galeæ conficiebantur. Dextera manu tria præfert mala, quæ ex Heſperidum horto ſuſtuliſſe fertur, interfecto dracone, qui ad ea cuſtodienda in ſomnis vigilabat. Hoc etiam unum ex præclarioribus Herculis facinoribus fuit, quamobrem ſæpeſæpius non a poëtis tantum, & mythologis memoratur; ſed etiam frequenter occurrit in antiquis monumentis. Quapropter apud Latinum (6) Juvenalem nudi Herculis adſervabatur ſimulacrum manu hæc retinentis poma, penes quem draco Heſperidum horti cuſtos adſtabat; & in opere anaglypho Beneventi (7) Hercules cernitur hæc eadem poma decerpens. Inter innumera, quæ in ædibus Juſtinianis extant ſigna, quinque hoc Numen repræſentant, quorum duo cum (8) tribus pomis, duo cum duobus, & unum cum uno inſpiciuntur, ſecundum ſculptoris placitum. Hoc noſtrum tria manu ſiniſtra præfert, ex qua memoratæ pellis laciniæ dependent, dextera vero clavam minitantis more tenere videtur. Hic mos erat communis ſtatuæ hujus numinis excudendæ, ita teſtante Rhodigino (9), ac allegoriam enarrante: *Fabulantur item Græcorum plerique, Herculis ſtatuam effingi ſolitam ſiniſtra manu mala tria geſtantem, quæ clava conquiſiſſet dracone interempto, ideſt concupiſcentia ſubacta.* Caput corolla peculiaris formæ, ni potius diademate redimitur, eſt enim tænia quædam, quæ caput circumdat, at in punctis cardinalibus floſculo quodam ornata, ut in vertice frontis ex hoc typo videre eſt. Maffejus (10) in ea, quam adornavit, ſtatuarum Sylloge, hanc etiam Her-

(1) Beg. tom. 2. p. 780.
(2) Pict. Antiq. in Appendice tab. 19. Muſ. Florent. tom. 2. tab. 5. Maff. Gemm. tom. 1. tab. 100. & 101. & in numo maximi moduli ex Muſeo Piſanio tab. 24.
(3) Albric. De deorum imag. cap. 22.
(4) Beg. tom. 1. p. 231.
(5) Voſſ. De orig. idol. libr. 3. cap. 70.
(6) Aldrov. Stat. di Roma p. 164.
(7) Murat. Theſ. inſcript. tom. 1. p. 65. n. 3.
(8) Galler. Giuſtin. tom. 1. n. 11. e 14.
(9) Coel. Rhodig. libr. 6. cap. 7. Muſ. Flor. tab. 68. tom. 3.
(10) Maff. Raccolt. ſtat. tab. 19. & Muſ. Florent. ibid.

Herculis Aventini protulit, & ex hac præcipue corona, eam non Herculem, ſed hyemem repræſentare autumat. Quod an veritati conſentaneum ſit, me doctiores judicabunt.

Quandoque eum etiam lauro coronatum offendimus, ut in gemma quadam Muſei (1) Florentini, & Brandeburgenſis (2) theſauri, nec non ſylloges Maffeji (3), & in Phoeniciorum (4) nummis. Hanc coronam ſuis luculentiſsimis promeruit laboribus, quæ ideo ab Euripide dicitur (5) ςεφάνωμα μόχθων, quare fortaſſe apud Begerum ab ipſamet (6) Victoria coronari cernitur. In nummis (7) Chiorum corona radiata cinctus apparet: dextera clavam ſtringit, qua fere ſemper armatus conſpicitur, quo fit, ut ſæpius a poëtis Claviger nuncupetur. Ovidius (8):

CLAVIGER alloquitur: Patrias, age, deſere ſedes;

atque alio itidem loco (9):

Ecce boves illuc Eritheidas applicat HEROS,
Emenſus longi CLAVIGER orbis iter.

Ubi animadvertas velim, eum & Heroa, & Clavigerum ſimul dictum his carminibus, quod omnino marmori noſtro reſpondet, in quo Hercules & clavam præfert, & Heros Aventinus dicitur. Poſtremæ autem denominationis ratio ex eo deducta eſt, quod Hercules in Aventino Cacum occiderit, ut eleganter narrat Propertius: (10)

Amphitryoniades, qua tempeſtate juvencos
Egerat e ſtabulis, o Erythea, tuis;
Venit ad invictos pecoroſa Palatia montes,
Et ſtatuit feſſos feſſus & ipſe boves,
Qua Velabra ſuo ſtagnabant flumine, quaque
Nauta per urbanas velificabat aquas.
Sed non infido manſerunt hoſpite Caco
Incolumes: furto polluit ille Jovem.
Incola Cacus erat, metuendo raptor ab antro,
Per tria partitos qui dabat ore ſonos.
Hic, ne certa forent manifeſtæ ſigna rapinæ,
Averſos cauda traxit in antra boves &c.
Mænalio jacuit pulſus tria tempora ramo
Cacus, & Alcides ſic ait: ite boves.

Præter poëtarum carmina hoc facinus nobis præferunt gemmæ, & antiqua monumenta, quo Aventini Herois nomen huic numini ratum ſit. Ex marmore nigro egregius ſcalptor hoc ſignum egregie excudit, corporis habitu perpingui, vel potius obeſo, pleni

(1) Muſ. Flor. tom. 2. tab. 1.
(2) Beg. tom. 3. p. 278.
(3) Maff. Gemm. tom. 2. tab. 87.
(4) Beg. tom. 3. p. 72.
(5) Eurip. Hercul. fur. v. 355.
(6) Beg. tom. 1. p. 53.
(7) Idem tom. 3. p. 46.
(8) Ovid. Metam libr. 15. v. 22.
(9) Idem Faſt. libr. 1. v. 543.
(10) Propert. libr. 4. eleg. 9.

pleni tamen bono ſucco: grandioribus, craſsiſque membris, ac ſtaturæ brevioris, ut adoleſcenti congruit. Dicæarchus, teſte Clemente (1) Alexandrino, Herculem ita graphice deſcripſit: Σχιζίαν. νευρώδη, μέλανα, γρυπὸν, γλανότριχα ſcilicet, *quadratum, nervoſum, nigrum, naſo aquilino, promiſſis capillis*, quod ad amuſsim noſtro ſimulacro reſpondet, præterquam naſum habet potius ſimum, quam aquilinum. Verum enim vero nonnulli fuerunt, qui σχιζίαν interpretati ſunt *longis tibiis*, inter quos Hervetus, quod σχίζα ſignificet ligna diſſecta, unde nobis Italis factum eſt *ſcheggia*, quod idem ſonat. Verum σχιζίαν, ut Salmaſio (2) in hac parte ſummæ auctoritatis viro placuit, *eſt quadrati, & compacti corporis habitus, nam* σχίζα *eſt corpus ipſum, vel corporis truncus*. Præterea Hieronymus philoſophus apud eumdem (3) Clementem Alexandrinum eodem modo Herculem pinxerat: Μικρὸν, φριξότριχα, ῥωστικὸν, *parvum, horrentibus capillis, firmis viribus*, quæ omnia aperte apparent in hoc marmore, quod tandem, ut uno verbo dicam, omnino reſpondet Euripidis (4) carminibus, in quibus Mercurius Herculem venditurus ſic ait:

Ἤκιστα φαῦλος, ἀλλὰ πᾶν τοὐναντίον
Πρόσχημα σεμνὸς οὐκ ταπεινὸς, οὐδ᾽ ἀγὰν
Εὔογκος ὡς ἂν δοῦλος, ἀλλὰ καὶ στολὴν
Ἰδόντι λαμπρὸς καὶ ξύλῳ δραστήριος.
Nihil eſt in illo vile, ſed vultus gravis,
Habituſque pariter, ſordidum, ut ſervis, nihil,
Aut mole tardum: ſplendida aſpectu nitet
Vbique veſtis: corpus ad agendum viget;

ut vertit Joſua Barnes. Ad aſſerendam hanc Herois Aventini denominationem opportunus advenit Flaminius Vacca, teſtis ferme oculatus, qui narrat (5), hoc præſtantiſsimum ſimulacrum ſe vivente in monte Aventino effoſſum fuiſſe in vinea DD. de Maximis, ac Populo Romano magni, mille ſcilicet nummis, venumdatum, unde fortaſſe Aventini nomen obtigit huic ſigno.

HER-

(1) Clem. Alex. in Protrept. p. 26. edit. Oxon.
(2) Salmaſ. ad Tertull. De pallio p. 372.
(3) Clem. Alex. ibid.
(4) Euripid. in Sileo inter fragm. t. 2. p. 495. edit. Lond.
(5) Flamin. Vacca in epiſt. quæ extat in Roma antiq. Nardini in fine edit. Roman. n. 90.

HERCULES LERNÆUS
TABULA XXVII.

INter præclariora Herculis facinora recenſeri poſſet Lernaeæ hydræ occiſio, qua finitimorum populorum ſaluti, & tranquillitati optime ab eo conſultum, & proviſum eſt. Sed quum in partem diſcriminis ſecum habuiſſet Jolaum, Euryſtheus laborem hunc inter eos, quos Herculi demandaverat, numerari paſſus non eſt. Mythologi tamen, interfectionem beſtiæ hujus immaniſſimæ Herculi adjudicantes, inter imperata ab Euryſtheo opera numerant. Id plurima ſignificant antiquitatis monumenta, inter quæ maximo in pretio habendum eſt marmor anaglyphum Farneſianum, cuncta Herculis laborioſa deſcribens facinora, ubi hoc etiam ita commemoratur: ΔΕΥΤΕΡΟΝ ΥΔΡΑΝ ΛΕΡΝΑΙΑΝ ΕΚΤΕΙΝΕ. *Secundo, occidit hydram Lernæam.* Eximium hoc marmor Cl. Gorius in Inſcriptionibus Donianis edidit (1), nuperque illud novis animadverſionibus illuſtravit Odoardus Corſinius, cujus doctrinam, eruditionem, humanitatem, prudentiam, cæteraſque virtutes numquam ſatis laudem.

Non pauci antiquos inter artifices, dum reliquos Herculis labores repræſentarunt, Lernæum facinus quoque expreſſere. Cicero nos docet (2), Polycletum ſymplegma excudiſſe huic noſtro ſimile. Pauſanias (3) quoque teſtatur Tyſagoram idem pariter efformaſſe; additque hoc opus ex ferro confectum. Quum vero Plinius (4) nos doceat, baſaltem duritie & colore ferro eſſe ſimillimum, ex hoc marmore effectum ſymplegma illud credidiſſem, niſi idem auctor alio in loco clarius diceret, Alconem (5) quoque ferreum Herculem effinxiſſe, opuſque difficillimum ſuſcepiſſe, ad hujus numinis in diuturnis aſperiſque laboribus tolerantiam innuendam. Narrat Strabo (6), Lyſippum ſingulos Herculis ſculpſiſſe labores, quæ celeberrimi artificis opera in Acarnania ad Alitiæ portum, qui ſub tutela numinis illius erat, collocata fuere in quodam templo, quod maxima religione ab indigenis, nautiſque exteris colebatur. Opera hæc Romam delata fuiſſe a quodam Imperatore, idem auctor adfirmat. Herculeos labores Praxiteles (7) quoque ſculpſit, exceptis, quos circa aves Stymphalidas, & Eliacum ſtabulum exantlavit, qua

(1) Gor. Inſcript. Don. claſs. 1. n. 98.
(2) Cic. De orator. libr. 2. n. 70. ad uſum Delph.
(3) Pauſan. libr. 10. cap. 18. p. 841.
(4) Plin. Hiſt. nat. libr. 36. cap. 14.
(5) Plin. ibid. libr. 34. cap. 14.
(6) Strabo libr. 10. pag. 705.
(7) Pauſan. libr. 9. cap. 11. pag. 733.

quapropter inter illa, quæ egregius expreſſit artifex, quoque hydræ occiſio poteſt adnumerari.

Sed ut ad obſervandam hujus ſtatuæ elegantiam accedam, hanc eſſe non mediocrem, ſed præcipuam, ac ſingularem fatendum eſt. Illius artifex ignoratur. Alexander Maffejus (1) optime pendens ſtatuæ hujus excellentiam, eam in collectione ſua poſuit. In impluvio DD. Veroſpiorum a longo tempore ſpectabatur, quum Clemens XII. Pontifex vere Maximus, immortaliſque famæ, eam acquiſivit, & in Muſeo Capitolino juſſit collocari. Quum ætatis injuria, vel hominum barbarie, cruribus diminuta diu fuiſſet, centum poſtea ab hinc annis ea ſupplendi cura Alexandro Algardio commiſſa fuit, qui adeo ſcite, & pro artis ſuæ dignitate ea ſupplevit, ut caſu neſcio quo antiquis inventis, pulchrarum artium periti recenter addita crura non eſse dimovenda putaverunt, quum ea antiquis, quæ nunc ſunt in noſtro Muſeo, æquiparari poſſint.

Marmor hoc Herculem in juvenilis ætatis flore imberbem exhibet, nec in convenientiore ætatis tempore artifex illum poterat figurare, quum hydræ Lernaeæ facinus ab eo in juventute patratum fuerit. Nihil in capite præter ſtrophium geſtat, nec populi arboris ſuæ frondibus (2), nec laurea corona exornatus apparet; ut ſæpeſæpius cinctum fuiſse ex Pauſania (3), & Maffei gemmis (4) colligimus. Nudus totus eſt in ſimilitudinem ſigni illius, quod Dædalus Corinthi ſculpſit, ut nobis idem Pauſanias (5) teſtatur. Dextera manu facem monſtri capitibus admovet. Pars poſterior *beſtiæ* hujus *immanis*, ut eam jure Varro (6) appellat, retro Herculem jacet. Eam anonymus quidam Græcus Herculis laborum enarrator (7) deſcribit his verbis: Ἡ δὲ θηρίον ἦν ἀμαιμάκετον, σῶμα μὲν ὑπερμέγεθες, κάρηνον δὲ ἔχων ἐννεακέφαλον. Τῷ γὰρ τῆς Λέρνης ἕλει τραφὲν, προϊὸν τοῖς πεδίοις, πᾶν ὅτι προστύχοι διέφθειρεν. *Ingens indomitumque animal, vaſto corpore, cervice una novem capitibus aſſurgens; in Lernæ paludibus enutrita, ſuo excurſu omnia ſibi obvia per campos devaſtabat*. In exquirendis hujus fabulæ myſteriis ne parum quidem immorabor, quum id præſtiterint eruditiſſimi homines.

Poſsem denique hoc loco varia ornamenta recenſere Herculis imaginibus antiquitus addita, ni eſse a re alienum putarem. Innuam tamen aliquando armatum conſpici (8), aliquando cum (9) Cupidine, vel amica (10) Jole ludentem, & ejus veſtimentis indutum, & lanæ torquentem penſa, dum Amores tibias & calamos modulantes, & quaſi de ſuperato fortiſsimo viro ſibi plaudentes, quod omnia vincat Amor, leo-

(1) Maff. Racc. ſtat. tab. 36. & 37.
(2) Phædr. Fab. libr. 3. 17.
(3) Pauſ. libr. 9 cap. 10. pag. 730.
(4) Maff. Gemm. tom. 2. tab. 87. 88. 89.
(5) Pauſ. libr. 2. cap. 4. p. 121.
(6) Varr. apud Nonn. in V. *Immane*.
(7) Allatii Excerpta varia p. 324.
(8) Pauſ. libr. 3. cap. 15. pag. 244.
(9) Maff. Gemm. tom. 2. tab. 98.
(10) Muſ. Florent. tom. 2. tab. 9.

leonem manſuetum faſciolis implicant. Videas illum, ſis, ita expreſſum in opere muſivo noſtri (1) Muſei. Lucianus quoque (2) in Gallia picturam quamdam Herculis ſpectavit mirabilem hac forma. Deus hic quem Ogmium vocant, ultimæ ætatis eſt, recalvus, plane canis, qui ſuperſunt, capillis, rugoſa cute, & ad nigerrimum colorem peruſtus, quales ſunt ſenes, qui in mari opus faciunt. Potius Charontem; aut Japetum de tartareis ſpecubus, & omnia potius quam Herculem eſſe ſuſpiceris. Verum talis quum ſit, habet tamen apparatum Herculis. Etenim pellem leonis ſuſpenſam gerit, & clavam dextra præfert, & pharetram appenſam, & intentum arcum ſiniſtra oſtendit: atque per omnia eſt Hercules. Sed quod in illa pictura maxime notandum eſt, ſenex ille hominum magnam catervam trahit; quos auribus omnes tenet revinctos. Vincula autem illi ſunt tenues catenæ, ex auro atque electro elaboratæ, monilibus pulcherrimis ſimiles. Et tamen ab infirmis adeo catellis tracti, neque fugam moliuntur, quum poſſint facile, neque omnino contra tendunt; ſed ſequuntur hilares, & ductorem ſuum laudant. Pictor catenas illas extremæ Herculis linguæ appendit, ad eloquentiæ maxime vim ſignificandam. Ceterum hujus noſtræ itidem ſtatuæ poſteriorem partem delineandam, atque ære incidendam curavit ex Sandarto, at non quidem perbelle, & eleganter, Begerus in ſuo *Hercule Ethnicorum* tab. 7. ubi etiam numos, & gemmas quaſdam refert, in quibus hic ſecundus Herculis labor expreſſus eſt.

AESCU-

(1) Appendix ad Pict. vet. tab. 19. edit. Rom. 1752. (2) Lucian. Hercul. 1.

AESCULAPIUS

TABULA XXVIII.

DE Aeſculapii ortu, ejuſque parentibus, & de loco nativitatis, atque illius nutrice, multa, & varia inter ſe ex mythologis derivata Pauſanias (1) profert. Arcades, ut a majoribus acceperant, narrabant Aeſculapium vix natum in agro Telpuſio, ut ea tempeſtate mos erat, expoſitum fuiſſe, quem quum Autolaus Arcadis filius forte ſic expoſitum inveniſſet, Trygoni nutrici alendum dedit, cujus poſtea ſepulcrum in Arcadia extitiſſe narrat idem Pauſanias (2). Diodorus (3) Siculus, uti ferme omnes fabularum enarratores, Aeſculapio patrem Apollinem, matrem vero Coronidem tribuunt. Is igitur a patre medendi artem eſt edoctus, in qua adeo excelluit, ut pro Deo habitus ſit, ac illi ſimulacra & templa, quorum duo in Attica, ut videre eſt in Scholiaſte Ariſtophanis (4), fuerint dicata. De templo ejus in Arcadia mentionem fecit Pauſanias (5), qui aliud memorat in Acaja poſitum (6), in quo utrum Phœnices, an Græci in theurgia doctiores forent, diſputavit cum quodam Sidonio, totamque Aeſculapii ἀλληγορίαν enarravit. Phœnix namque ajebat, Aeſculapii patrem Apollinem celebrari merito quidem, & vere, matrem autem negabat mortalem fuiſſe. Aeſculapium enim nil aliud quam aërem eſſe, ex quo bona valetudo, quam Græci ὑγιεῖαν appellant; Apollinem ſane, qui Sol eſt, jure patrem Aeſculapii perhiberi, quod anniverſarias viciſſitudines ſuo curſu conficiens aëri ſalubritatem impertiat. Pauſanias verò hæc omnia Phœnici concedens, illi oſtendebat, hanc non ſuorum tantum popularium, ſed Græcorum etiam opinionem eſſe, quum vel in quodam Sicyoniorum oppidulo Aeſculapii ſignum exſtaret Saluti dicatum: eſſe vero etiam pueris manifeſtum ex Solis curſu corporum noſtrorum ſalubritatem derivari. Cui nam ignotum eſt, in Epidauro magna coli veneratione hunc Deum, in quo templa ipſi, ejuſque uxori Epioni (7) dicata fuerunt: & in Meſſenia (8) ipſi Deo ejuſque filiis pariter templum dicatum fuerat? A ſimulacris recenſendis ſuperſedebo, quum etiam nunc quamplurima ſuperſint. Omnino præterire ea non poſſum, quæ aliquod in ſe peculiare ſymbolum habent. In Epidauro, teſte eodem Pauſania (9), ſimulacrum quoddam Aeſculapii exſtabat, quod an ligneum, an æreum foret non plane conſtabat, nec cujus opus foret: illius vero facies, manus, & pedes tantum viſebantur, cetera tectum lanea tunica,

(1) Pauſan. libr. 2. cap. 26. p. 170.
(2) Pauſan. libr. 8. cap. 25. p. 651.
(3) Diodor. Sicul. libr. 4. p. 189. 235.
(4) Schol. Ariſtoph. in Plautum ſc. 1.
(5) Pauſan. libr. 8. cap. 25. p. 651.
(6) Pauſan. libr. 7. cap. 23. p. 583.
(7) Pauſan. libr. 2. cap. 29. p. 177.
(8) Pauſan. libr. 4. cap. 31. p. 358.
(9) Pauſan. libr. 2. cap. XI. p. 136. & 137.

nica, & pallio. Prope hoc Aeſculapii Gortinii ſtatua poſita erat cum veris ſerpentibus, de qua idem auctor ſcribit, adeo homines terrore ad anguium adſpectum percelli, ut accedere vereantur; ceterum cibum illis in primo aditu apponi, neque ullam præterea aliam curam eorumdem geri.

Verum eodem in loco, teſte Athenagora (1), alia viſebatur hujus numinis ſtatua a Phidia exſculpta. Deum hæc exhibebat manu caput draconis prementem, dum interea ad pedes ſtabat canis; quod animal non ſtatuis tantum, verum etiam Æſculapii templis apponebatur; nam auctore Feſto (2): *uberibus canis ſuit enutritus*. Albricius (3) philoſophus in libro, quem De imaginibus deorum inſcripſit, formam nos docuit, qua Aeſculapius ſolebat repræſentari. Hæc auctoris verba ſunt: *Ejus imago erat homo quidam cum barba valde prolixa: indutus habitu medici, ſedens: in cujus ſinu erant pyxides unguentorum, & alia inſtrumenta ad medicum pertinentia: cujus manus dextra barbam tenebat, ſiniſtra baculum cum ſerpente geſtabat intorto*. Huic deſcriptioni ex parte reſpondet quoddam Aeſculapii ſimulacrum, in ædibus DD. Columnenſium aſſervatum, & hoc numen oſtendens ſolito innixum baculo, & dextra vaſculum tenens.

Aeſculapii ſtatua Archagetæ appellati apud Phocenſes (4) colebatur, cui tam promiſſa fuerat barba, ut longitudo ejus duos & dimidium æquaret pedes. Et revera in more poſitum Aeſculapio fuiſſe barbam alere, teſtatur Valerius (5) Maximus ſcribens, Dionyſium Syracuſanorum tyrannum, auream barbam auferri Aeſculapio Epidauri imperaſſe, quod improprium eſſet, filium ſpectari bene barbatum, dum interea ejus pater in omnibus templis imberbis repræſentaretur. Ægyptiæ gentes, ut ſenem Aeſculapium oſtenderent, non longa ſolum barba ornatum efformabant, ſed auctore Syneſio calvum etiam (6).

Non ſemper nudum oſtendit caput, verum aliquando ſtrophio cinctus (7), vel pileo indutus apparet, ut aſpicere illum poſſumus in numiſmatibus Bonarrothi (8), & Stradæ (9); modo calathum ejus capiti ſuperimpoſitum gerit, ut ait Begerus (10); & modo laurea circumdatur corona, ut videre eſt apud Cauſſeum (11) in quadam gemma. Nec mirum videri debet lauream geſtare Aeſculapium coronam, quum veteres lauro innumeras medicas virtutes tribuerint (12).

Pallio amicire humeros totumque corpus ſolet, quod veſtis genus in tanti numinis memoriam gerere conſuevere ſequentium temporum

(1) Athenag. Legat. pro Chriſt. cap. 17.
(2) Feſt. V. *Aeſculapius*.
(3) Albric. De Deor. imaginib.
(4) Pauſan. libr. 10. cap. 32. p. 879.
(5) Val. Maxim. libr. 1. cap. 1.
(6) Syneſius De laudib. calvit.
(7) Maff. Gemm. tom. 2. tab. 54.
(8) Bonarot. Obſervat. in Numiſm. Antonini Pii.
(9) Strada p. 5. num. 104. edit. Francofurti 1615.
(10) Beg. Theſ. Brand. tom. 3. p. 277.
(11) Cauſſ. Gemm. tab. 2.
(12) Galen. De ſimplicib. libr. 1. Plin. Hiſt. nat. libr. 29. cap. 24.

porum medici. Qnare Japedes Æneæ medicus hanc veſtem in uſu habuiſſe videtur teſte Virgilio (1):

. . . . *ille retorto*

Pæonium in morem ſenior ſuccinctus amictu.

De pallio ſacerdotum numinis hujus hæc ſcripſit Tertullianus (2): *Ipſum hoc pallium moroſius ordinatum, & crepidæ Græcatæ, Græcatim Æſculapio adulantur.* De baculo, & dracone hæc ait feſtiviſſimus Apullejus (3): *Diceres Dei medici BACULO, quod ramulis ſemiamputatis nodoſum gerit, SERPENTEM generoſum lubricis amplexibus inhærere.* Mirum Æſculapii ſimulacrum ſe quoque vidiſſe teſtatur Oximi Lilius Gregorius Giraldius (4). Illud egregius auctor his verbis deſcribit: *Indutus eſſe videbatur ſubucula Græcanica, & amiculo ſuccinctus: dextra quidem duos gallos continebat, ſiniſtra vero in amiculi lacinia fructus neſcio quos tenere videbatur.* Qui Giraldio fructus, fortaſſe vaſa unguenti erant, de quibus verba fecit Albricius. Sæpeſæpius in gemmis ſimul cum Hygia ſalutis dea cernitur, & aliquando etiam cum Teleſphoro convaleſcentiæ numine. Gemma quædam apud Maffejum (5) tria hæc numina ſimul juncta refert. Teleſphorus in medio eſt, ad dexteram Aeſculapius ſtat, ad ſiniſtram Hygia. Laurea hiſce numinibus corona ſuper impoſita eſt; & in extrema gemmæ parte hæc verba leguntur inſcripta: CVZETE ME, fortaſſe pro CΩZETE ME, *me ſervate.* In quodam Adriani numiſmate, quod inluſtravit Bonarrothius (6), Aſculapius *ſervatoris* nomine appellatur. Poſſem hic quidem ſingulorum ſymbolorum, quæ ejus imaginibus addebantur, ſignificationem inquirere, verum quum Feſtus (7), & Macrobius (8) magnæ auctoritatis viri mihi præiverint, illorum verba proferam. Feſtus itaque ait: *In inſula Aeſculapio facta ædes fuit, quod ægroti a medicis aqua maxime ſubſtententur: ejuſdem eſſe tutelæ draconum, quod vigilantiſſimum ſit animal, quæ res ad tuendam ægroti valetudinem maxime apta eſt. Canes addebantur ejus templo, quod is uberibus canis ſit enutritus: bacillum habet nodoſum, quod difficultatem ſignificat artis. Laurea coronatur, quod ea arbor plurimorum ſit remediorum.* Verum Macrobius clarius Æſculapii & Hygiæ explicat ἀλλεγορίαν hiſce verbis. *Hinc eſt, quod ſimulacris Æſculapii & Salutis draco ſubjungitur, quod hi ad naturam Solis & Lunæ referuntur. Et eſt Æſculapius vis ſalubris de ſubſtantia Solis ſubveniens animis corporibuſque mortalium. Salus autem naturæ lunaris effectus eſt, quo corpora animantium juvantur ſalutifero firmata temperamento. Ideo ergo ſimulacris eorum junguntur figuræ draconum, quia præſtant, ut humana corpora velut infirmitatis pelle depoſita, ad pri-*

(1) Virg. Æneid. libr. 12. v. 400.
(2) Tertull. De pallio cap. 4.
(3) Apul. Metam. libr. 1. p. 8. ad uſum Delph.
(4) Lil. Greg. Girald. De Æſculapio.
(5) Maff. Gemm. tom. 2. tab. 55.
(6) Bonarot. Numiſm. n. 6. tab. 6.
(7) Feſtus in v. *Aeſculapius.*
(8) Macrob. Saturn. libr. 1. cap. 20.

priſtinum revireſcunt vigorem, ut vireſcunt dracones per annos ſingulos pelle ſenectutis exuta. Poſtquam vero demonſtravit Aeſculapio & Apollini eadem ſymbola convenire, addit: *Aeſculapium vero eumdem eſſe atque Apollinem, non ſolum hinc probatur, quod ex illo natus creditur, ſed quod ei & jus divinationis adjungitur. Nam Apollodorus in libris, quibus titulus eſt* Περὶ Θεῶν, *ſcribit, quod Aeſculapius divinationibus, & auguriis præſit. Nec mirum; ſi quidem medicinæ, atque divinationum conſociatæ ſunt diſciplinæ; nam medicus vel commoda, vel incommoda in corpore futura prænoſcit.* Ut vero præcipue de noſtri Muſei ſimulacro verba poſtremo faciamus; obſervandum eſt Aeſculapium in hoc repræſentari barbatum, ut in more erat eum ſæpius fingere, quamvis aliquando imberbis pictus fuerit, ut teſtatur Pauſanias (1), idque ea de cauſa, quod Sol ſimul juvenis & ſenex ſit: juvenis quum quotidie rurſum oriatur: ſenex vero, quod ab Orbis origine Mundum regat. Hinc quoque eſt, quod ſæpe ſtans conſpiciatur, & Pauſanias aliquando illum ſedentem aſpexerit (2).

Aeſculapius noſter veſtem habet illi ſimilem, qua indutus eſt ille, qui in ædibus Farneſianis adſervatur, de quo Aldrovandus (3) ait: *Poi ſegue un Eſculapio belliſſimo, che ſta avvolto ſull'ignudo con un mantello, onde moſtra mezzo ignudo il petto. Ha le ſcarpe in piè all'antica, e gli manca il braccio dritto. Gli ſi vede appreſſo un ſerpente &c.* Nec multum a noſtro forma diſtare videtur ſimulacrum illud, quod jam penes fuit Petrum appellatum *Capo di ferro*. His verbis illud Aldrovandus deſcribit: *Entrando nel giardino s'incontra toſto una ſtatua grande d'Eſculapio Dio della medicina. E' mezzo ignudo, e ha il ſuo manto gittato in ſpalla, e un ſerpe nella mano ſiniſtra. Gli è accanto una ſua figliuola veſtita, con un ſerpe rivolto nel braccio. Sono amendue di un pezzo ſteſſo.* De quodam immani Aeſculapii ſigno loquitur Pauſanias (4), cui ſimile aliqua ex parte fuiſſe dicendum eſt illud, quod Aldrovandus (5) refert fuiſſe in ædibus præſulis Franciſci Soderini: *Vi è un grande Eſculapio veſtito, e alto da venticinque palmi, e largo otto: ha il ſuo ſerpe accanto, ed è una belliſſima ſtatua, ma non ha teſta.*

HYGIA

(1) Pauſan. libr. 2. cap. 10. p. 134. & cap. 13. p. 141.
(2) Pauſan. libr. 2. cap. 30. pag. 180. atque idem libr. 2. cap. 23. pag. 165.
(3) Aldrov. ſtat. p. 153.
(4) Pauſan. libr. 2. cap. 27. p. 173.
(5) Aldrov. ſtat. pag. 230.

HYGIA
TABULA XXIX.

TAnti ſemper homines ſanitatem fecerunt, ut Antiqui, potius utilitate, quam religione abrepti, eam ſeu numen coluerint, Hygiamque Græce appellarint, ſub mulieris ſpecie pateram & ſerpentem manu arripientis illam repræſentare ſoliti, ut videre eſt in hac noſtri Muſei Tabula. Qui autem cordatiores fuerant, nil antiquius habuerunt, quam ſanitatem a Deo deprecari, poſthabitis ceteris vitæ bonis, quibus plerique mortalium attoniti inhiant. Hanc in votis illam jugiter habuiſſe Pyrrhum (1) ferunt, præ regni ampliandi opportunitate, præ gloria, famaque æterna adipiſcenda, vel divitiarum cumulo augendo. Sic Antiochus Soter pro militari teſſera, dum adverſus Galatas pugnaret, ὑγιαίνειν, ideſt *bene valere*, in quiete monitus exercitui dare, præclaram retulit de hoſte victoriam. Hac itidem ſalutatione uſus eſt in epiſtolis Pythagoras: ejuſque diſcipuli ſymbolum, quo inter ſe uterentur, ὑγείαν nominabant. Et ex Dione (2) in Adriano accepimus etiam Romanos, dum ſe ſe invicem ſalutarent, mane verbo χαῖρε, veſpere autem ὑγίαινε uſos fuiſſe. Quamobrem neſcio cur Cœlius (2) Rhodiginus, helluo ille librorum, & verus abditarum rerum conduſpromus, inter ignotos deos Hygiam rejecerit, cujus ſimulacri apud Sicyonios mentionem facit, quod magna ab illis celebritate, ac veneratione colebatur. Niſi forte id fecerit, quandoquidem vix ejus ſtatua conſpici quibat, *paſſim illi a mulieribus capillis dicatis, quos Deæ honori reſecari moris illarum eſt* (3); quod ex Pauſania (4) didicerat, qui addit non ſolum votivis capillis, ſed & Babylonicæ veſtis laciniis operiri. Hoc noſtrum ſimulacro alteri Æſculapii comes datum antiquitus fuit, nam ex eodem marmore nigro, ejuſdem magnitudinis atque ejuſdem artificii ambo ſunt; nec mirum, ambo enim ſanitati conſervandæ, vel recuperandæ præerant; ideoque etiam in antiquis inſcriptionibus eorum nomina ſæpius copulantur. En unam ex Latinis (5):

AESCVLAPIO ET HYGIAE
L. SEPTIMIVS NIGRINVS
PATRO. COLL. FABROR
COL. APVL.
PRO SALVT. SVA
ET SVORVM.

En

(1) Cœl. Rhodig. libr. 7. cap. 24.
(2) Dion. libr. 69. pag. 796.
(3) Cœl. Rhodig. libr. 22. cap. 2.
(4) Pauſan. libr. 2. cap. XI. pag. 137.
(5) Gruter. Inſcript. tom. I. pag. 69.

En alteram ex Græco (1) penu:

ΑCΚΛΗΠΙΩΙ CΩΤΗΡΙ
ΚΑΙ ΥΓΕΙΑ
ΓΝ. ΓΑΟΥΙΟC ΦΙΛΟΝΙΜΟC
ΑΝΕΘΗΚΕΝ

Æſculapio Servatori
& Hygiæ
Gnæus Gavius Philonimus
poſuit.

Noſtrum hoc ſimulacrum juſta ſtatura minus ex dono Eminentiſſ. Card. Petri Othoboni in Muſeum Capitolinum conceſſit.

Valde opportune hic notanda venit altera hujus Deæ ſtatua, quæ in muſeo Principum Juſtinianeorum, copia marmorum inſigni, adſervatur, ſed multo accuratius obſervanda ſtatua quædam, & majore in pretio habenda, quæ in atrio ædium eorumdem (2) e conſpectu ſcalarum conſpicitur. Major eſt enim, quam naturalis feminarum ſtatus, habituſque. Sedet autem, atque a ſerpente immenſæ molis immenſis voluminibus circumdatur, qui caput ſuum pateræ admovet, quam cum libaminibus ſiniſtra tenet Dea. Patera hæc a Polluce (3) vocatur Igeia, & ſi Scholiaſti Ariſtophanis (4) fides habenda eſt, ea ut crater Jovis ſacra fuit. Præter hæc mitellam in frontis vertice gerit, quæ ſacerdotii indicium auctore Philoſtrato præbet (5). Aliquando caput lauro redimitum habet, ut ſpectatur in gemma apud Cauſſeum (6), qui aliam quoque refert, quæ Deam hanc exhibet in throno ſedentem (7), uſque ad inferiorem corporis partem nudam, & capillis incompoſitis.

Verum duo alia mirabilia Hygiæ ſchemata viſuntur duobus in gemmis, quarum unam protulit Maffejus (8), alteram Bonarothius (9) in ſuis ad antiqua numiſmata obſervationibus. In illa, quæ apud Maffejum habetur, ſaxo inſidet, nuda eſt uſque ad infimam corporis partem, dextra pomum tenet, cui draco os admovet. Prope eam animal quoddam ſtat lupo ſimile, ſed quod fortaſſe canis eſſe poteſt, qui magis ei conveniret. Magis notatu digna eſt gemma, quam Bonarothius producit, nam ſolitis ornatam ſymbolis Hygiam oſtendit, & præterea ſuper caput loti florem retinet, alas humeris additas habet, eique ad pedes Nemeſeos rota adſtat. Quæ ſit mirabilis hujus gemmæ ſignificatio, inquirit in immortali opere ſuo idem Bonarothius, quare ab ea inluſtranda ſuperſedebo, nam nihil elegantius, nihil ejus eruditis animadverſionibus copioſius inveſtigari poteſt.

BAC-

(1) Murat. Inſcript. tom. 1. pag. 21.
(2) Muſ. Juſtinian. tom. 1. tab. 78.
(3) Pollux Onom. libr. 7. ſegm. 107. vel cap. 21.
(4) Schol. Ariſtoph. in Plut.
(5) Philoſtrat. Vit. Apoll. libr. 4. cap. 9.
(6) Cauſſ. Gemm. tab. 17.
(7) Idem ibi tab. 79.
(8) Maff. Gemm. tom. 2. tab. 57.
(9) Bonarot. Obſervat. ad Numiſm. pag. 225.

BACCHUS
TABULA XXX.

MUltiplices adeo, vulgareſque Bacchum repræſentandi formæ antiquis in uſu fuerunt artificibus; ut facili negotio & ſtudio ei ornamentum, vel ſymbolum aliquod, quo ab aliorum numinum turba dignoſceretur, addere potuerint. Hæc Philoſtrati (1) ſententia eſt, qui in libro De imaginibus de Baccho ſcribit: Διονύσου τὲ μυρία φάσματα, τοῖς γράφειν ἢ πλάττειν δυναμένοις, ὧν κἂν μικροῦ τύχη τις, ᾕρηκε τὸν θεόν. *Bacchi quoque innumeræ formæ ſunt illis, qui fingere ac pingere poſſunt, quarum modo exiguam aliquam partem attigerit quiſpiam, Deum aſſequitur.* Ea hic ſymbola, quæ noſtro adjacent ſimulacro, contemplanda ſuſcipiam, obſcuram numinis originem relinquens aliis inquirendam, quum tenebris undique circumſepta ſit, quod poëtæ tam multa de Baccho cecinerint, ut Diodoro Siculo (2) & Philoſtrato (3) tres hujus nominis Deos; Ciceroni (4) vero quinque fuiſſe, dubitandi locum dederint.

Simulacrum igitur noſtrum muliebri forma, & molli præditum fuiſſe Bacchum oſtendit, ſed & omnia ferme illius monumenta hoc vultu eum exhibent. Ita illum effingere in more poſitum eſſe antiquitus teſtatur Albricius (5) qui ait: *Erat imago ſua facie muliebri.* Eleganter quoque Tibullus (6) in hanc rem cecinit:

Solis æterna eſt Phœbo, Bacchoque juventa.

Ovidiuſque (7):

.... *tibi enim inconſumpta juventus;*
Tu puer æternus, tu formoſiſſimus.

Verum præſtantiſſimam Bacchi formam deſcribit Calliſtratus (8), dum ſtatuam illius recenſet, quam Praxiteles finxerat. Hæc auctoris elegantiſſimi verba ſunt: Ἦν δὲ ἀνθηρὸς, ἁβρότητος γέμων, ἱμέρῳ ῥεόμενος, οἷον αὐτὸς Εὐριπίδης ἐν Βάκχαις εἰδοποιήσας, ἐξέφηνε. γέλωτος δὲ ἔμπλεως, ὃ δὴ καὶ παντὸς ἦν ἐπέκεινα θαύματος, ἡδονῆς ἀφεῖναι τὴν ὕλην τεκμήρια, καὶ τὴν παθῶν δήλωσιν ὑποκρίνεσθαι τὸν χαλκόν. *Venuſtus autem erat, delicata mollitie plenus: oculorum illecebris ſcatens, qualem ipſe Euripides in Bacchis delineatum repræſentavit. Totus porro riſu plenus erat, quod certe omnem excedebat admirationem; voluptatis nempe indicia ſuppeditare materiam, affectuumque ſignificationem æs æmulari.* Si quis fortaſſe quærat, qua de cauſa antiqui artifices adeo

(1) Philoſtrat. Imag. n. 15.
(2) Diod. Sicul. libr. 3. cap. 62.
(3) Philoſtiat. Vit. Apoll. libr. 2. cap. 8.
(4) Cic. De nat. deor. libr. 3.
(5) Albric. Imag. cap. 22.
(6) Tibull. libr. 1. eleg. 4. v. 33.
(7) Ovid. Metamorph. libr. 4. v. 17.
(8) Calliſtr. Stat. n. 8.

adeo juvenili & molli Bacchum exprimerent forma, ex Phurnuto (1) intelligere poterit, qui ſingula hujus Dei ſymbola perpendit. Ait enim, eo corporis ſtatu efformatum fuiſſe, quod vinum enervet vires, ineptoſque magnanimis operibus reddat homines, qui eo immodice utuntur. Ego vero putarem, præter hanc, aliam habuiſſe veteres poëtæ rationem, eum adoleſcentulum fingendi; ad denotandum ſcilicet idem cum Sole Bacchum fuiſſe, ut patet ex Macrobii (2) ſententia, ideoque ephæbum repræſentatum fuiſſe.

Idem Macrobius (3) nos docet, non ſemper Bacchum juvenili aſpectu decorum expreſſum fuiſſe, ſed ut ille ait: *Liberi patris ſimulacra partim puerili ætate, partim juvenili fingunt: præterea barbata ſpecie, ſenilique; uti Græci ejus, quem Baſſaræa, item quem Briſea appellant, & ut in Campania Neapolitani celebrant, Ebona cognominantes*. Begerus (4) in quadam gemma Bacchi barbati imaginem profert. Totus ibi nudus eſt, pampineam coronam uvis gravem gerit: longam ſiniſtra haſtam ſuſtinet: dextra craterem tenet. Juventus, & ſenecta illi optime conveniunt, nam ætatibus omnibus vini uſus eſt in deliciis (5).

Bacchus Capitolinus noſter longas diffluenteſque habet comas. Sculptor conſulto quidem illum hunc in modum expreſſit, quum nemo prorſus ignoret, quantis laudibus capillorum ipſius venuſtas undique fuerit concelebrata.

Hederaceam gerit coronam, & apte quidem, quum hedera illi ſacra ſit, quod ſimili a vitium foliis ferat ſua, ut putat Phornutus (6). Non tamen putandum eſt Bacchum hujus generis ſertum ſemper geſtare, nam ut teſtatur Albricius (7), aliquando pampineis ornatus apparet frondibus, ut ſunt varia illius ſimulacra apud Begerum (8), qui & imaginem ejuſdem numinis refert corona pampinea, necnon diademate ornatam. Aliud Bacchi capitis ornamentum mitella erat, qua de re Lucianus illum θηλυμίτρης nomine donat (9). Cornua quoque ejus fronti addebantur, quibus ταυρόμορφας eſt appellatus. Notum arbitror omnibus hymnum, quem Elidis feminas in ejus honorem canebant (10): Ἐλθεῖν ἥρω Διόνυσε, ἅλιον ἐς ναὸν ἁγνὸν σὺν χαρίτεσσιν ἐς ναὸν τῷ βοέῳ ποδὶ θύων. Εἶτα δὶς ἐπᾴδουσιν, Ἄξιε ταῦρε. *Veni Bacche Heros, in maritimum & purum templum, properare bovino pede ad templum cum Gratiis: & bis poſtea repetunt: Digne Taure*. Latinos inter poëtas Ovidius (11), extollens, quem de hoc numine triumphum retulit Amor, cecinit:

Purpureus Bacchi cornua preſſit Amor.

Bege-

(1) Phurnut. De nat. Deor. cap. 30.
(2) Macrob. Saturn. libr. 1. cap. 18.
(3) Macrob. ibi.
(4) Beg. Theſ. Brand. tom. 1. pag. 15.
(5) Phurnut. De nat. Deor. cap. 30.
(6) Phurn. De nat. Deorum cap. 30.
(7) Albric. Imag. cap. 21.
(8) Beg. Theſ. Brand. tom. 3. pag. 241.
(9) Lucian. Dialog. Jov. & Junon.
(10) Plutarch. quæſt. Græc. 35. pag. 299.
(11) Ovid. De A. A. libr. 1. v. 2. 32.

Begerus (1) marmoreum profert Bacchi cornigeri caput. Id quoque oſtendunt Megarenſium numiſmata. Agyrinæi vero propriis in nummis unum illi cornu tribuunt, ut adfirmat eruditiſſimus Spanhemius (2). Nec Baccho tantum Siculi cornua tribuebant, verum & Siculæ Cereri, ſeu Liberæ, ut videre eſt in Panormitanorum nummis apud eumdem Spanhemium (3). Addendum inſuper eſt omnino, ſub tauri forma Bacchum aliquando expreſſum fuiſſe, ut teſtatur Macrobius (4) ex doctiſſimi viri Antonii (5) Auguſtini obſervatione. Phurnutus (6) id factum fuiſſe putat ad furorem ſignificandum, quem ebrietas hominibus indit. Nonnulli, inter quos antiquus quidam Homeri (7) Scholiaſtes, credit, hoc factum fuiſſe ad ſignificandum, Veteres vaſa in modum cornu efformata ad bibendum uſurpaſſe. Quum vero Cereri quoque cornua addita fuiſſe obſervatum ſit, crederem, id ſignificaſſe, Bacchum eumdem cum Sole, & Cererem eamdem cum Luna exiſtimatam fuiſſe; cui ſententiæ accedit Virgilius in principio Georgicorum. Sed ut ad Bacchum noſtrum redeamus, obſervandum, quod quamvis hic nudus ſit, & nebris tantum illi corpus operiat; non tamen arbitrari debemus, hunc in modum fuiſſe ſemper ornatum, immo ſæpe ſæpius longam, & ad pedes demiſſam habuiſſe veſtem, ut teſtatur Tibullus (8):

Fuſa ſed ad teneros lutea palla pedes;

& Statius (9):

Si decet aurata Bacchum veſtigia palla
Verrere..........

Inter antiqua monumenta, quæ ad noſtra uſque tempora pervenere, aliquoties ita exprimitur; ut videre eſt in muſeo (10) Carpineo, & in marmore anaglypho, quod inter Admiranda (11) Urbis habet locum, & in gemma apud Begerum (12) & Cauſſeum (13). Nec contra ſemper ad pedes uſque demiſſam habet veſtem, ſed aliquando in modum venatricis Dianæ ſuccinctus eſt. Quædam ſtatua, quam Maffejus (14) profert, illum oſtendit ſic ornatum. Aliquando capiti illius ſupereminet pallium in numinum maritimorum morem, qua forma ſpectatur in gemma apud Begerum (15). Phurnutus (16) cauſam, qua nudus effingebatur, eſſe ait, quod ſcilicet ebrii animi ſenſus omnes revelant, at non addit, qua ratione veſtibus indutus efformaretur.

Bacchus noſter thyrſum non habet. Pauſanias (17) ſtatuam hujus numi-

(1) Beg. Theſ. Brand. tom. 3. pag. 240.
(2) Spanhem. De præſt. & uſu numiſm. diſſ. 7.
(3) Spanhem. ibi.
(4) Macrob. *Saturn.* libr. 1. cap. 18.
(5) Ant. Auguſt. Dialog. de numiſm. 5.
(6) Phurnut. De nat. deor. cap. 30.
(7) Schol. Homer. Iliad. libr. 8. v. 139.
(8) Tibull. libr. 18. eleg. 46.
(9) Stat. Achilleid. libr. 1. v. 262.
(10) Bonarrot. Numiſm. pag. 427.
(11) Admir. Urb. tab. 134.
(12) Beg. Theſ. Brand. tom. 1. pag. 16.
(13) Cauſſ. Gemm. tab. 34.
(14) Maff. *Racc. Stat.* tab. 134.
(15) Beg. Theſ. Brand. tom. 1. pag. 192.
(16) Phurnut. cap. 30.
(17) Pauſan. libr. 8. cap. 31. pag. 665.

numinis ſe vidiſſe teſtatur, quod thyrſum tenebat, in cujus apice aquila inſidebat. Simulacrum noſtrum eo caret, at mirum videri non debet, nam plurima monumenta Bacchum pro thyrſo haſtam (1), vel uvas, vel paſtoritium baculum (2), vel ferulam (3), vel craterem, vel Cupidinis facem tenentem exhibent (4). Cupidinis arma optime Baccho conveniunt, qui ab Apulejo (5) jure meritoque *Veneris hortator & armiger* appellatur.

Nudos habet pedes, ut in nonnullis aliis monumentis, ſed in his ſæpius etiam calceis indutus, quibus ornata illius viſebatur ſtatua, de qua verba facit Pauſanias (6); & ſimulacrum illud, quod refert Maffejus (7).

Tigrem ad pedes habet, quæ quodammodo videtur inhiare uvarum racemo, quem illi Deus porrigit. Animal hoc adeo Baccho peculiare fuit, ut *ſuum* illud appellare Horatius (8) non dubitaverit:

Hac te merentem, Bacche pater, tuæ
Venere tigres, indocili jugum
Collo trahentes.

Non ſemper Bacchus recto ſtatu expreſsus eſt; verum ſæpe ſedentem eum cernimus in curru, quem pariter tigres (9) ducunt, vel capri (10), vel centauri (11). Aliquando terreſtri inſidet globo remum dextra tenens (12). Nec ſemper ſolus effingitur, ſed illi additur comes Ariadne, quam manu prenſat, ut pictus viſebatur in quodam Cereris templo Ariſtidis opera (13): & anaglypho opere perinſigni muſei Carpinei, & in gemma Muſei (14) Florentini.

Sæpe ludicra ſatyrorum, & Bacchantium turba circumdatur, quomodo eum Praxiteles efformaverat (15). Aliquando Virtuti comes adjungitur, ut in quadam a Parraſio (16) picta tabula: aliquando Mercurio (17) adhæret, ut in gemma apud Maffejum (18). Indicæ gentes (19) Bacchi ſtatuis draconem apponebant ad vigilantiam ſignificandam, qua Deus hic arva tuetur, ut Pindarus adnotat (20). Delphines ad ejus pedes collocabantur ea de cauſa, ut putant nonnulli, quod vinum non ſit admiſcendum aqua.

Agricolæ tandem impolito lapide ſublato, eum pro Baccho invocabant, rudes mores, rudemque (21) religionem oſtendentes.

FAUNI

(1) Macrob. Saturn. libr. 1. cap. 18.
(2) Maff. Gemm. tom. 3. tab. 30.
(3) Idem ibi tab. 29.
(4) Beg. Theſ. Brand. tom. 1. pag. 188.
(5) Apul. Metam. libr. 2. pag. 17. ad uſum Delph.
(6) Pauſan. libr. 8 cap. 31. pag. 665.
(7) Maff. *Raccolt. Stat.* tab. 134.
(8) Horat. Od. libr. 3. v. 13.
(9) Maff. Gemm. tom. 3. tab. 29.
(10) Montf. Antiq. explic. tom. 1. pag. 2. tab. 57.
(11) Maff. Gemm. t. 3. tab. 34. Bonarrot. *Medagl.* p. 427
(12) Maff. Gemm. tom. 3. tab. 35.
(13) Plin. Hiſt. nat. libr. 35. cap. 10.
(14) Muſ. Florent. tom. 2. tab. 6.
(15) Plin. Hiſt. nat. libr- 34. cap. 8.
(16) Idem ibid. libr. 35. cap. 10.
(17) Maff. Gemm. tom. 3. tab. 29.
(18) Apud Plutarch. tom. 2. pag. 745.
(19) Idem ibid. pag. 399.
(20) Varro apud Cœl. Rhodig. libr. 26. cap. 8.
(21) Maxim. Tyr. diſſert. 38.

F A U N I

TABULA XXXI. XXXII. XXXIII. XXXIV.

DE Faunis Satyriſque multa ab antiquis mythologis, recentioribuſque Antiquariis dicta ſunt, quare pauca de illis, & ea ſolum, quæ ad rem noſtram ſpectant, attingam, ne ab aliis obſervata rurſum proferam. Fauni appellantur ii, qui formam humanam præferentes, habent tamen caprinas aures, caprinamque, ſed brevem caudam, & pelle itidem capræ corpus veſtiunt, ad denotandum, Bacchum ſuoſque comites magno capras odio proſequi, quod hæ vitibus noceant. Varro (1) harum rerum magiſter ſapientiſſimus in hanc rem ſic ait: *Quædam pecudes culturæ ſunt inimicæ, ac venenæ, ut iſtæ, quas diximus, CAPRAE; hae enim novella ſata carpendo corrumpunt, non minimum VITES, atque oleas &c. ſic factum, ut LIBERO PATRI repertori vitis HIRCI IMMOLENTUR.* Ovidius (2) vero hanc ſententiam hiſce confirmat verſibus:

Rode, CAPER, VITES, tamen hinc quum ſtabis ad aras,
In tua, quod ſpargi cornua poſſit, erit.

Martialis vero (3):

Vite nocens roſa ſtabat moriturus ad aras
HIRCVS, Bacche, tuis victima grata ſacris.

Sponius (4) vas quoddam a Salpione Athenienſi ſcalptum refert, in quo Fauni caprinam geſtant pellem; ut Silenus ille, qui in hortis Burgheſiis ſervatur, & æreus alter in Mediceis hortis ex illo archetypo fuſus, quem Satyrum credit, at falſo Maffejus. In quadam (5) gemma pelli capri inſidet Faunus, & barbam hirci, qui prope adſtat, dextra ſua mulcet. In muſeo quoque Juſtinianeo (6) plurimi ſpectantur Fauni hunc in modum exornati.

Inter ſtatuas, quas Pererius (7) edidit, Baccha eſt, quam Montfoconius (8) iterum in ſuo opere protulit, capri pellem geſtans. Apud Begerum (9) gemma cerni poteſt, in qua Baccha pellem hanc capiti ſuperimponit. In hortis DD. de Caſalis in monte Cœlio ſtatua Bacchi proſtat, quæ pelle eadem exornatur, quamvis tamen aliis ſymbolis a Faunis differat, nam uvarum racemum ſiniſtra gerit, craterem dextra, ut Bacchus ille, qui in Mediceo adſervatur muſeo, quique pulchrius divini artificis Michaëlis Angeli Bonar-

L 2 rothi

(1) Varr. de R. R. libr. 1. cap. 2.
(2) Ovid. Faſt. libr. 1. v. 355.
(3) Mart. libr. 3. epigr. 24.
(4) Spon. Miſcell. Antiq. ſect. 2. art. 1.
(5) Maff. *Stat.* n. 77. Idem Gemm. t. 3. tab. 48.
(6) Muſ. Juſtinian. tom. 1. tab. 12.
(7) Perier. tab. 73.
(8) Montfoc. Antiq. explic. tom. 2. tab. 160.
(9) Beg. Theſ. Brand. tom. 1. pag. 26.

rothii opus eſt; quique Aldrovandi (1) tempore in ædibus Pauli Galli aſſervabatur in vicinitate Eccleſiæ SS. Laurentii & Damaſi.

Begerus (2) ex gemma Faunum profert, qui dextra larvam tenet. Eques vero Maffejus (3), & Cauſſeus (4) alterum, qui puerum ſaltantis in modum ſubſtollit. Apud antiquos auctores a Faunis Satyri diſtincti fortaſſe non exiſtimabantur, verum veteres artifices eos bene diſtinguunt, ut ſtatuas Faunorum, Satyrorumque conſiderantibus apparebit evidentiſſime. Pauſanias (5) de inſulis a nautis Satyridas appellatis verba faciens, & earumdem incolas deſcribens ait: Εἶναι δὲ τοὺς ἐνοικοῦντας καὶ πυῤῥοὺς, καὶ ἵππων ὠ πολὺ μείους ἔχειν ἐπὶ τοῖς ἰσχίοις οὐρὰς. *Incolas ruffos eſſe, & caudas haud multo equinis minores habere infra clunes*; quæ deſcriptio Faunis convenit, & Satyris; verum ii præterea viſibilia habent cornua, & faciem, crura, pedeſque caprinos. Quare optime & eleganter eos illo verſu diſtinxit Ovidius (6):

Faunique, Satyrique, & monticolæ Sylvani.

Sidonius quoque in præfatione ad Arthemii panegyricum ait:

Tunc Faunis Dryades, Satyriſque Mimallones aptæ
Fuderunt lepidum ruſtica turba melos.

Fauni tamen a Varrone (7) appellantur *Dei Latinorum*, quos etiam in deliciis habuiſſe poëſim, & harmonicos cantus, & ſonorum modos teſtatur Ennius (8):

........*ſcripſere alii rem*
Verſibu', quos olim FAUNI, vateſque CANEBANT.

Hac de cauſa Fauni, quos exhibemus tab. XXXI. & XXXII. tibiam manu tenent, eique, qui in tab. XXXIV. ſpectatur, appoſita eſt ex arboris trunco pendens, *ſeptem compacta cicutis fiſtula*.

Verum ut ad rem propius accedamus, Faunus tabula XXXI. expreſſus trunco innititur, cui pellis tigris ſuperinjecta eſt; nam quamvis a nobis dictum ſit, Bacchum, ejuſque comites capri pellem, vel ipſum animal prope ſe habere, ut in eadem tabula XXXIV. tamen ſæpe tigrem comitem habent, vel ejuſdem belluæ pellem humeris ſuperimpoſitam. Ac ita tigris adſtat Baccho illi, qui in hortis Mediceis eſt, & quem Maffejus (9) in lucem tulit: adſtat quoque Fauno pini frondibus redimito, qui in hortis iiſdem ſpectatur, & ab eodem auctore illuſtratur (10). Bacchus alter in muſeo Juſtinianeo (11) tigri inſidet, & Plinius (12) de Satyro quodam *cum pelle pantherina, quem apoſceponta appellant*, verba facit. Ut quæ animalis hujus cum Baccho intercedit conjunctio, aliqui perſcrutarentur, dixerunt, ma-

(1) Aldrov. *Statue di Roma* pag. 168.
(2) Beg. Theſ. Brand. tom. 1. pag. 18.
(3) Maff. Gemm. tom. 3. tab. 59.
(4) Cauſſ. Gemm. tab. 114.
(5) Pauſan. libr. 1. cap. 23. pag. 55.
(6) Ovid. Metamorph. libr. 1. v. 122.
(7) Varr. De L. L. libr. 6. pag. 72.
(8) Ennius apud Varr. ibid.
(9) Maff. ibid. tab. 34.
(10) Idem ibid. tab. 36. & 38.
(11) Muſ. Juſtinian. tom. 1. tab. 139.
(12) Plin. Hiſt. nat. libr. 35. cap. 11.

maculas, quæ in pelle animalis hujus ſunt, cœlum ſignificare ſtellis ornatum; cui opinioni originem fortaſſe dedit Plinius (1), docens, unam ex his maculis in altero humerorum ſitam, cum Lunæ phaſibus creſcere vel decreſcere. Diverſitas in Lunæ facie ex Sole oriri certum eſt, ſcimus autem Bacchum habitum fuiſſe Solem. Philoſtratus (2) alium tigris reſpectum ad Bacchum fuiſſe invenit, nam poſtquam dixit, proram ratis, in qua Deus hic vehebatur, in pantheræ formam fuiſſe effictam, ſubjungit: Φιλία δὲ τῷ Διονύσῳ πρὸς τὸ ζῶον, ἐπειδὲ θερμότατον τῶν ζώων, ἔτι καὶ πηδᾷ κοῦφα, καὶ ἴσα εὐάδι. *Baccho enim animal hoc gratiſſimum eſt, namque animalium habetur callidiſſimum: leviqueſ fertur ſaltu, & Bacchæ ritu.* Sed ut ad ſimulacrum noſtrum redeamus, utique a nobili & excellenti artifice cælatum fuit, ac tanta elegantia, ut præclari artifices ex eo plura exempla deſumſerint. Ex his unum eſt in noſtro muſeo, duo in hortis Burgheſiis in monte Pincio, quorum aſpici poteſt apud Maffejum (3) graphis; aliud etiam in muſeo Juſtinianeo.

Quod vero ad Faunos tibiis canentes attinet, animadvertenda eſt theſauri Brandeburgenſis (4) gemma, ubi Faunus quidam duas ori ſuo admovet tibias; nec mirum, quum Bacchus, omneſque ejuſdem Dei comites ſonis, crepitu, ſaltationibus, cantu plurimum delectarentur.

Faunus, quem nobis tabula XXXIII. oſtendit, deſcribi iiſdem verbis poſſet, quibus Aldrovandus (5) alterum deſcribit, qui ſuo ævo adhuc aſſervabatur in ædibus D. Thomæ de Cavaleriis prope DD. de Cæſarinis, niſi noſter aliqua ex parte inſtauratione indiguiſſet, nempe in dextro brachio: *Vi è un Fauno ignudo con un grappo di uva in mano, con l'altra mano ſoſtiene una pelle, che gli pende dal collo, ed è piena di uva, e di frutti, e ſta appoggiato ad un tronco.*

Fauni illi, qui tabulis XXXII. & XXXIV. expreſſi ſunt, reliquis præſtant, primus operis, alter vero marmoris præſtantia. Hic ex rubro marmore confectus eſt, & ornandæ Hadriani Imperatoris villæ ambo inſerviebant. Eodem corporis ſtatu eſt ille tabulæ XXXIII. ſed quod illi peculiare eſt, notabo. Siniſtra manu paſtoritium tollit baculum: prope pedes capram habet elegantiſſime effictam, quæque illum reſpicit attente. Pedem ciſtæ animal ſuperimponit, ut proximius optato fiat pabulo. Alibi a nobis obſervatum eſt, non inſolitum eſſe Faunos vindemiarum præſides pedum manu tenere. Baculum hunc habent quoque Satyri, venatores, & tritones, ut videri poteſt in nonnullis muſei Florentini (6) gemmis, & Romæ (7) ſubterraneæ tabu-

(1) Plin. libr. 8. cap. 17.
(2) Philoſtrat. Imag. 20. pag. 79.
(3) Maff. *Raccolta Stat.* tab. 80.
(4) Beg. Theſ. Brand. tom. 3. pag. 255.
(5) Aldrov. *Stat.* pag. 215.
(6) Muſ. Florent. tom. 1. tab. 88. num. 3. & tom. 2. tab. 94. num. 4.
(7) *Roma ſotterran.* tom. 1. pag. 49. 50. 51. edit. Romæ 1733. Maff. *Racc. Stat.* num. 122.

tabulis. Ciſta illa, quæ prope Faunum hunc adſtat, viminibus texta eſt, ex quibus potiſſimum formabantur ciſtæ teſte Ovidio (1):

Clauſerat Actæo texta de vimine CISTA.

Ciſtæ huic omnino ſimilis illa eſt, quam ad pedes habet Faunus quidam marmoreus, qui in ædibus Principis Ruſpoli adſervatur, & cui ciſtæ ſuperpoſita larva Silenum referens cernitur. Communior, ſolemniorque ciſtarum harum uſus in ſacris Bacchi erat, quod notiſſimum ex monumentis marmoreis, æreis, lapideiſque eſt, veterumque auctorum teſtimoniis. Sæpe ciſtis hiſce dracones continebantur, Bacchæ enim draconibus coronabantur in honorem Bacchi, qua de cauſa dracones illos, ſerpentes Orgios Bacchi Baſſaræi appellatos fuiſſe, perhibet Clemens Alexandrinus (2). At non tantum in Bacchi ſacris ciſtæ uſurpabantur, verum etiam in ſacrificiis, & ſolemnibus Iſidis, Oſiridis, Cereris, Proſerpinæ & Dianæ pompis, quamobrem variæ res in iis condebantur, ut ex eodem Clemente Alexandrino adnotavit Cl. Vir Johannes Lamius (3) in ſua *De ciſtis myſticis* diſſertatione. Quæ Fauni noſtri ſtatuæ appoſita eſt ciſta, latitudinem altitudine excedit, qua de re non illi ſimilis eſt, quam Columella (4) *quadratam ciſtam vimineam* appellat; cujus verba eo ſenſu intelligenda eſſe arbitror, ut latitudini altitudo optime, ac omnino reſponderet.

SATYRUS

(1) Ovid. Metamorph. libr. 2. v. 5.
(2) Clem. Alex. in Protrept. pag. XI. edit. Potteri.
(3) Memorab. Acad. Cort. tom. I. pag. 63.
(4) Columella libr. 12. cap. 54.

S A T Y R U S
TABULA XXXV.

LUcianus deorum irriſor, quos in cœlum invexere poëtarum commenta, in dialogo, cui nomen fecit Concilium deorum, Pana, Silenum, & Satyros delineavit, eorumque formam, & aſpectum. Ac primum eos agreſtes, caprarios, homines ſaltationi deditos, & forma monſtroſa ſpectabiles appellat. Dein de Pane præcipue ait, ipſum gerere cornua, & dimidia corporis parte capræ ſimilem eſſe, promiſſamque nutrire barbam, parumque ab hirco diſcrepare. Satyros vero acutis præditos eſſe auribus, calvos, & ipſos quoque cornibus armatos, qualia hœdi nuper nati gerunt; omneſque præterea caudatos. Hos autem dæmones habitos fuiſſe conſtat ex Strabonis (1) Chreſtomathiis, ubi ſic legitur: Τοῦ δὲ Διονύσου ὀπαδοὶ δαίμονες Σάτυροι. *Bacchi vero ſectatores dæmones Satyri*. Et alibi ait: Καὶ τοιούτων προπολῶν, οἱ περὶ τὸν Διονύσον εἰσὶν οἱ Σάτυροι. *De his adminiſtris, qui Baccho miniſtrant, ſunt Satyri*. Idcirco Lucianus in eodem dialogo Momum inducit Bacchum inſimulantem, quod Satyros, totumque ejus comitatum cum ceteris diis commiſcuerit. Hac eadem de cauſa ſatyriſcus ille, a Praxitele excuſus, & quo eum magnopere gloriatum ferunt, Libero patri dicatus fuit teſte Pauſania (2). Attamen an Satyri fuerint animalia a poëtis ficta, an animalia vera, & ab origine Mundi condita, dubitatum a nonnullis fuit. Narrat enim beatus Hieronymus (3) in vita Pauli, magnum illum Antonium, qui poſt eumdem Paulum anachoretarum princeps extitit, ſe in quadam ſaxoſa valle vidiſſe *homunculum aduncis naribus, fronte cornibus aſperata, cujus extremà pars corporis in càprarum pedes deſinebat. Quo cognito gradum preſſit, & quiſnam eſſet interrogans, hoc ab eo reſponſum accepit: Mortalis ego ſum & unus ex accolis eremi, quos vario deluſa errore Gentilitas, Faunos, Satyroſque, & Incubos vocans colit*. Ad omnia hæc magis confirmanda præterea addit: *Hoc, ne cuiquam ad incredulitatem ſcrupulum moveat, ſub rege Conſtantino, univerſo Mundo teſte, defenditur. Nam Alexandriam iſtiuſmodi homo vivus perductus magnum populo ſpectaculum præbuit; & poſtea cadaver exanime, ne calore æſtatis diſſiparetur, ſale infuſo, Antiochiam, ut ab Imperatore videretur, allatum eſt*.

Hæc eadem (4) alibi, ſed brevius adſimat, quemadmodum etiam beatus Auguſtinus (5) ex teſtimonio virorum, *de quorum fide*, ut ait, dubi-

---

(1) Strab. Chreſtom. libr. 10. pag. 1270. & Geograph. pag. 468.
(2) Pauſan. libr. 1. cap. 20. pag. 46.
(3) S. Hier. in vita Pauli. ſſ. 8. t. IV. p. 7. edit. Veron.
(4) Idem in Iſaiam cap. 13. §. 22.
(5) *S*. Auguſt. De civit. Dei libr. 15. cap. 23.

dubitandum non eſt. Plutarchus vero haud ſecus his Patribus monſtra narrat in vita Syllæ; ſcribit enim tanto imperatore prope Dyrrhachium commorante, Satyrum, cui ſomnus obrepſerat, captum fuiſſe, atque ad eum adductum, qualem plaſtæm, aut pictores effingunt, obſervatum: & quum illum, ut loqueretur, multi interpretes provocaſſent, qui nam eſſet percunctati, vocem tandem edidiſſe non quidem humanam, vel claram, ſed aſperam, & ex hinnitu equi, & hirci balatu confuſam. Quapropter Macrobius (1) non abſolute, ſed ex aliorum relatione vocem Satyris tribuit, his verbis: *In hoc monte Parnaſo Bacchanalia alterius annis aguntur: ubi & Satyrorum, ut affirmant, frequens cernitur cœtus & plerumque VOCES PROPRIAE eorum exaudiuntur*. Sed quum *voces proprias* Satyris tribuat Macrobius, videtur non abhorrere a Plutarchi ſententia, qui aliam ab humana vocem emittere illos ſcribit. Aelianus (2) æque ac ceteri auctores, quos dudum citavimus, Satyros in animantium numero repoſuit, quæ in India degunt: Ἐκεῖ δὲ ὅ τε ἐλέφας τοιοῦτός ἐστι καὶ ὁ ψιττακὸς καὶ αἱ σφίγγες καὶ οἱ καλούμενοι Σάτυροι. *Illic enim ejuſmodi ſunt, elephantus, pſittacus, ſphinges, & nuncupati Satyri*. Itidem alio loco (3) ait adhuc de India loquens: Ἁλῶνται δὲ ἄρα φασὶν ἐν τοῖσδε τοῖς αὐλῶσι ζῶα Σατύροις ἐμφερῆ τὰς μορφάς, τὸ πᾶν σῶμα λάσια, καὶ ἔχει κατὰ τῆς ἰξύος ἵππουρον. *Ubi beſtiæ SATYRORUM ſimilitudinem formamque gerentes, & toto corpore hirſutæ verſantur, atque equina nebridis cauda præditæ dicuntur*. Ex quibus verbis colligitur, Aelianum ratum habere, Satyros extare. Hoc idem dici poſſe videtur de Plinio, (4) dum inquit: *Efferatior cynocephalis natura ſicut SATYRIS*. Et alibi (5): *SATYRIS præter figuram nihil moris humani*. Idem affimare videtur Philoſtratus (6) inquiens: Σατύρους δὲ εἶναί τε, καὶ ἐρωτικῶν ἅπτεσθαι μὴ ἀπιστῶμεν. *Satyros autem eſſe, & proclives ad amores, non eſt incredibile*. & in fine capitis ſubdit: Οὔτε γὰρ ἡ πεῖρα ἀπιστητέα, οὔτε ἐγώ. *Neque enim experientiæ non eſt credendum, neque mihi*. Experientiam autem, quam Philoſtratus affert, in hoc poſita eſt, quod prope Nili cataractas Satyrus apparuerit, quem Apollonius Tyaneus cicuravit: & quod in Lemno alius ad matrem cujuſdam viri Philoſtrato familiaris ventitare ſolitus ſæpe eſſet, nebride humeros amictus, a cujus pelle anteriores pedes pendebant, & collum circumplectentes in pectore nectebantur. Verumtamen ſaniorum doctiorumque hominum ſententia viguit, Satyros in rerum natura numquam extitiſſe.

Quod autem Ptolemæus (7) tres inſulas memoret, quæ Satyrorum inſulæ nuncupantur, & in mari Indico ultra Gangem jaceant, in quibus incolæ promiſſis caudis a natura donati ſint, nihil officit, neque eos ad Satyrorum, ſed ad Faunorum genus pertinere potius, arbitra-

(1) Macrob. Saturn. libr. 1. cap. 18.
(2) Aelian. Hiſt. anim. libr. 16. cap. 15.
(3) Idem ibid. libr. 16. cap. 21.
(4) Plin. Hiſt. nat. libr. 7. cap. 54.
(5) Idem ibid. libr. 5. cap. 8.
(6) Philoſtrat. Vit. Apoll. libr. 6. cap. 27.
(7) Ptolem. Geograph. libr. 7.

arbitrarer, nec a vero abhorrere credo eos, qui revera exiſtere putant, quum ceteroquin, quod ad alia membra, homines omnino appareant. Ad Satyros ſane referri poteſt, quam Panis nobis præſert Lucianus (1) delineationem his verbis, quibus Mercurius negat, ſuum illum filium eſſe poſſe: Ἐμὸς γὰρ πῶς κέρατα ἔχων καὶ ῥῖνα τοιαύτην, καὶ πώγωνα λάσιον, καὶ σκέλη δίχηλα καὶ τραγικὰ, καὶ οὐρὰν ὑπὲρ τὰς πυγάς; *Meus enim qui fieri poteſt, ut ſis cum cornibus, & naſo tali, & barba hirſuta, clunibuſque bifidis ac hircinis, & cauda ſuper nates?* Pardo etiam ſociatos Satyros, vel ejus pelle ornatos comperimus διὰ τὴν πολυποίκιλον φαντασίαν τῶν οἰνωμένων, *propter variam ac multiplicem vino correptorum imaginationem*, ut ait Scriptor anonymus (2) περὶ ἀπιστῶν. Quod autem vino Satyri dediti fuerint, tam notum eſt, ut ſatius exiſtimem verborum compendium facere; eo magis, quod duo illi, qui hic in Capitolio adſervantur, omnino inter ſe ſimiles (qua de cauſa unius tantum delineationem exhibemus) caniſtros uvis onuſtos in capite gerunt, & grandem etiam racemum manu tenent. Hos ita efformatos fuiſſe credit Jo. Antonius Ruſconius ad ſuſtentandum columnarum loco vel perſtylium, vel porticum, vel quid ſimile, uti etiam Caryatidas legimus in Vitruvio (3) ſtatuas mulierum fuiſſe in ædificiis publicis collocatas oneri ferendo. Ruſconius (4) enim ſic ait: *In Roma ſpecialmente veggiamo conſervarſi fino oggidì nella caſa di quei gentiluomini della Valle due Satiri d' eccellentiſſima mano, che ſervivano per uſo di colonna.* In eadem Vallenſium domo eos vidit etiam Aldrovandus (5). Dicit enim: *Si veggono nel cortile due Satiri erti con piè di capre, con corna in teſta: ſono ſenza braccia* (ſed recenter antequam in Capitolium transferrentur reſtaurati ſunt) *e hanno ſul capo un coſano pieno di frutti d' ellera ognun di loro, o pur d' uve, che ſieno.* Idem auctor meminit etiam cujuſdam Satyri, operis elegantia celebris, qui in ædibus DD. Ceſiorum ſervabatur, quem ita deſcribit idem Aldrovandus (6): *Si vede un Satiro con le gambe e piedi caprini, che abbraccia un garzonetto, che gli è appreſſo, e vuole inſegnarli a ſonare una zampogna di ſette canne, ch' ha il putto in mano. Sono amendue interi, ignudi, ed aſſiſi ſopra una baſe antica, ch' è d' un pezzo iſteſſo con le ſtatue; e ſi può volgere attorno &c. Queſto è un lavoro de' belli, che ſi veggano in Roma, e forſe queſto è un de' tre Satiri, che molto celebra Plinio.* Duo huic ſimilia ſymplegmata proſtant Romæ, alterum in hortis Mediceis, alterum in Villa Principis Ludoviſii præſtanti ſculpta artificio.

(1) Lucian. Dialog. deor. 22.
(2) Anonym. de incredib. cap. 16.
(3) Vitruv. libr. 1. cap. 1.
(4) Ruſconius in libro De architect. Venet. 1660. libr. 1. circa initium.
(5) Aldrov. *Stat. di Roma* pag. 216.
(6) Aldrov. ivi pag. 129.

B A C C H Æ

TABULA XXXVI. ET XXXVII.

NON tantum homines, ſed & mulieres comites Bacchi, ejus feſtis, & pompis intererant. Hæ autem ſecundum Varronem (1) Bacchæ, ſeu Mænades a furore, Græco nomine, dictæ ſunt. Longum eſſet omnia hic referre, quæ veteres Scriptores de ipſis memoriæ mandarunt; non tamen prætereundum arbitror, quod in antiquis monumentis, in quibus Bacchus præfertur, hæ mulieres ipſum & præcedunt, & ſubſequuntur. Ita enim eas videre fas erat in Bacchi templo (2) apud Corinthum. Ipſarum vero habitus, ſtatuſque talis erat: vel cymbala (3) ſupplodebant manibus, vel inſanientes (4) diſcurrebant thyrſum, aut cultrum ſtringentes, vel humanum caput a cervice revulſum præferentes (5), vel hinnuli pelle tectæ, ac etiam ipſum hinnulum occiſum dextra ſuſtentantes, ut videre eſt in anaglypho opere in ædibus Barberinis, & in eo ſimulacro, quod graphice deſcribit Calliſtratus (6) a Scopa excellente artifice exculptum, quem Græcus poëta merito ita hac de cauſa laudavit (7):

Τίς ἅδε; Βάκχα. τίς δέ μιν ξέσε; Σκόπας.
Τίς δ᾽ ἐξέμηνε, Βάκχος ἢ Σκόπας; Σκόπας.

Quos verſiculos non minus eleganter Latine vertit Grotius:

Quid adſtat iſta? Baccha. Quis ſculpſit? Scopas.
Quis entheavit: Bacchus an Scopas? Scopas.

Quæ in hac XXXVI Tabula delineata eſt Baccha, nondum in furias acta, nondum ei fera pectora tument, nec inſania Mænadum furit, ſeu jam illam excuſſit, quare vel ad ſacra accedit, vel recedit ab eis jam peractis. Brevem comam, & abſque cultu ſupra caput collectam, & lauro coronatam vides. Sed nec ſolum lauro, ſed ſæpe ſæpius hedera, & vitium foliis coronabantur Bacchæ, ut ait Calliſtenes apud Athenæum (8): Ἐστεφάνωμέναι, τινὲς μὲν ὄφεσιν, αἱ δὲ σμίλακι, καὶ ἀμπέλῳ, καὶ κίσσῳ· *Coronantur ſmilace* (quæ ſecundum Plinium ſeniorem planta (9) eſt hederæ admodum ſimilis) *vitium pampinis, & hedera*. At frequentius capilli ſparſi, & comæ non comptæ manent, ut ea, de qua loquimur, aliæque multæ temporum injuriæ ſuperſtites ſtatuæ.

Ut autem ad hanc noſtram me convertam, animadvertendum eſt, quantam oſtentet modeſtiam demiſſa ejus ad talos veſtis. Forſitan hæc

(1) Varr. De L. L. libr. 6. p. 19. edit.
(2) Pauſ. libr. 2. cap. 7. pag. 127.
(3) Beg. Theſ. Brand. tom. 1. pag. 19.
(4) Cauſſ. Gemm. tab. 39.
(5) Spon. Miſcell. ſect. 2. art. 1.
(6) Calliſtr. Imag. num. 2.
(7) Anthol. libr. 4. cap. 3.
(8) Athen. libr. 5. cap. 7.
(9) Plin. Hiſtor. nat. libr. 24. cap. 10.

hæc eſt illa tunica, quæ *Baſſara* vel *Baſſaris* nuncupabatur, de qua Heſychius (1) hæc habet: Βασσάρας χιτῶνες ὓς ἐφόρουν αἱ Θρᾴκιαι Βάκχαι. *Baſſaræ hæ tunicæ appellantur*, *quibus utuntur Bacchæ Thraces*. Attamen ſcimus has mulieres nefanda quæque in Orgiis perpetraſſe; & a ſancto Epiphanio (2) hoc amplius didicimus, eas in templis veſtes omnino turpiter deponere ſolitas, ac ſexcentis ſuperſtitionibus, & impietatem redolentibus inſtrumentis uſas fuiſſe. Quæ quidem etiam confirmantur, præter tanti viri auctoritatem, ipſa αὐτόψια: extant enim adhuc multa marmora anaglypha, in quibus Bacchæ nudæ (3) conſpiciuntur, vel re ipſa veſtem exuentes (4).

Supervacaneum exiſtimo animum ad uvas advertere, quas in ſinu geſtat, quum hoc deceat communiter omnem Bacchi comitatum, ut dixi loquutus de Faunis, & Satyris. Potius peculiari notatione dignæ videntur duæ Bacchæ, una quarum in altera Capitolii parte proſtat, alia vero in ædibus Excc. DD. Columnenſium; quæ ambæ eodem ornatu conſpicuæ ſunt, nempe quadam florum linea ab humeris per pectus tranſverſe deducta. Noſtra autem Baccha crotalum manu dextra tenet, & ſub pede ſiniſtro crupetium, ſeu ſcabillum, de quo nonnulla attingam. Hoc inſtrumentum muſicæ, ſeu theatri, crupetium dictum eſt ἐκ τῆς κατὰ τοὺς πόδας πέζης id eſt *a pedis ſupploſione*, ſecundum Euſtathium (5). Ejus originem nonnulli ad ruſticorum calones rejiciunt, quibus ligneis uſos eſſe Antiquos legimus, dum oleas premerent (6). Ex agro in civitatem, atque in theatrum permigravit, eoque uſi ſunt comœdi, ut ſignum darent, ſi finis comœdiæ imponendus eſſet, quum in difficilem nodum incidiſſent, nec expediendus videretur cum ſpectatorum plauſu. Præterea in Bacchicis feſtis omnia, quæ ſtrepitum, fragoremque ciebant, ad rem facere exiſtimabantur, quare etiam ſcabillum ad hæc feſta celebranda adhibebatur. Ejus nominis etymon apud Latinos hinc deducendum arbitratur Salmaſius (7), quod e ligno ſit, & pedibus ſubjiciatur, ut ſcabellum; quam etymologiam minime hic penſitabo, ſed potius quid de ſcabillo diſſerit D. Martinius, ex Benedictinorum familia, in libro, quem ſuperius citavimus, in quo explicationes profert variorum monumentorum, quæ ad Antiquorum religionem ſpectant, ubi librum D. Marchionis Maffeii, cui titulus *Antiquitates Galliæ*, acuto ſane dente identidem carpit, ipſe quoque aliquando perſtringendus, ac vellicandus, quod marmorum, & antiquorum monumentorum archetypa minime viderit; ſed ectypas formas, quæ frequenter erroribus ſcatent, ut iis admodum quis fidere non poſsit. D. Martinius eumdem D. Maffejum reprehendit, quod hoc inſtrumentum adfirmaverit pedibus

 alliga-

(1) Heſych. in v. Βασσάραι

(2) S. Epiphan Expoſit. Fidei Cathol. §. 10.

(3) Marmor. anaglyph. in *Explication. de divers monumens ſinguliers, qui ont rapport a la religion &c. p. 38.*

(4) Muſ. Florent. tom. 3. tab. 56. num. 5.

(5) Euſtathius ad Iliad. Λ.

(6) Heſychius in v. Κρουπεζούμενος

(7) Salmaſ. Exercit. Plin. tom. 2. pag. 702.

alligatum fuiſſe; nec alligatum comperimus in ectypis anaglyphi marmoris lineamentis, quæ a D. Martinio adferuntur; at quis dabitur vades, accurate delineatum eſſe marmor, in quo mortem Bacchi repræſentari arbitratur D. Martinius; vel ſi nunc etiam non appareat vinculum, quo ſcabillum pedi adhæret, quis ſcit an poſt tantum temporis ſpatium non ſit detritum? Utraque cauſa potuit D. Martinium in errorem inducere, eodem plane modo, quo, ut exemplo utar ad hanc rem accommodatiſſimo, in errorem lapſus eſt eruditiſſimus Alexander Maffejus (1), qui in Collectione inſignium ſimulacrorum, quum celeberrimi Medicei Fauni ectypam formam attuliſſet, qui ſub pede ſcabillum tenet, eam a vero abhorrentem dedit, ut ex ea, quam poſtea nobis exhibuit V. C. Gorius, inſpicere poſſumus, quamvis par foret credere, Maffejum, qui quamplurimis doctiſque amicis pollebat, uſum fuiſſe peritiſſimo artifice, qui egregium illud Fauni ſimulacrum delinearet. Sed an reliqua, quæ idem D. Martinius de ſcabillo profert, certa & accurata ſint, ex ejuſdem marmoris enarratione conjici poteſt; vellicat enim ipſumet Marchionem Maffejum, quod adfirmaverit, ſecundam ibi excuſam figuram, manu citharam tenere; ipſe vero D. Martinius neſcio quam comminiſcitur laternam, ſimilem prorſus illi, qua apud Petronium (2) utitur Trimalcionis ſervus ad omnes ſonorum ſpecies promendas.

Deſcendit hic auctor poſtmodum ad varia ſcabillorum genera deſcribenda, quæ tria eſſe dicit. Primum erat ſcabillorum ligneorum, aut aliquando ex ferro, quæ etiam quadrangula erant figura. Hujuſmodi ſcabilla in quinque partes, terræ ſolo, ut dicunt, parallelas ſecabantur; verum diviſio hæc in quinque partes non omnino perficiebatur, ſed alteræ ſcabilli extremitati inhærentes, & inter ſe eo loco non diviſæ cohærebant. Aliquando etiam partibus mediis ablatis, & ſolum extremis relictis aſſerculis, hi tanto fortius ſupplodebantur, majoremque crepitum reddebant, quanto magis inter ſe diſtabant. Hujuſmodi ſcabillum nobis protulit D. Monſoconius (3) ex quodam anaglypho marmore.

Hæc ſcabillorum poſtrema forma genuit alteram ipſorum ſpeciem; quum ſcilicet inter duas, quas diximus ex ſectione relictas partes, apponebantur duo parvi globuli aëre pleni, quos, qui tibiis canebant, pedum faſtigio premerent, & ex ipſis ſonum elicere ſtudebant. En Gallici Scriptoris verba (4): *Deux petites balles enflees l' une ſur l' autre, que les joueurs de flûte preſſoient en certains tems du bout de leur pied & en tiroient un ſon a la verité meſuré, mais qui n' aboutiſſoit a rien*. Cujus rei ratio ex his Statii (5) carminibus eruere ſatagit:

Nectere fronde comas, & ad inſpirata rotari
Buxa timent thyrſos nuptarum, & prælia matrum;

ad quæ

(1) Maff. *Raccolta di ſtatue* num. 35.
(2) Petron. Satyric. cap. 69.
(3) Montfauc. Antiq. tom. 1. part. 2. tab. 176. n. 9.
(4) D. Martin. ibid. pag. 47.
(5) Stat. Theb. libr. 7. v. 170.

ad quæ Luctatius, ſeu quiſque ille ſit hujus poëtæ Scholiaſtes, hæc commentatur: *Buxa, tibia, vel ſcabellum, quod tibicines in ſacris ſonare conſueverunt*. Quibus verbis D. Martinius hæc addit: *Quant aux balles enflèes, dont j'ai dit, qu' il ètoit garni, auſſi bien que le crupezia, je me fonde ſur le Scholiaſte de Stace, qui ſur ces mots du poete, qu' il eclaircit,* inſpirata rotari buxa, *dit, qu' il faut entendre ou la flute, ou le ſcabilla, dont les joüeurs de flute jouent ordinairement avec le pied aux ſacrifices. Par où il eſt evident, que les ſcabilla etoient des inſtrumens à vent.*

At manifeſtum eſt, nil aliud Statium per *inſpirata buxa* ſibi velle, quam tibias, & ita Barthius aliique interpretes hæc verba intelligunt. Enucleanda remanent verba Luctatii obſcuriora ipſo, quem elucifacere nititur, auctore. Sed quamvis involuta ſint, attamen nullo modo intelligi queunt, ut Gallicus antiquarius vellet. Nam ſcabillum, quod ſub pede ſiniſtro Fauni Medicei, & hujus etiam noſtræ Bacchæ, duobus inter ſe diſtantibus aſſerculis compactum eſſe cernitur, inter quos duo hemiſphæria ærea ſeu lignea adfixa ſunt, unum in parte ſuperiore, alterum in inferiore, ita tamen ut ſuperius aptetur omnino inferiori, qua ratione illum edunt ſonum, quem crotalum ſolet, ſi manu ſupplodatur. Quæ cum ita ſint, nil aliud Statii ejuſque interpretis verba ſignificant, quam in choreis Antiquos ſolitos fuiſſe tibiis canere, & ſcabilla pulſare, ut ſi plures fuiſſent cantores, modos muſicos ſeu rhythmum percipere poſſent, quod apprime congruit cum Vopiſco (1) ajente: *Centum ſalpyſtas uno crepitu concinentes, & centum camptaulas, choraulas centum, etiam pithaulas centum*. Vel ſi hæc minime placeant, dici etiam poſſet, Scholiaſtem *inſpirata buxa* pro ſcabillo ſumpſiſſe, quod duo hemiſphæria e buxo conſtarent, vel quod aërem, qui in ipſis comprimebatur, inſpirationem appellandum exiſtimaverit.

Tertium ſcabillorum genus a D. Martinio prolatum illud eſt, quod non duobus, ſed quatuor hemiſphæriis compactum erat, quale viſebatur in anaglypho opere, cujus formam ære inciſam in ſuo libro toties laudato adpoſuit idem Martinius. Sed hæc levis nimium differentia videtur. Qui tandem omnia, quæ ad hoc muſices inſtrumentum pertinent, cognoſcere avet, illum ad eruditiſſimos viros Bartholinium (2), Rubenium (3), Salmaſium (4), Ficoronium (5), & Gorium (6) amandamus, qui omnes ampliſſime de hoc tractarunt.

Nec tantum juvenculæ Dionyſiaca feſta celebrabant, verum etiam ætate confectæ mulieres, ut hæc ſtatua monſtrat Tab. XXXVII. quæ anum quamdam præfert ebrioſam, ac mente alienatam, quæ ex amuſſim Petronianæ (7) illi vetulæ reſpondet, quam Petronius ſic graphice deſcribit: *Anus*

(1) Vopiſc. in Carino
(2) Barthol. De tib. vet. libr. 3. cap. 4.
(3) Ruben. De re veſtiar. libr. 2. cap. 17.
(4) Salmaſ. Exercit. Plin. tom. 2. pag. 702.
(5) Ficoron. De larvis cap. 69. & 80.
(6) Gorius Inſcript. Don. cl. 8. num. 42. & Muſ. Florent. tom. 3. tab. 58.
(7) Petron. in fragment.

Anus recocta vino
Trementibus labellis.

In altum reſpicit, ac capax oenophorum arctius amplectitur, ut cum Juvenale (1) dici poſſit, totum oenophorum ſitiens. Caput ejus mitella ornatur, quod ſolenne erat Baccho etiam, & Bacchis, quare apud Euripidem (2) in ea, quæ ab ipſis nomen habet, tragoedia Bacchum ita adfatur Penteus, quum ei comam ſub mitra componit:

Α'λλ' ἐξ ἕδρας σοὶ πλόκαμος ἐξέστηχ᾽, ὅδε
Οὐχ ὡς ἐγώνιν ὑπὸ μίτρᾳ καθήρμοσα
Verum e ſuo loco motus eſt hic tuus cincinnus:
Non eſt ut ego ipſum ſub mitra compoſueram.

Tunica tantum veſtitur, quæ etiam negligenter ei ex dextro humero decidit. Illa vero humi ſedet. Alexander Maffejus (3), qui hujus ſtatuæ graphidem protulit primus, vas hoc vinarium lucernam eſſe reputans, ex ejus ore flammulam erumpentem delineari curavit; ac in notis multa congerit, ut afferat, ſed incaſſum, hoc ſuum commentum, nam omnes ejus conjecturæ corrunt, dum vas ipſum αὐτοψία conſpici commode poteſt, nullum enim in ejus priſtomio flammulæ veſtigium apparet.

Vas hederacea corona induitur, ut moris erat penes Antiquos, quod confirmat idem eruditiſsimus Maffejus (4) ex veteri gemma, in qua vas vinarium corona redimitum cernitur. Virgilius quoque (5) idem innuere videtur, dum ait:

Tum pater Anchiſes magnum cratera CORONA
Induit;

& alibi (6):

Crateras magnos ſtatuunt, & VINA CORONANT.

Neque hoc tantum apud Latinos, ſed & apud Græcos, quum in Geoponicis (7) legatur in more fuiſſe apud eos, ne muſtum ebulliret, στέφανον γλήχωνος, ἢ καλαμίνθης, ἢ ὀρειγάνου τοῖς τραχήλοις τῶν ἀγγείων περιθεῖναι, ideſt *coronam pulegii vel calaminthæ, vel origani vaſorum collo circumponere.*

Hæc ſtatua excellentiore, quam fando dici poſſit, excuſa eſt arte, & in ea mirifice elucet ſculptoris præſtantia in æmulanda natura, quod ad vetulæ corpus ſenectute effoetum & rugis ſulcatum imitandum. Nec Romæ, nec alibi, quod ab auctoribus didicerim, ſtatuæ huic noſtræ ſimiles reperiuntur; ſolum apud Plinium (8) inveni mentionem factam hujuſmodi ſtatuæ a Myrone ex ære ductæ his verbis: *Myronis illius, qui in ære laudatur, ANUS EBRIA eſt Smyrnæ in primis inclyta.*

Hæc

(1) Juvenal. Sat. 6. v. 425.
(2) Euripid. Bacch. v. 926.
(3) Maff. *Racc. Stat.* num. 103.
(4) Idem Gemm. tom. 3. tab. 38.
(5) Virg. Æn. libr. 3. v. 525. libr. 7. v. 146.
(6) Idem Æn. libr. 1. v. 717.
(7) Geoponic. libr. 6. cap. 14.
(8) Plin. libr. 36. cap. 5.

Hæc diu fuit apud DD. Veroſpios, poſtea vero in ædibus Eminentiſſimi Cardinalis Othoboni, apud quem erat, dum Maffejus ejus graphidem protulit. Antiquæ Romanæ mulieres a vino abhoruiſſe notius eſt (1), quam narrari oporteat, nam ut ait Valerius Maximus (2): *Sane quæcunque femina vini uſum immoderate appetit, omnibus & virtutibus januam claudit, & delictis aperit.* Verum paulatim deſcivere ab optimis inſtitutis, & largiter compotationibus indulgere coeperunt, quare non in Orgiis tantum, ſed etiam aliis temporibus, veluti in nuptiis, vino mulieres ipſæ ſeſe ingurgitabant, ut teſtatur idem Petronius (3) ad ſuæ ætatis mores reſpiciens, quamvis loquatur de *Pſyches* nuptiis: *Jam ebriæ mulieres longum agmen plaudentes fecerant.* Et Tibullus (4) ad natalem diem celebrandum viros, & mulieres advocans, vult amborum Genius

.... *ſatur libo ſit, MADEATQUE MERO.*

Verum luculentius deplorat hanc ſobrietatis, & temperantiæ intermiſsionem Tertullianus (5) his verbis: *Circa feminas quidem etiam illa majorum inſtituta ceciderunt, quæ modeſtiæ, quæ ſobrietati patrocinabantur &c. quum mulieres uſque adeo vino abſtinerent, ut matronam ob reſignatos cellæ vinariæ loculos, ſui inedia necarint.*

MUSÆ

(1) Tertull. Apologet. cap. 6.
(2) Valer. Max. libr. 6. cap. 3. num. 9.
(3) Petron. Satyr. cap. 26.
(4) Tibull. libr. 2. eleg. 2.
(5) Tertullian. ibid.

MUSAE

TABULA XXXVIII. ET XXXIX.

POST Bacchum utique Muſis locum in hoc opere dediſſem, niſi ab eo diſſociare Faunos, Satyros, & Bacchas abſonum eſſe reputaſſem. Sed ab hoc vinoſo numinum cœtu expeditus ad eas libenter me converto, nam cantu leniter permulcent, quem quum ſummopere amaverint, a Plutarcho (1) *cicadæ Muſis ſacræ* dicuntur.

Neque de earum numero, neque de earum nominibus nunc verbum ullum faciam, quum noſtrum Muſeum nobile ſarcophagum poſsideat, in quo eæ ſculptæ ſunt opere anaglypho; dum enim ad illud enarrandum aggrediar, longiorem de illis habebo ſermonem, at hic pauca attingam de duobus ſimulacris in his Tab. XXXVIII. & XXXIX. expreſſis.

Muſarum cultum in Græciam Ephialtes & Otho intulerunt, ex quo dilatatus per alios populos, ac communis factus, multa marmorea & ærea ſigna, & muſiva, & anaglypha opera, quæ Muſas exprimerent, provenerunt, quamobrem multa adhuc ex illis monumenta ſuperſunt, licet tempus edax, & hominum barbarorum injuria plurima id genus abſumpſerit.

Multis, variiſque artifices eas ornamentis cumularunt, iiſque muſices inſtrumenta, tanquam illis peculiaria, addiderunt. Hinc Canacus Sycionius ob Apollinem, & Venerem ſedentem ab eo excuſos ſummopere celebratus, Muſam excalpſit tibiæ manum admoventem: Ariſtocles ejus frater aliam itidem cum lyra, quemadmodum Agelades ſculptor, a Columella laudatus, cum cithara. De his tribus Muſis, quas præſtanti, & elegantiſſimo ſtudio excuſas fuiſſe par eſt credere, ita cecinit Antipater Sidonius (2) præclari nominis vates:

Τρίζυγες αἱ Μοῦσαι τᾷδ' ἕσταμεν. ἁ μία, λωτοὺς
　　Ἁ δὲ φέρει παλάμαις βάρβιτον, ἁ δ' χέλυν.
Ἁ μὲν Ἀριστοκλῆος, ἔχει χέλυν. ἁ δ' Ἀγελάδα,
　　Βάρβιτον· ἁ Καναχά δ', ὑμνοπόλους δόνακας.
Ἀλλ' ἁ μὲν κράντειρα τόνου πέλει, ἁ δὲ μελῳδὸς.
　　Χρώματος, ἁ δὲ, σοφᾶς εὑρέτις ἁρμονίας

Grotius ita Latine vertit:

Tres Muſæ poſitæ ſumus hic. Huic tibia flatur:
　　Iſta manu geſtat barbiton: illa chelyn.
Cernis Ariſtocleos opus chelyn: eſt Ageladæ
　　Barbitos: & lotum, quæ tenet, eſt Canachæ.
Perficit iſta tono, melicis ſonat illa Camoenis:
　　Tertia magnificam temperat harmoniam.

Læsbo-

(1) Plutarch. Sympoſ. libr. 8. quæſt. 7.

(2) Anthol. libr. 4. cap. 12. epigr. 69.

Læsbotemus aliam his ſimilem fecit, ſed quæ muſicum geſtabat inſtrumentum, quod Magaudium ſeu Magas appellatur ſecundum Euphorionem in Iſthmicorum libro apud Athenæum (1). De hoc multa congeſſimus in explicationibus ad ſculpturas, picturaſque Romæ ſubterraneæ adjectis. Vide etiam Henrici Stephani lexicon Græcum in hac voce, qui multus eſt in hoc argumento.

Muſa Tab. XXXVIII. delineata, mihi videtur Thalia, quæ comoediæ præſes habebatur, ut ait Auſonius (2):

Comica laſcivo gaudet ſermone Thalia.

Mitella caput ejus ornatur, qua ornantur etiam aliæ ſtatuæ feminarum, quæ Romæ proſtant. Promiſſam habet comam, quæ ſoluta per humeros negligenter deſcendit. Tunica modeſtiam præfert demiſſa uſque ad pedes ſocco veſtitos. Palla, quæ ſiniſtro humero inſidet, brachio itidem ſiniſtro collecta eſt. Dextra manu tibiam, larvam ſiniſtra tenet. Si præter larvam etiam pedum, & clavum teneret, ut in duabus gemmis apud Borionium (3), non comoediæ, ſed tragoediæ præſes hæc Muſa exiſtimanda foret, ut erudite docet Rudolfinus Venuthius, quum clava proprie heroibus, ut Herculi, & Theſeo, tribuatur, quorum paſsim meminere tragoediæ. Hujus noſtræ Muſæ graphidem nobis exhibuit Eques Maffejus (4), qui eam Thaliam vocat.

Altera Muſa, quæ Tab. XXXIX. conſpicitur, quæ nam ex novem ſit, non facile divinabitur, quod omni careat ſymbolo. Tres tantum pennas picæ avis in fronte gerit, in qua capilli apte colligantur. Eodem plane modo ornatur ſtatua quædam in Muſeo (5) Florentino, ac duæ feminæ, quæ excuſæ ſunt opere anaglypho in ædibus Juſtinianeis (6), & apud Sponium (7) graphide, quibus pennis dignoſcitur, hæc ſimulacra Muſas repræſentare. Quum enim a Sirenis Acheloi filiabus hæ filiæ ſummi Jovis, & Mnemoſines ad cantum provocatæ, Junone inſtigante, fuiſſent, atque illas viciſſent, & eas in picas convertiſſent, plumas illis evellerunt, iiſque caput ornarunt ſuum, ut Pauſanias (8), & Euſtathius (9) refert. Verum etiam aliquando roſarum corollis, ut Clemens Alexandrinus (10) narrat, vel palmis interdum, ut Phurnutus (11), redimitæ apparent. Ex Muſarum, quæ penes Svecorum Reginam erant, ſtatuis nonnullæ hederæ, nonnullæ lavri coronam, vel mitellam geſtabant (12). Hæc pariter tunica prælonga induta eſt, demiſſa ad pedes calceatos, ſed aliter quam Thalia. Palla tunicæ ſuperimpoſita, ad dextrum brachium a ſiniſtro humero deſcendens ſuper ſiniſtrum itidem brachium jacet.

N Manu

(1) Athen. libr. 14. cap. 4.
(2) Auſon. in carm. 367.
(3) Borion. *Racc.* tab. 56. 57.
(4) Maff. *Racc. Stat.* tab. 20.
(5) Muſ. Florent. tom. 3. tab. 16.
(6) Muſ. Juſtin. ſeu *Galler. Giuſt.* tom. 2. tab. 104.
(7) Spon. Miſcell. ſect. 2. art. 9.
(8) Pauſ. lib. 9. cap. 34. p. 778.
(9) Euſtath. ad Hom. Iliad. libr. 1. p. 171. edit. Polit.
(10) Clem. Alex. Pædag. libr. 2. cap. 8. pag. 213.
(11) Phurnut. cap. 14.
(12) Maff. *Racc. Stat.* num. 112.

Manu tenet florum manipulum. Aldrovandus (1), qui hoc ſimulacrum penes D. Franciſcum Liſcam viderat, illud ſic deſcribit: *Vi è una Giunone Lucina togata con tre penne in teſta, e con la ſiniſtra mano tiene un branco di roſe*. Neſcio, qua ratione hoc ſimulacrum Junoni tribuerit diligentiſſimus hic alioquin Scriptor, quum certe Muſam ob ſymbola repræſentet. Alibi idem auctor (2) deſcribens domum Cardinalis Bandini ſic ſcribit: *Vi ſi veggono anco tre Muſe in piè veſtite. Una di loro tiene in mano un libro, l' altra un iſtrumento muſico, e la terza una maſchera, e ciaſcuna di loro ha ſul capo due penne, con le quali pare, che ſi accenni, che elleno col canto loro, e de' poeti, a' quali eſſe inſpirano il verſo, fanno volare con molta lode per tutto coloro, che vengono in verſi celebrati, oppure perchè innalzano ſu gl' ingegni de' poeti*.

GENIUS

(1) Aldrov. *Statue di Roma* pag. 175.

(2) Idem pag. 139.

GENIUS TRAGICUS

TABULA XL.

FRanciſcus Ficoronius illuſtris noſtræ ætatis antiquarius, qui primus hujus puelli imaginem edidit in libro De larvis, quem de Italica in Latinam linguam olim vertimus, quum eum tragicum Genium reputaſſet, conſentaneum mihi viſum eſt, illius ſequi auctoritatem. Ipſius etiam in eo marmore deſcribendo utar verbis. Ait itaque: *Puerum refert forma quaſi coloſſea altitudinis palm.* 5. *qui ſedens ſuper pellem caprinam larvam tenet elatam, forma itidem coloſſea, arreptam manibus, & eam capiti ſuo vel aptare, vel detrahere nititur.* Quibus autem rationibus, ſeu potius conjecturis adductus Genium tragicum reputaverit, audias ex ipſiuſmet verbis (1): *Non eſt inſolens ſub pueri ſpecie Genium; & munera actioneſque graviores ſub exuviarum ferinarum ſymbolo repræſentare. Uti etiam larva Silenica ludos deſignat theatrales. Quamvis larvæ horribiles & monſtroſæ ad comœdias potius ſpectarent; attamen illis tantum larvis comici utebantur, quæ in ſpeciem, & primo intuitu terrorem, poſtea vero riſum excitabant. Tragœdorum vero larvæ non abnormes erant, ſed naturales, verum ad luctum, & dolorem, & hujuſmodi alias affectiones ſummopere detortæ, ingentibus ſcilicet ſuperciliis, & crinibus incomptis. Talis eſt illa, quam ſuſtollit hic puer, quare eam potius crederem tragœdiam, quam comœdiam reſpicere.*

Quod autem Antiqui quampluribus rebus ſuos Genios peculiaribus ſymbolis inſignitos tribuerent, notius eſt, quamquod notiſsimum. De larva Silenica nihil dicam poſt laudatum Ficoronium (2), qui plures ex ipſis, ac notabiliores delineari curavit, deque ipſis luculenter diſſeruit.

Quod autem Genius hic cum larva ludere videatur, non eſt omnino novum. Etenim in gemma quadam apud Maffejum (3) ludibundus Genius conſpicitur grandi larva caput coopertus, ex cujus ore caput ſuum promit. Tres etiam alios Genios dedit Ficoronius (4) has larvas per jocum pertractantes. Quanta autem arte hic puer excuſus ſit, difficile dictu eſt, quum non e marmore Pario, ſed e carne compactus, mollis, & boni ſucci plenus omnino videatur, & ut Plinius ait (5) de duobus pueris a Parrhaſio pictis, in quo *ſpectatur ſecuritas, & ætatis ſimplicitas.*

(1) Ficoron. De larvis tab. 73.
(2) Ficoron. ibid.
(3) Maff. Gemm. tom. 3. tab. 21.
(4) Ficoron. ibid. tab. 45. & 68.
(5) Plin. Hiſtor. libr. 30. cap. 10.

LEDA
TABULA XLI.

IN formam cygni ab Amore turpiter victus Jupiter, ut Ledam falleret, converſus eſt. Ita Hyginus (1) hoc facinus narrat: *Jupiter Ledam Theſtii filiam in cygnum converſus ad flumen Eurotam compreſſit, & ex eo peperit Pollucem, & Helenam: ex Tyndareo autem Caſtorem, & Clytemneſtram;* quod his carminibus cecinit Auſonius (2):

Iſtos tergemino naſci quos cernis ab ovo,
Patribus ambiguis, & matribus aſſere natos.
Hos genuit Nemeſis, ſed Leda puerpera fovit:
Tyndareus pater his, & Jupiter: hic putat, hic ſcit.

Quæ autem Auſonius complectitur his verſibus, ut luculentius pateant, addendum reor verba eruditiſsimi viri Coelii Rhodigini (3), qui ſic ait: *Nemeſin, quum deperiret Jupiter, ut a puella admitteretur, nequibat impetrare. Ad dolos ergo amatorie converſus, juſſit Venerem in aquilam deformari, ipſe olorem induit; moxque, ut qui aquilam nimis metueret, raptim ſe proripere cœpit, ac velut compavidus latebras quærens, in puellæ devolat gremium: quæ neſcia quantus inſideret miſeræ Deus, illum placide ac geſtiens excepit; ſed vi numinis e veſtigio in ſoporem vertitur. Eam tum nimis opportune comprimit Jupiter, in a ſerem deformatum, ut ex Græcis ſcribunt nonnulli. Actis denique menſibus parit illa ovum, quod auferens Mercurius Spartam detulit, ac ſedenti Ledæ in gremium projecit, ex quo nata fertur Helena, quam Leda ut filiam habuerit.* Ex quibus aliam fuiſſe Nemeſin intelligimus, aliam Ledam. Contra vero Lactantius (4) ambas unam eamdemque feminam fuiſſe credidit. Pauſanias (5) quidem refert, Nemeſin ornatam fuiſſe corona, in qua Fortunæ & corvorum imagines ſculptæ cernebantur; at qua de cauſa hoc fieret, nullo modo docet. Leda vero ferme ſemper eodem modo repræſentatur, nempe cum cygno, ut videre eſt in elegantiſsimo ejus ſimulacro in Muſeo Mediceo (6), & Venetiis (7) prope magni Conſilii aulam, & in Muſeo Juſtinianeo, & in ædibus Magni Comeſtabilis Columnæ. Verum quæ Venetiis viſitur, monilibus circa collum & brachia ornatur. Ita etiam in gemmis (8), in quarum una apud Cauſſeum (9) præter cygnum vas elegantis formæ conſpicitur, in quo Cupido infantulus nudus manus ad cœlum tollit. In hac gemma legitur C. LETI, cui forte gemma vel

(1) Hyginus fab. 77.
(2) Auſon. Epigr. 56.
(3) Cœl. Rhodig. libr. XI. cap. 19.
(4) Lactant. Inſt. libr. I. cap. 21.
(5) Pauſ. libr. I. cap. 33. pag. 81.
(6) Muſ. Flor. tom. 3. tab. 5.
(7) *Statue di Venez.* part. 2. num. 5.
(8) Muſ. Florent. tom. 2. tab. 97. Maff. Gemm. tom. 2. tab. 26.
(9) Cauſſ. Gemm. tab. 117.

vel dicata, vel donata fuerat, vel penes quem dominium ejus erat. Inter etiam antiquariam (1) Borionii ſupellectilem ſigillum æreum Ledæ ſervatur cum cygno & Cupidine.

Ex tot antiquis monumentis erui poſſe videtur, vel Nemeſim eandem eſſe ac Ledam, vel certe ex Leda Helenam, ejuſque fratres natos eſſe, quod auctoritate Luciani (2) confirmatur, qui ait: Αὕτη θυγάτηρ μὲν Λήδας ἐκείνης τῆς καλῆς, ἐφ' ἣν ὁ Ζεὺς κατέπτη κύκνος γενόμενος. *Equidem eſt illa formoſæ Ledæ filia, ad quam Jupiter deſcendit cygnus factus*. Quapropter hoc volatile in coelum inter ſidera translatum fuit, ut refert Manilius (3). Apud ipſummet Borionium (4) ſingularis gemma proſtat, in qua Amor in curru ſedet, quem trahunt duo cygni ad quemdam triumphi formam præferendam ob Jovem hujus animalis ope devictum.

Noſtra hæc ſtatua excuſa eſt ſtans, & crinibus in occipitio collectis. Ars ſculptoris maxime elucet in illa veſtimenti parte, quæ pendula a ſiniſtro brachio, quantum fieri poteſt extenſo, & uſque ad mediam coxendicem demiſſa ſummopere attenuata eſt. Pedes calceis veſtiuntur. Non admodum diverſa eſt a Leda illa marmorea in ædibus Farneſianis, quam ſic deſcribit Aldrovandus (5): *Vi è poi una Leda tutta veſtita fuori che il braccio deſtro. Ha i capelli intrecciati: ſta in atto di inginocchiarſi, e ſtringe con la mano deſtra un cigno.*

DUO

(1) Borion. *Raccolt. antich.* tab. 27.
(2) Lucian. Dearum judic. num. 14.
(3) Manil. Aſtron. libr. 1. v. 337.
(4) Borion. ibid. tab. 41.
(5) Aldrov. *Stat. di Roma* pag. 121.

DUO FILII NIOBES

TABULA XLII.

NIobe ex proprio connubio, in quo primum, ut Pindarus (1) ait, modi Lidii in morem venerunt, quamplurimos filios ſuſcepit. Niobe autem quamfamiliariter utebatur Latona Apollinis, & Dianæ mater (2). Quum autem inter ſe mulieres differerent, ac gloriabundæ mutuo ſe jactarent, Niobe ſuper Latonam ſeſe efferre volens, duobus tantum illius filiis ingentem ſuorum numerum objecit. Quamobrem ira correpta Latona injuriam ſpretæ infecunditatis ulciſci ſtatuit, & Apolline, & Diana filiis ſuis in auxilium adſcivit, qui ſagittis, Niobem ejuſque filios confecerunt. Hæc omnia præter mythologos luculenter deſcribit Ovidius (3). Hujus autem facinoris argumentum ſumpſere antiquitus cum pictores, tum ſculptores ad artis ſuæ præſtantiam oſtendendam. Pauſanias (4) narrat, ſe Athenis ſupra theatrum rupem vidiſſe (5), ubi tripus ille Apollinis ſervabatur, in quo ille cælatus erat cum ſorore Niobem filioſque ejus ſagittis conficientes. Athenienſes credebant in monte Sypilo Niobem in petram mutatam fuiſſe. Eo Pauſanias, homo maxime curioſus, perrexit, ac poſtea hæc ad nos retulit: Ταύτην τὴν Νιόβην καὶ αὐτὸς εἶδον ἀνελθὼν ἐς τὸ Σύπυλον τὸ ὄρος. ἡ δὲ πλησίον μὲν πέτρα, καὶ κρημνός ἐστιν, οὐδὲν παρόντι σχῆμα παρεχομένη γυναικὸς οὔτε ἄλλως οὔτε πενθούσης. Εἰ δὲ γε πορρωτέρω γένοιο, δεδακρυμένην δόξεις ὁρᾷν καὶ κατηφῆ γυναῖκα, *Ego ſane, Nioben ut viderem, in Sypilum montem aſcendi. Silex, & prærupta crepido imminet: quæ prope aſſiſtenti neque mulieris, neque lugentis formam oſtentat: qui vero procul aſpexerit, mulierem lacrymantem, & mœrentem videre ſibi videtur.*

Fama erat inter Græcos, quotannis æſtivo tempore lapidem illum, in quem mutata dicebatur Niobes, conlacrymare. Hæc fabula argumentum præbuit nonnullis tragicis poëtis, ut Athenæus refert, ejuſque eruditiſſimus enarrator Caſaubonus (6). Hoc etiam exemplo utebantur Antiqui ad eos conſolandos, quibus filius mortuus eſſet. Hinc Timocles comicus ait (7):

Τέθνηκε σοὶ παῖς; ἡ Νιόβη κεκούφικε.
Obiit tibi filius? Niobem reſpice.

Sed ut ad noſtra ſimulacra advertamus animum, credendum eſt, hæc duo tantum ſupereſſe ex plurimis, quæ ſimul totam hanc fabulam repræſentabant, qualis videre erat in templo Apollinis Soſiani, cujus

(1) Apud Plutarch. De muſica tom. 2. pag. 1136.
(2) Sappho apud Athen. libr. 13. cap. 14.
(3) Ovid. Metam. libr. 6. v. 145.
(4) Pauſ. libr. 1. cap. 21. pag. 49.
(5) Pauſ. libr. 8. cap. 2. pag. 601.
(6) Caſaub. in Athen. libr. 7. cap. 13. pag. 569.
(7) Apud Athen. libr. 6. cap. 1.

cujus (1) operis omnes demirabantur præſtantiam, quamvis ignorarent artificem. Alii tamen Scopæ, alii Praxiteli tribuebant. Et revera hunc ſcimus talem marmore fabulam excudiſſe ex Anthologia (2):

Ἐκ ζωῆς με Θεοὶ τεῦξαν λίθον. ἐκ δὲ λίθοιο
Ζωὴν Πραξιτέλης ἔμπαλιν εἰργάσατο.

Quæ carmina ita Latine vertit Grotius:

Ex viva lapidem me Dî fecere; ſed ecce
Praxiteles vivam me facit ex lapide.

Quod carmen eleganter ita imitatus eſt Auſonius (3):

Vivebam, ſum facta ſilex: quæ deinde polita
Praxitelis manibus, vivo iterum Niobe.
Reddidit artificis manus omnia, ſed ſine ſenſu;
Hunc ego, quum læſi numina, non habui.

Filiorum Niobes incertus ſane eſt numerus. Antiquiſſimus Græcorum Homerus ſex fuiſſe ſcribit: Larſus autem, qui tempore Darii Hyſtaſpis floruit, quatuor tantum eos fuiſſe putat. Alcmanus poëta lyricus decem: Minermus autem elegiacus vates Soloni æqualis, & Pindarus viginti ſtatuunt. Aeſiodus eorum numerum uſque ad viginti & unum protraxit, Aeliano teſte, cui Apollodorus contradicit, & viginti tantum ſtatuiſſe affirmat. Verum hæc opinionum varietas conciliari facile poteſt, ſi dixerimus, Apollodorum eos tantum ſupputaſſe, qui interfecti fuerunt; nam Cloris fratrum ſuorum cædi ſuperfuit, quod etiam ex Pauſania didicimus, qui Amiclam quoque ejus ſororem ſuperfuiſſe autumat, quod ambæ ſeſe Latonæ ſubjecerint. Hoc amplius etiam addit, Cloridem primum fuiſſe Meliboeam appellatam, ſed tantæ ſtragis formidine perculſa, pallida adeo evaſit, ut inde Cloris appellaretur. Huic autem narrationi vel ipſe Pauſanias (4) nullam fidem adhibet, ſed omnes hos periiſſe fratres credit. Idque fortaſſe Homeri auctoritate fractus, quem ſummopere verebatur. Ille vero in Iliade (5) ſic cecinit:

Τὼ δ' ἄρα καὶ δοιώ περ ἐόντ' ἀπὸ πάντας ὄλεσαν
Quique ſuperfuerant geminis fixere ſagittis.

Sed de numero filiorum Niobes videſis Natalem (6) Comitem, Barthium (7), & Cuperum (8). In villa Medicea montis Pinci nobiliſſimum proſtat ſymplegma ante portam Lateranenſem erutum (9), verum artis miraculum, quo excuſi ſunt marmore Pario quatuordecim filii, ſeptem maſculi totidemque feminæ cum matre Niobe, qui numerus omnino reſpondet Ovidii (10) carminibus. Noſtrum vero ſymplegma duos tantum ex iis filiis præfert, feminam nempe, & ma-

(1) Plin. Hiſtor. libr. 36. cap. 5.
(2) Anthol. libr. 4. cap. 9.
(3) Auſon. Epigr. 245.
(4) Pauſ. libr. 5. cap. 16. pag. 417.
(5) Homer. Iliad. libr. ult. v. 609.
(6) Natal. Com. libr. 6. cap. 13.
(7) Barth. ad Statii Theb. libr. 3. v. 198.
(8) Cuper. Obſerv. libr. 3. cap. 13.
(9) Flamin. Vaccæ epiſt. num. 74.
(10) Ovid. Metam. libr. 6. v. 145.

maſculum eodem plane ſtatu, quo duo hujuſmodi cernuntur in ſymplegmate Mediceo; & in aliis hujus urbis Muſeis. Aæc mulier genuflectere incipit, atque ejus frater jam genu flexiſſe apparet. Illa veſtem colligit quaſi ipſum omnino nudum tegere velit, qui interim tremebundus faciem, & oculos in coelum intendit, unde Apollo, & Diana ſagittas emittebant, quæ ceteros ejus fratres confecerant. Hic forte Ilioneus ille erat, de quo Ovidius (1):

Ultimus Ilioneus non profectura precando
Brachia ſuſtulerat: Dîque o communiter omnes,
Dixerat, ignarus non omnes eſſe rogandos:
Parcite; motus erat, quum jam revocabile telum
Non fuit, Arcitenens &c.

Libenter Ovidii carminibus utor, nam vel ille e ſculptura poëſim, vel ſculptor e poëſi Ovidii ſimulacra duxit; adeo inter ſe omnino reſpondent & carmina, & Mediceum ſymplegma, & præcipue in imagine Niobes, quam protulit Maffejus (2); & Ovidius (3) ita graphice deſcripſit:

Sexque datis leto, diverſaque vulnera paſſis,
Ultima reſtabat: quam toto corpore mater
Tota veſte tegens: unam minimamque relinque
De multis: minimam poſco.

Qui harum elegantiarum amore tangeris, hos verſus, amabo, conferas vel cum ſimulacro Niobes Mediceæ, vel cum ejus graphide, & magnam profecto admirationem, & voluptatem capies ex tanta poëſis & ſculpturæ convenientia.

PUDI-

(1) Ovid. libr. 6. v. 261.
(2) Maff. *Raccolt. ſtat.* 32. e 33.
(3) Ovid. Metam. libr. 6. v. 298.

PUDICITIA

TABULA XLIII. ET XLIV.

QUOD Romæ ſimulacrum extiterit Pudicitiæ, teſtatur Feſtus (1), ac luculentius Plinius (2) dicens: *Pudicitiæ ſignum in foro boario eſt.* Et paulo poſt: *Pudicitiæ ſignum Romæ colebatur, quod nefas erat attingi, niſi ab ea, quæ ſemel nupſiſſet.* Nec tantum ſimulacrum, ſed & ara, ut ex hac inſcriptione apud Petrum Bertaldum (3), qui eam ab Occone mutuavit, diſcimus:

P L O T I N A A V G. I M P. T R A I A N I
C A E S. A V G. G E R M A N. D A C
C O S. V I. P P.
A R A P V D I C I T I A E

Et inter Gruteri (4) inſcriptiones lamina ærea adeſt, in qua hæc verba, quæ Pudicitiam reſpicere videntur:

D O M I N A E
H O N O R I S

Immo etiam templum illi poſuerunt Romani, ut ex Propertio (5) colligitur:

Templa Pudicitiæ quid opus ſtatuiſſe puellis?

quod Publius Victor in octava regione collocavit. Sacellum Pudicitiæ memorat his verbis Livius (6): *Inſignem ſupplicationem fecit certamen in ſacello Pudicitiæ Patritiæ, quæ in foro boario eſt ad ædem rotundam Herculis, inter matronas ortum.* Virginia Auli filia, quæ huic diſcordiæ cauſam præbuerat, Pudicitiæ Plebejæ aram dicavit, eodem Livio teſte (7): *In vico* (inquit) *longo, ubi habitabat, ex parte ædium, quod ſatis eſſet loci, modico ſacello excluſit; aramque ibi poſuit, & convocatis plebis matronis, conqueſta injuriarum patriciarum: Hanc ego aram Pudicitiæ plebejæ dedico, inquit &c. Eodem ferme ritu, & hæc ara, quo illa antiquior, culta eſt, ut nulla niſi ſpectatæ pudicitiæ matrona, & quæ uni viro nupta fuiſſet, jus ſacrificandi haberet.*

Præter ea, quæ de ejus cultu, multa etiam de ejus ornatu notanda forent, qui multiplex fuit, ut videre eſt apud Antonium Auguſtinium (8), & colligitur ex antiquis nummis. In Vaticanis Marciæ

O Otaciliæ

(1) Feſtus in v. *Pudicitia*.
(2) Plinius Hiſt. nat. libr. 2. cap. 7.
(3) Bertald. De ara in tom. 6. pag. 358. Antiq. Roman. Grævii.
(4) Gruter. Inſcript. tom. 1. pag. 100. num. 3.
(5) Propert. libr. 2. eleg. 5. v. 17.
(6) Livius libr. 10. cap. 23.
(7) Livius ibid.
(8) Ant. Auguſt. Dial. 2. pag. 77. edit. Rom. 1698.

Otaciliæ Severæ, & Urbicæ nummis, qui maximi ſunt moduli, Pudicitia ſedens expreſſa eſt, quæ dextra obducit vultui velum, quod etiam in noſtris ſtatuis obtendere videtur. Duo illi adſtant puelli, qui in eam tendunt brachia. Pone alia ſtat mulier cum caduceo, & cornu copiæ ad innuendum fortaſſe, ex pudicitia & optimam filiorum educationem, & illorum in matrem amorem, & abundantiam, & pacem derivari. In altero pariter Vaticano nummo Pudicitia ſedet ſimul cum Hygia, & alia neſcio qua muliere, quæ caduceum tenet.

In nummis (1) Sabinæ, Lucillæ, Fauſtinæ, Juliæ Piæ, Juliæ Meſæ, Orbianæ, ac aliarum Auguſtarum Pudicitia eo ſtatu cuſa eſt, quo ſculpta in muſeo Juſtinianorum (2). Hæc noſtra ſtatua modeſta veſte tegitur, cui palla matronalis ſuperinducta caput obnubit, & ex ſiniſtro humero in tergum recidit. Dextra manu nonnihil faciem aperit, & ſiniſtra aut pomum, aut volumen tenet. Fertur a Michaële Angelo Bonarrothio, quum eſſet capite diminuta, ſartam fuiſſe, Fauſtinæ minoris faciem imitando. In baſi legitur: PVDICITIA. Jam olim in Capitolio erat, eamque Maffejus (3) quoque in ſuam ſtatuarum ſyllogen invexit, ubi putidam Romanorum carpit aſſentationem, qui in ejus nummis Pudicitiam cuderunt, ea enim impudiciſſima erat. Multa etiam congerit ad veſtem hujus ſtatuæ ſpectantia, quæ veſtis honeſtatem, & nobilem gravitatem præfert, & cui bene Horatii (4) aptat carmen:

Ad talos ſtola demiſſa, & circumdata palla,

quod Servii verbis illuſtrat, additque hanc veſtium rationem, adeo patriciarum peculiarem fuiſſe, ut ea nullo modo uti poſſent inferioris ordinis feminæ.

Ut hanc Tabulæ XLIII. ſtatuam Fauſtinam minorem, ita ſequentem Juliam Mammeam Alexandri Severi matrem referre putavit idem Maffejus (5). Nos Pudicitiam credimus eſſe, quod clare pateat ex ſtatu & habitus forma, quæ eadem in ambabus re ipſa ſunt. Super ſtolam pallam habet cirris ornatam, qui ſic dicti fuerunt, quod capillos imitari videbantur, de quibus multa congerit immortalis memoria Senator Bonarrothius (6). Veſte iſta cirrata induitur Iſis, quæ in noſtro Muſeo extat, de qua inferius locuturi ſumus Tab. LXXIII. & Venus in eadem Maffeii ſylloge, & duæ feminæ in ædibus Ducis Bracciani, quæ duas Provincias repræſentant.

FLORA

(1) Occon. Theſaur. pag. 185. 190. 229. 240. 259. 268 282. 316. & 326.
(2) Muſ. Juſtinian. tom. 1. num. 31.
(3) Maff. *Raccolt. ſtat.* num. XVII.
(4) Horat. *Satyr.* 2. libr. 1.
(5) Maff. ibid. num. XVIII.
(6) Bonarr. Numiſm. Carpin. pag. 258.

F L O R A

TABULA XLV.

SI B. Cypriano (1), Minutio Felici (2), Arnobio (3), & Lactantio (4), ut par eſſe credimus, Flora mulier quædam fuit valde impudica a Populo Romano in Deos relata grati animi ergo, quod ipſum hæredem ſcripſerit. Unus vero Lactantius (5) de ea hæc addit: *Quum magnas opes ex arte meretricia quæſiviſſet, populum ſcripſit hæredem, certamque pecuniam reliquit, cujus ex annuo fœnore ſuus natalis dies celebraretur editione ludorum, quos appellant Floralia. Quod quia Senatui flagitioſum videbatur, ab ipſo nomine argumentum ſumi placuit, ut pudendæ rei quædam dignitas adderetur. Deam finxerunt eſſe, quæ floribus præſit, eamque oportere placari, ut fruges cum arboribus, aut vitibus bene proſpereque floreſcerent.* Hæc adeo fidenter pronunciat Lactantius, ut illi omnino ſtandum foret, ni multa notatu digna illius auctoritatem vel deſtruerent vel infirmarent. Putat enim Floram & Deam factam eſſe, & ejus cultum, & ludos ſimul inſtitutos; ſed a Plinio (6) diſcimus, Floræ numen uſque a primoribus Romæ initiis veneratum fuiſſe. En ejus verba: *Rudis fuit priſcorum vita, atque ſine literis: non minus tamen ingenioſam in illis fuiſſe obſervationem apparebit, quam nunc eſſe rationem. Tria namque tempora fructibus metuebant, propter quod inſtituerunt ferias dieſque feſtos: Rubigalia, FLORALIA, Vinalia.* Varro (7) quoque eam invocat, atque inter Deos ponit, quos Romani e Sabinis evocarunt: & alibi hæc habet (8): *Eumdem Pompilium Numam, ait (* Ennius *) feciſſe flamines, qui quum omnes ſint a ſingulis diis cognominati, in quibuſdam apparent etyma, ut cur ſit Martialis, Quirinalis. Sunt, in quibus flaminum cognominibus latent origines, ut qui ſunt in verſibus plerique, Volturnalis, Palatualis, Furinalis, Floralis, Falacer, Pomonalis obſcura eſt eorum origo.*

Quum igitur vetuſtior ſit Floræ cultus, quam ſtatuat Lactantius, hinc eſt, ut origo, quam huic tribuit Deæ, pene concidat; quod clarius evincit Floralium ludorum initium eo modo, quo a Scriptoribus rerum Romanarum narratur, qui illud in annum V. C. 513. Coſſ. C. Claudio Centone, & M. Sempronio Tuditano reiiciunt; neque ex hæreditate pellicis, ſed ex mulcta reorum peculatus, ut Ovidius (9) ait. Ex iiſdem Scriptoribus colligitur anno tandem V. C. 580. Coſſ. L. Poſtumio Albino, & M. Popilio Lenate decretum fuiſſe, quotannis

(1) B. Cyprian. De vanit. idolor. pag. 226. edit. Balutii.
(2) Minut. Felic. Octav. §. 25.
(3) Arnob. pag. 138. edit. Hannoviæ 1603.
(4) Lactant. De divin. inſtit. libr. 1. cap. 20.
(5) Lactant. ibid.
(6) Plin. Hiſtor. libr. 18. cap. 29.
(7) Varro De R. R. libr. 1. cap. 1.
(8) Idem De L. L. libr. 6. pag. 73.
(9) Ovid. Faſt. libr. 5. v. 279

ludos Florales fieri, quod maxime aëris intemperies peſſum meſſes dederint. Ex quibus eruitur, ut optime advertit Voſſius (1), non ex commentitia grati animi demonſtratione Floram inter Deos a Romanis relatam fuiſſe, ſed antiquitus ejus numen cultum. Quod ſi, quæ antiqui Scriptores de ea literis mandarunt, accuratius penſitare velimus, intelligemus fortaſſe, non aliam a Venere eſſe, quamvis Lucretius inter numina, quæ Venerem comitantur eam deſcribat (2):

It ver, & Venus; & Veneris prænuntius ante
Pennatus graditur Zephyrus, veſtigia propter
FLORA, quibus mater præſpargens ante viai
Cuncta coloribus egregiis, & odoribus opplet.

Quod Venus, & Flora unum, & idem numen ſint, ex hoc etiam colligi poſſet, quod menſis Aprilis ſub ambarum tutela foret, & etiam, quod Venus hortorum Dea ſit, nam Varro (3): *Vinalia* (ait) *ruſtica dicuntur ante diem xii. Kalend. Sept. quod tum Veneri dedicata ædes, & horti ejus tutelæ adſignantur, ac tum ſunt feriati olitores*; Et Feſtus inquit (4): *Eodem autem die Veneri templa ſunt conſecrata &c. quia in ipſius Deæ tutela ſunt horti*. Notandum præterea eſt, quod apud Catullum (5) Venus, & Arſinoe Zephyritis, & Cloris, quæ ſecundum Græcos eadem eſt ac Flora, pro eodem numine accipiuntur. Sed luculentius hoc affirmat Auſonius dicens (6):

Sideris, & floris nam domina una Venus:

ac deinceps (7):

Communis Paphiæ Dea ſideris, & Dea floris;

quibus verbis ex Pomponio Sabino ſubdit Aleander (8): *Venus, quæ mane Lucifer: Flora, & Venus idem ſunt*. Quibus addi poteſt, Floram a Cicerone (9) appellatam fuiſſe Floram matrem, & ab Arnobio (10) Floram genitricem, quæ matris, & genitricis appellatio a Romanis ſolum Veneri, quemadmodum patris Marti tantum tribuebatur. Si autem quid Lactantium in errorem impegerit, requiramus, difficile ad inveſtigandum eſt, niſi ille Floræ tribuerit, quæ de Larentia Romuli, & Remi nutrice referuntur; hæc enim quamvis artem meretriciam exercuerit, at poſtea cuidam Tarrutio Etruſco honeſte nupſit. Etenim hæc profecto locupletis hæreditatis Populum Romanum hæredem in morte inſtituit, cui parentalia, ut narrat Macrobius (11), conſtituta ſunt, quæ etiam ſub Imperatoribus viguerunt, ut ex monumentis fratrum Arvalium eruimus.

Niſi

(1) Voſſ. De idolol. libr. 1. cap. 12.
(2) Lucret. libr. 5. v. 737.
(3) Varro De L. L. libr. 5.
(4) Feſtus in v. *Ruſtica vinalia*.
(5) Catull. De coma Berenices.
(6) Auſon. carm. 361. v. 18.
(7) Idem ibid. v. 21.
(8) Aleand. Tab. Heliac. pag. 742. tom. 5. Antiq. Roman. Graevii.
(9) Cic. Act. 5. in Verrem.
(10) Arnob. ibid.
(11) Macrob. Saturn. libr. 1. cap. 10.

Niſi vero hac de cauſa falſus eſt Lactantius, nullam aliam comminiſci queo, non enim ex antiquis colligimus, Romanos talem luculentam grati animi ſignificationem prætuliſſe umquam, ut tam inhoneſtam feminam ac impuram inter majores deos invexiſſe credibile ſit, quum tantum honoris nec iis, qui de patria optime meruerant, eos tribuiſſe legamus. Quod autem inter majores deos Flora aſcita fuerit, fratrum Arvalium indicant inſcriptiones(1); in iis enim apparet, eamdem hoſtiam ipſi ac Veſtæ mactatam fuiſſe: FLORAE OVES II. VESTAE OVES II. Et in nonnullis lapidibus Flora dicitur (2) Feronia, quæ eadem eſt ac Juno, & in aliis Mercurio, & Cereri adjungitur (3). Quapropter magnum ejus numen habebatur, & arvorum tutela ei tribuebatur, & Romæ, & ruri templa illi erecta ſunt, ut Martialis teſtatur (4):

Sed Tiburtinæ ſum proximus accola pilæ,
Qua videt antiquum ruſtica Flora Jovem.

Quæ templa rotunda erant, & ordine Corinthio conſtructa, ita docente Vitruvio, qui hujus præcepti hanc affert rationem (5): *Veneri, FLORAE, Proſerpinæ, fontium Nymphis Corinthio genere conſtitutæ* (ædes) *aptas videbuntur habere proprietates, quod his diis propter teneritatem graciliora, & florida, foliiſque, & volutis ornata opera facta augere videbuntur juſtum decorem.*

Contra Floralia jure clamant Eccleſiæ Patres, & præcipue Auguſtinus (6), a quibus referendis ſuperſedeo, quum hoc notiſſimum ſit.

Multas fuiſſe Romæ ſtatuas illius arbitror, nam multæ adhuc ſuperſunt. Inter has Farneſiana eminet, quæ naturalem excedit magnitudinem, & quæ veſte operitur tanto artificio, tamque præſtanti ſculpta ut nihil ſupra inter etiam elegantiora Græcorum artificum ſimulacra; ita ut nonnulli dubitarint, an Praxitelis (7) opus ſit, & illud ſimulacrum, quod Plinius (8) in hortis Servilianis extitiſſe narrat. Noſtrum vero nullo modo illi Farneſiano præſtantia, & excellentia cedit, ne illud in veſtis quidem plicaturæ elegantia ſuperius evadit. Nec mirum, nam in villa Hadriani Tyburtina inventum fuit, in qua omnia hujus artis miracula congeſſerat Hadrianus. Capilli ejus nec nimia negligentia, nec nimio artificio collecti florea corona ornantur. Notandum manicas ultra conſuetudinem laxiores eſſe. Manu florum, & roſarum manipulum tenet, ut ejuſdem Floræ ſtatua apud DD. de Cavaleriis (9), dextra vero florum coronam præfert, & brachia habet armillis circumdata, velut Leda illa, de qua ſuperius diximus, quæ Venetiis adſervatur.

AMA-

(1) Grut. Inſcript. tom. 1. pag. 120. Murat. Inſcript. tom. 1. pag. 342.
(2) Murat. Inſcript. tom. 1. pag. 92. num. 6.
(3) Reines Inſcript. claſſ. 1. pag. 233.
(4) Martial. libr. 5. epigr. 23.
(5) Vitruv. libr. 1. cap. 2.
(6) S. Auguſt. De C. D. libr. 2. cap. 26.
(7) Maff. *Racc. di Stat.* tab. 51.
(8) Plin. Hiſtor. nat. libr. 36. cap. 5.
(9) Maff. ibid. tab. 133.

AMAZON

TABULA XLVI.

DE Amazonibus pauca dicam, plura dicturus dum anaglyphum marmor enarrabo, quod in noſtro extat Muſeo, ac earum pugnam repræſentat. Quod regnum ex ſolis feminis, quæ Amazones dicerentur, quondam fuerit, diſcimus ex Hippocrate (1), Platone (2), Iſocrate (3), Plinio (4), aliiſque Scriptoribus, quos brevitatis cauſſa omitto, quoſque recenſet Petrus Petitus in ſua de iis mulieribus diſſertatione. Strabo (5) vero id pernegat his verbis: Τίς γὰρ ἂν πιςεύσειεν, ὡς γυναικῶν ςρατὸς, ἢ πόλις, ἢ ἔθνος συςαίη ἄν ποτε χωρὶς ἀνδρῶν; καὶ οὐ μόνον γε συςαίη, ἀλλὰ καὶ ἐφόδους ποιήσαι, ἐπὶ τὴν ἀλλοτρίαν, καὶ κρατήσειεν οὐ τῶν ἐγγὺς μόνον, ὥςε καὶ μεχρὶ τῆς νῦν Ἰωνίας προελθεῖν, ἀλλὰ καὶ διαπόντιον ςεῖλαι ςρατιὰν μεχρὶ τῆς Ἀττικῆς; τοῦτο γὰρ ὅμοιον, ὡς ἂν εἴ τις λέγοι τοὺς μὲν ἄνδρας γυναῖκας γινομένους τοὺς τότε, τὰς δὲ γυναῖκας ἄνδρας. *Quis enim crediderit mulierum exercitum, aut civitatem, aut gentem conſtare abſque viris poſſe? ac non conſtare modo, ſed expeditiones etiam feciſſe in aliorum ditionem, ac non viciniam modo ſubegiſſe, & uſque ad eam, quæ nunc eſt Jonia, progreſſum, ſed & trans mare ad Atticam uſque copias emiſiſſe? Perinde enim hoc eſt, ac ſi quis diceret, viros ea tempeſtate mulieres, mulieres viros fuiſſe.* In eamdem ferme ſententiam ivit Palæphatus (6), qui hanc fabulæ cauſam fuiſſe putat, quod nonnulli homines molles ad Thermodontis ripas habitaſſe dicantur, longa veſte utentes, & adducentes ſuper caput capillos in nodum collectos, & barbam radentes, ut ab inimicis mulieres appellati fuerint. Verum quum tot ſint, qui Amazones fuiſſe adfirmant, veluti omnes, qui Pompeii res geſtas ſcripſerunt, aliquid veri in hac fabula ſubeſſe dicendum eſt.

Amazones dictas fuiſſe creditur, quod dextra mamilla carerent, quam nonnulli dicunt (7) illis, adhuc tenellis, exuſtam fuiſſe, ut liberius arcum tendere, & tela jacere poſſent. Verum multi ex antiquis Scriptoribus in hanc etymologiam inſurgunt, ac aliam proferunt. Philoſtratus (8) enim ait, eas ſic dictas fuiſſe, quod non ex materno lacte, ſed ex caballino, ut de Camilla dicit Virgilius (9), altæ fuiſſent. En ejus verba: Τὸ μὲν δὲ ὄνομα ταῖς Ἀμαζόσιν, ἐκ τοῦ μὴ μαζῷ τρέφεσθαι κεῖσθαι ἡγώμεθα. Τρέφουσι δὲ τὰ βρέφη γάλακτί τε φορβάδων ἵππων καὶ δρόσου κηρίοις, ἣ μέλιτος δίκην ἐπὶ τοὺς δόνακας τῶν ποταμῶν ἱζάνει. *Nomen igitur* (Amazonibus) *ex eo quod mammis* (μάζοις) *non alantur, inditum eſſe putandum.*

Alunt

(1) Hippocr. De aere libr. 3. cap. 10. edit. Carter.
(2) Plato De legib. libr. 7. p. 806. edit. Serran.
(3) Iſocr. Panathen. p. 651. edit. Baſil. 1587. & Paneg. p. 127.
(4) Plin. Hiſtor. nat. lib. 6. cap. 7.
(5) Strabo lib. xi. pag. 505.
(6) Palaeph. in cap. De Amazon.
(7) Strab. ibid. Hippocr. ibid. Juſt. Hiſtor. libr. 2.
(8) Philoſtr. Heroic. cap. 19. p. 750.
(9) Virgil. Æneid. libr. xi. v. 570.

Alunt autem infantes tum equino lacte, tum roris favis, qui mellis forma fluviorum calamis inſidet. Aliam hujus nominis originem adducit Iſidorus dicens (1): *Amazones dictæ ſunt, ſeu quod aduſtis dexterioribus mammis eſſent, ne ſagittarum jactus impediretur, ſeu quod ſimul viverent ſine viris, quaſi* ἅμα ζῶσαι. Alii vero (2) ita appellatas putant, quod a quodam paſtæ genere, Græco nomine μάζα dictæ, abſtinerent.

Prætermiſsa hujus nominis inveſtigatione, nullo modo crediderim a dexteræ mamillæ aduſtione dictas fuiſse, quum in antiquis monumentis cum ambabus mamillis conſpiciantur. Virgilius (3) de Pentheſilea loquens, de ea hoc tantum dicit:

Ducit Amazonidum lunatis agmina peltis
Pentheſilea furens, mediiſque in millibus ardet,
Aurea ſubnectens exertæ cingula mammæ.

Servius hic notat, exertam nil aliud ſibi velle quam nudatam, & ſic nudatam præferunt antiqua monumenta. Alii vero novam commenti ſunt interpretationem dicentes, illis non exciſam mamillam, ſed ne excreſceret impeditam. Ita Arianus (4), & Galenus (5), qui herba cotide, aliiſque medicamentis id fieri poſse autumat.

Verum quum & Homerus, & Virgilius de his mulieribus multa ſcripſerint, mirum non eſt, ſi & in ſtatuis, & in gemmis multoties fuerint expreſſæ, & præcipue in gemmis, quæ in muſeo Florentino exhibentur. In noſtro tres adſunt ſtatuæ præſtanti artificio ſculptæ, & illud, quod diximus anaglyphum marmor mira arte terebratum, in quo earum pugna exprimitur. In hoc ſimulacro capilli ſunt eleganter compoſiti, mulier vero, vultu mœſta, dextrum brachium tollit, ac vulnus detegit ſub mamilla acceptum, & ſiniſtra veſtem illi appropinquat.

Similis omnino videtur ſtatuæ, quam exculpſit Cteſilaus, a Plinio (6) memoratæ. Succincta eſt, & fortaſſe altius ſuccincta quam Diana, & ceteræ venatrices; præterea autem omnino nuda. In nummo (7) Caracallæ Amazon corona regia inſignitur, & in nummis Smyrnæis (8) turrita apparet, & in lucerna apud Licetum (9) galeata. Amazones clypeo armantur peculiari forma, quem peltam appellant, & dextra bipennem (10) ſtringunt, cum qua pugnare ſolebant. In aliis nummis aliquando Victoriæ (11) ſigillum, vel Dianæ (12) Epheſiæ templum ab eis extructum, aut oleæ ramuſculum tenent. Poſt humeros arcum, & pharetram, ſagittaſque geſtant, ut videre eſt in alia noſtri Muſei ſtatua, quam non damus, & in ſuperius memorato anaglypho ſarcographo. Sæpe equitare conſpiciuntur, nam primum ex equo pugnaſſe credebantur; ſæpe etiam pedites, & calceatas. Cip-

(1) Iſidor. Orig. libr. 9. cap. 7.
(2) Vid. Petit. De Amazon. cap. 14. p. 85. & 86.
(3) Virg. Æn. libr. 1. v. 494.
(4) Arrian. De expedit. Alex. libr. 7. p. 291. edit. 1704.
(5) Galen. De remed. facil. parab. libr. 2. cap. 5. 9. 15. & 67.
(6) Plin. Hiſtor. lib. 34. cap. 8.
(7) Patin. Numm. Caracallæ.
(8) Seguin. Numm. Smyrn.
(9) Licet De lucern. libr. 6. cap. 55.
(10) Muſ. Florent. tom. 2. tab. 33. n. 2.
(11) Petit. ibid. cap. 31. p. 253.
(12) Idem ib. cap. 31. pag. 238.

Cippo, cui inhæret hæc noſtra Amazon, hæ inſculptæ ſunt Græcæ litteræ CωCIKΛI, ſub quibus eſt ſigla hujuſmodi O. Si credendum ſit, ut par mihi videtur, nec a veritate prorſus alienum, hanc inſcriptionem antiquitus fuiſſe cælatam, forte ſuſpicandum eſſet, nomen Soſiclis artificis referre, aut ipſiuſmet Amazonis. At in antiquis monumentis numquam hujus ſculptoris mentionem factam reperi, ſed tantum Soſoclis, qui Meduſæ (1) caput in onychine cælavit, quæ gemma jam proſtabat apud Eminentiſſimum Othobonium.

Verum multoties unicum etiam, ſed excellens opus, nominis famam artifici comparat, ut Hercules Farneſianus Glyconi, gladiator villæ Burgheſianæ Agaſiæ: vas a Sponio (2) relatum Salpioni, quamvis ab auctoribus ſilentio præteritis; ita huic, quicumque ille ſit, Soſicli hæc ſola ſtatua famam parere poſſet perennem. An autem Amazonis nomen hac ſigla deſignetur, anceps admodum pendeo, quum nullam ex illis ita appellatam fuiſſe compererim, vel ex Homero, Virgilio, Apollodoro (3), Q. Smyrnæo (4), Palæphato (5), vel ex aliis Scriptoribus, qui de ipſis tractarunt.

In hac rerum ambiguitate hoc potius auctoris, quam Amazonis nomen putaverim. Antiquam eſſe inſcriptionem vel ex hoc argui poteſt, quod ſi quis eam ſupponere voluiſſet, nomen noti artificis, & admodum celebris delegiſſet, idemque facere poterat, ſi nomen Amazonis nobis obtrudere vellet. Quod ad ſiglam ſpectat, eam nec in nummis Græcis, nec alibi unquam repperi, quare addi poſſet eruditiſſimo operi, quod de Siglis Græcis conſcripſit doctiſſimus plane P. Odoardus Corſinius, non meis tantum, ſed omnibus laudibus major.

ALEXAN-

(1) Stoſch. Gemm. cum artific. nomine tab. 65.
(2) Spon. Miſcell. ſect. 2. art. 1.
(3) Apollod. Biblioth. l. 2. p. 96. edit. Amſtel. 1665.
(4) Q. Smyrn. libr. 1.
(5) Palæphat. De incredib. cap. 33

ALEXANDER MAGNUS

TABULA XLVII.

HÆC magni Alexandri ſtatua, plurimi facienda ob præſtantiam artificii, altitudinem non excedit palmorum quinque. Multa habent de corporis, & faciei ſpecie, & lineamentis hujus Regis Scriptores veteres, quæ omnino conveniunt cum hoc ſimulacro. Ælianus (1) hæc de eo ait: Ἀλέξανδρον τὸν Φιλίππου ἀπραγμόνως ὡραῖον λέγουσι γενέσθαι ... Ὑπαναφύεσθαι δέ τι ἐκ τοῦ εἴδους φοβερὸν τῷ Ἀλεξάνδρῳ λέγουσιν. *Alexandrum Philippi filium ſine cura formoſum fuiſſe perhibent &c. Ferunt vero etiam formidabile quiddam ex facie Alexandri ſuboriri viſum*; quod Solinus (2) confirmat his verbis: *Erat forma ſupra hominem auguſtiore, reliquis corporis lineamentis non ſine majeſtate quadam decorus*. Latos, grandeſque habet oculos, quod Plutarchi (3) verbis reſpondet: Δεινὸς ὀφθεὶς ἐγγύθεν: *terribilis ex propinquo aſpectus*. Idem Solinus (4) de ejus oculis ait: *Erat lætis oculis, & illuſtribus*; ni fortaſſe legendum ſit *latis*, ut magis cum Plutarcho conveniat.

In hac ſtatua Alexander comam præfert collectam nec nimio artificio, nec nimia negligentia. Iidem Ælianus (5), & Plutarchus (6) narrant hunc Regem ita conſueſſe capillos comere, ut mos erat heroum, qui capillis comendis non multum ſtudebant. Ideo Seneca (7) de Hippolyto ait:

Te frons hirta decet, te brevior coma,
Nulla lege jacens;

& Statius (8) Thetim inducit, quæ ut filium ad molliorem vitam adduceret,

.... *Tunc colla rigentia mollit,*
Submittitque graves humeros, & fortia laxat
Brachia, & impexos certo domat ordine crines.

Quamvis Alexander comam negligeret, attamen, ut filius Jovis Ammonis haberetur, cornua capiti aptabat retorta, ut Athenæus (9) dicit ſcriptum eſſe ab Ephippo: Ἔφιππος δέ φησιν, ὡς Ἀλέξανδρος, καὶ τὰς ἱερὰς ἐσθῆτας ἐφόρει ἐν τοῖς δείπνοις ὅτε μὲν τὴν τοῦ Ἄμμωνος πορφυρίδα, καὶ περισχιδεῖς καὶ κέρατα, καθάπερ ὁ θεός. *Ephippus ſcribit, Alexandrum ſacras etiam veſtes in conviviis geſtaſſe, nunc quidem Ammonis purpuream per ambitum diviſam, & cornua tamquam Deum*. Elegantiſſima ornatur galea, cui aliquando additæ ſunt alæ, ut in gemma apud Begerum (10). Quibus armis corpus inſtrue-

P

(1) Aelian. Var. hiſt. libr. 12. cap. 14.
(2) Solin. Polyhiſt. cap. 9.
(3) Plutarch. in Vita Alexandr. pag. 49.
(4) Solin. ibid.
(5) Aelian. ibid.
(6) Plutarch. in vita Pompeii in princ.
(7) Senec. in Hippolyt. v. 801.
(8) Stat. Achill libr. 1. v. 326.
(9) Athen. libr. 12 cap. 9. p. 537.
(10) Beger. Theſ. Brand. tom. 1. p. 50.

inſtrueret, ita narrat idem Plutarchus (1): Τὸ χράνος περιέθετο· τὸν δὲ ἄλλον ὁπλισμὸν εὐθὺς ἀπὸ σκηνῆς εἶχεν, ἐπένδυμα τῶν Σικελικῶν ζωστόν. ἐπὶ δὲ τούτῳ θώρακα διπλοῦν λινοῦν ἐκ τῶν ληφθέντων ἐν Ἰσσῷ. Τὸ τε κράνος ἦν μὲν σιδηροῦν, ἔστιλβε δὲ ὥσπερ ἄργυρος καθαρός, ἔργον Θεοφίλου· συνήρμοστο δὲ αὐτῷ περιτραχήλιον ὁμοίως σιδηροῦν, λιθοκόλλητον. μάχαιραν δὲ θαυμαστὴν βαφῇ καὶ κουφότητι... Ἐπιπόρπαμα δὲ ἐφόρει τῇ μὲν ἐργασίᾳ σοβαρώτερον ἢ κατὰ τὸν ἄλλον ὁπλισμόν. *Reliquum munimentum corporis jam in tabernaculo induerat: amiculum Siculi operis cinctum, ſuper eum thoracem lineum duplicem ex præda Iſſenſi. Galea erat ferrea, quæ tamen inſtar argenti refulgebat, Theophili opus. Jam collare habebat ex ferro item compactum, quod gemmis erat diſtinctum: gladium mira tinctura, & levitate &c. Balteum geſtabat opere ſuperbiore, quam pro reliquæ ratione armaturæ*. Elata dextra ſceptrum tenet. Thorax ejus eleganter ſculptus, cujus fimbriæ larvis, & arietis capitibus ornantur, & in medio pectore duos gryphos, & prope collum Meduſæ faciem ſumma arte exculptam præfert. Pauſanias (2) ſcribit, hunc thoracem, dum per Arcadiam iter faceret, una cum haſta, ut votum Æſculapio ſolveret, in ejus templo appendiſſe. Chlamyde veſtitur corpori apte circumpoſita. Ejus cothurni ex tigridis pelle videntur compacti. Innumera ſunt antiqua monumenta, quæ Alexandrum exprimunt, tanta erat hujus Regis celebritas. Dum vixit ejus imaginem noluit paſſim a quocunque artifice effingi, ut his verbis narrat Apulejus (3): *Cum primis Alexandri illud præclarum, quod imaginem ſuam, quo certior poſteris proderetur, noluit a multis artificibus vulgo contaminari; ſed edixit univerſo Orbi ſuo, ne quis effigiem Regis temere aſſimilaret ære, colore, cælamine, quin ſolus eam Polycletus ære duceret, ſolus Apelles coloribus delinearet, ſolus Pyrgoteles cælamine excuderet*; quamvis Cicero (4), Horatius (5), Plutarchus (6), & Valerius Maximus (7) pro Polycleto Lyſippum habeant. Et quidem Lyſippus tempore Alexandri vixit: Polycletus vero centum poſt annos. Hoc amplius Plinius (8) ait, Lyſippi ſtatuam hujus Regis juſſu Neronis deauratam fuiſſe: & ab eodem artifice in templo Apollinis Delphii venationem ejus excuſam, in qua vera ipſius, & amicorum ſuorum effigies expreſſa erat. Dein vero erga hunc heroem creverat veneratio; quare paſſim ejus effigies viſebatur. Scimus Euphanorem ipſum cum patre Philippo in quadriga ſculpſiſſe, & in templo Dianæ Epheſiæ (9) auream ejus ſtatuam fulmen tenentem collocatam eſſe. Pauſanias (10) narrat in Elea ſe illius ſtatuam equeſtrem vidiſſe, & aliam Corinthi cum Jovis ornatu (11). Philoxemus Heretrius pugnam cum Dario (12) pinxit, & Hetion tabulam, in

(1) Plutarch. in vita Alexandr. p. 48. edit. Londin.
(2) Pauſan. libr. 8. cap. 28. p. 658.
(3) Apul. Florid. VII. edit. Voverianae p. 565.
(4) Cic. Epiſt. ad famil. libr. 5. ep. 12.
(5) Horat. Epiſt. lib. 2. epiſt. 1. v. 240.
(6) Plutarch. in Vit. Alexandr. in princ.
(7) Val. Maxim. libr. 8. cap. xi.
(8) Plin. Hiſtor. libr. 34. cap. 8.
(9) Idem Hiſtor. libr. 35. cap. 10.
(10) Pauſan. libr. 6. cap. xi. p. 477.
(11) Idem libr. 5. cap. 25. p. 442.
(12) Plin. Hiſtor. libr. 35. cap. 10.

in qua ejus expreſſerat nuptias cum Roſſane (1). Romani, qui militiæ impenſius ſtudebant, multum honoris tribuerunt Alexandri virtuti, quare plurimæ ejus imagines Romæ proſtabant. Maxime omnium illum honore affecit Alexander Severus, de quo hæc habet Lampridius (2): *Alexandri habitu nummos plurimos figuravit, & quidem electreos aliquantos, ſed plurimos tamen aureos*: & Trebellius Pollio (3) de familia Macria loquens dicit: *Alexandrum M. Macedonem viri in annulis, & argento: mulieres reticulis, & dextrocheriis, & in annulis, & in omni ornamentorum genere exſculptum ſemper habuerunt; eo uſque, ut tunicæ, & limbi, & penulæ matronales in familia ejus hodieque ſint, quæ Alexandri effigiem deliciis variantibus monſtrent. Vidimus proxime Cornelium Macrum in eadem familia virum, quum cœnam in templo Herculis daret, pateram electrinam, quæ in medio vultum Alexandri haberet, & in circuitu omnem hiſtoriam contineret, ſignis brevibus, & minutulis pontifici propinare, quam quidem circumferri ad omnes tanti illius viri cupidiſſimos juſſit. Quod idcirco poſui, quia dicuntur juvari in omni actu ſuo, qui Alexandrum expreſſum vel auro geſtitant, vel argento*. Quam ſuperſtitioſam opinionem memorat Chryſoſtomus affirmans (4), Antiquos ſolitos fuiſſe circa caput, & pedes Alexandri Magni æreos nummos adligare quum illud contra omnem morbum efficaciſſimum exiſtimarent amuletum: Τὶ ἄν τις εἴποι περὶ τῶν ἐπῳδαῖς καὶ περιάπτοις κεχρημένων, καὶ νομίσματα χαλκᾶ Ἀλεξάνδρου τοῦ Μακεδόνος ταῖς κεφαλαῖς καὶ τοῖς ποσὶ περιδεσμούντων: *Quid vero diceret aliquis de iis, qui carminibus, & ligaturis utuntur, & de circumligantibus aurea Alexandri Macedonis numiſmata capiti, vel pedibus?*

P 2 PYRRHUS

(1) Lucian. in Herodot. num. 4.
(2) Lamprid. in Alexandr. Sever.
(3) Trebell. Pollio. in Quieto num. 12.
(4) S. Joh. Chryſoſt. tom. 2. p. 243. edit. P. Montf.

PYRRHUS

TABULA XLVIII.

IN magno ſemper habita fuit pretio ſtatua hujus Regis ab eruditis viris, & bonarum artium cultoribus. Jam hinc a duobus ſeculis ære inciſa fuit, ejuſque graphis reperitur in celebri bibliothecæ Corſiniæ graphidum collectione, ſub qua ita ſcriptum eſt: *Pyrrhi Moloſſorum Regis Imperatorum ſui temporis fortiſſimi, & rei militaris expertiſſimi ducis ſimulacrum, quod Romæ in porticu domus Maximi archiepiſcopi Amalphitanorum ſita eſt. Antonius Salamone æneis typis ſuis delineavit, & publicæ ſtudiorum utilitati anno* 1562. *in lucem emiſit.* In collectione etiam ſtatuarum Romanarum, quam Schaichius (1) adornavit, hæc itidem reperitur. Tempore Aldrovandi (2) exſtabat apud Angelum Maximium prope Campum Floræ, eodem ſcilicet loco, quo eam eſſe narrat idem Antonius Salamone. De ea hæc habet Aldrovandus: *In capo del cortile di queſta caſa ſi vede ſopra una baſe poſta una ſtatua antica intera di Pirro re degli Epiroti. Sta armata di corazza, e di elmetto all' antica. Tiene ſopra uno ſcudo appoggiata la man ſiniſtra, & ha come un mantelletto pendente dietro, e avvolto in amendue le braccia. E' belliſſima ſtatua, e fu poco tempo fa comprata da queſto gentiluomo per ſcudi* 2000. Quæ autem hic dicit Aldrovandus quod ad hujus ſtatuæ integritatem, non omnino vera ſunt; etenim & brachia, & crura recenter refecta extant. Quum Pyrrhus in magnam apud homines celebritatem deveniſſet, plurima illi ſimulacra, & memoriæ poſitæ ſunt. Hoc ſibi promeruit non ſolum ob virtutem militarem, ſed etiam ob prudentiam, & doctrinam, cujus teſtes ſunt ejus apophtegmata, quæ Plutarchus (3) collegit, & liber, quem de acie inſtruenda conſcripſit, & magnificum encomium, quod de eo nobis tranſmiſit Juſtinus (4). Ejus etiam ad mitiora ſtudia propenſio erui poteſt ex annulo, quo utebatur, ubi novem Muſæ, & Apollo non cælatæ ab arte, ſed a Natura miro modo expreſſæ erant (5). Hinc Athenienſes (6) ſtatuam illi poſuere, aliamque in Elea (7) ipſimet dedicavit Traſibulus, & aliam excudit Egia præſtantiſſimus artifex (8). Argivi, ubi crematum fuit illius corpus, trophæum erexerunt, in quo elephas exculptus videbatur (9), quod primus hoc animal in aciem contra Romanos protulerit. Sculptor, qui hanc ſtatuam excudit, in ejus vultus lineamentis mire expreſſit illam corporis vim, quam prætulit adhuc juvenis in venationibus

(1) Scaich. *Raccolt. ſtat.* num. 76.
(2) Aldrov. *Statue* pag. 168.
(3) Plutarch. Apophth. in Pyrrho, & vita ejuſdem pag. 441.
(4) Juſtin. Hiſtor. libr. 25. in fine.
(5) Plin. Hiſtor. libr. 37. cap. 1.
(6) Pauſ. libr. 1. cap. xi. p. 26.
(7) Idem libr. 6. cap. 14. p. 487.
(8) Plin. ibid. libr. 34. cap. 8.
(9) Pauſ. libr. 2. cap. 21. p. 158.

tionibus Ptolomæi Regis Ægypti (1). In ejus galea cælati ſunt duo equi alis inſtructi, & ſphingis effigies. Thorace indutus eſt, ut Alexander Magnus, quem in antecedenti tabula vidimus. In nummo apud Begerum (2), cujus epigraphe ΠΥΡΡΟΥ ΒΑϹΙΛΕΩϹ, conſpicitur Victoriæ ſignum cum trophæo, & corona, & in inferiori parte fulmen. In ædibus Farneſianis præſtantiſſima proſtat protome hujus Regis, quæ noſtræ ſtatuæ omnino reſpondet, in utriuſque enim & truci vultu, & capite ferociter converſo apparet, quod conſonat cum his Plutarchi verbis (3): Ἦν δὲ ὁ Πύῤῥος τῇ μὲν ἰδέᾳ τοῦ προσώπου φοβερώτερον ἔχων, ἢ σεμνότερος τὸ βασιλικόν. *Prætulit Pyrrhus vultu truciore quam auguſtiore majeſtatem regiam.*

Hinc Pyrrhus in Siciliæ expeditione, quum Erycem aggrederetur: προσιδεῖν δεινὸς ἐφάνη τοῖς πολεμίοις, *hoſtibus terribilis aſpectu viſus eſt;* teſte eodem Plutarcho (4). Et cum Zopyrus Antigoni miles enſem evaginaſſet, ut ei ſemimortuo caput abſcinderet, ita torve Zopyrum aſpectavit, ut pavore ille correptus ac tremens non valuerit ſtatim opus perficere, (5): Σπασαμένου δὲ τοῦ Ζωπύρου μάχαιραν Ἰλλυρικὴν ὡς τὴν κεφαλὴν ἀποτεμοῦντος ἐνέβλεψε δεινὸν, ὥστε τὸν Ζώπυρον περίφοβον γενόμενον, καὶ τὰ μὲν τρέμοντα ταῖς χερσὶ, τὰ δ᾽ ἐπιχειροῦντα, θορύβου δὲ καὶ ταραχῆς μεστὸν ὄντα, μὴ κατ᾽ ὀρθὸν, ἀλλὰ παρὰ τὸ στόμα καὶ τὸ γένειον ἀποτέμνοντα βραδέως καὶ μόλις ἀποσπάσαι τὴν κεφαλήν: *Zopyrum vero, qui gladium Illyricum ad caput ſuum decidendum ſtrinxerat, ita intuitus eſt torve, ut ille expaveſcens, partim tremulis manibus, partim moliendo, terroriſque, & ſtuporis plenus non directo, ſed ſecundum os, & mentum detruncaret, ac vix longo ſpatio demeret caput.* Hanc eamdem ſtatuam delineare curavit Sponius (6), ſed admodum negligenter, & penitus diverſam in vultu, & in tæniis, quæ a thorace pendent, nam in marmoreis tæniis alternatim ſculpta apparent duo elephantorum capita, quorum duodeviginti in Italiam adduxit. Splendidis, & conſpicuis inſtructus eſt armis, ut illi mos erat, teſte Plutarcho (7): Αὐτόθεν τε περίοπτος ὢν ὅπλων κάλλει καὶ λαμπρότητι κεκοσμημένων περιττῶς: *Jam ſtatim armis conſpicuus inſigniter decoris, & ſplendidis.*

Quare in quodam prælio timens ne ex his armis illum Regem eſse appareret, ac inimicorum milites omnes in ſe converteret, arma cum Megacle commutavit, qui hac ipſa de cauſa occiſus eſt (8). Idem Sponius (9) profert gemmam, in qua ejus effigies cælata erat, quam etiam affert Fulvius Urſinius (10), quam duxit ex clypeo argenteo, cujuſdam muſei, quem quum non præcipue indicaſset, hæc imago dubiæ fidei eſt. Ex Pauſania (11) tamen intelligimus Athenis ſtatuam hujus Regis poſitam fuiſſe, & ubi ſepultus fuerat (12) templum ædificatum. PTOLE-

(1) Plutarch. in Vita Pyrrhi tom. 2. pag. 436. edit. Londin.
(2) Beger. Theſ. Brand. tom. 1. p. 246.
(3) Plutarch. in Vita Pyrrhi p. 435.
(4) Idem ibid. pag. 464.
(5) Idem ibid. pag. 482.
(6) Sponius Miſcell. pag. 138.
(7) Plutarch. in vita Pyrrhi pag. 454.
(8) Idem ibid. pag. 455.
(9) Spon. Miſcell. pag. 139.
(10) Fulv. Urſ. Imag. VV. Ill. num. 123.
(11) Pauſ. libr. 1. cap. 11. pag. 26.
(12) Idem libr. 1. cap. 13. pag. 33.

PTOLEMAEUS
TABULA XLIX.

VUlgo creditur, hanc ſtatuam Ptolemæum repræſentare, & ita appellatur in quodam hujus Muſei indice erudito, ac diligenti. Sed quum plurimi hujus nominis reges extiterint, variis cognominibus ab auctoribus denotantur. Hic noſter videtur Ptolemæi Philometoris frater minor, qui per contemptum Phyſcon appellabatur. Hoc eruitur ex nummo maximi moduli familiæ Lolliæ, in quo hujus Ptolemæi caput cuſum apparet; nam Lucius Lollius illum in ſuum regnum reduxit: & etiam ex nummo, quem protulit Vaillantus (1) in hiſtoria Ptolemæorum, & ex alio quoque apud Liebeum (2) in Gota nummaria. At Andreas Morellius (3) putat in nummo Lolliano regem Deiotarum expreſſum eſſe. Verum (4) Havercampus ex ingenio hoc fuiſſe a Morellio confictum autumat, & primum cum Vaillanto convenire videtur dicens: *Quare quidem conjectura ſpeciem veri habere videtur &c. Sed caput regium non ſatis accedere mihi videtur ad faciem regis Ptolemæi VII. Evergetis II., qui jocularitér Phyſcon dictus fuit. Nummi Aegyptii regem illum facie obeſa, & ætate ſenili exhibent; at hi Lolliani regem ætate non tam provecta exhibent.* Et profecto in hiſtoria Ptolemæorum vultus hujus Phyſconis apparet, qualis hic deſcribitur, obeſus & ſenex. Quare poſtea procedendo Havercampus ab hac opinione recedit, ac ſuam ita exponit: *Si ad Ptolemæos (quod vix puto) referendus eſſet nummus, de Ptolemæo Apione mallem intelligere, & ſic pars adverſa, quæ caduceum ſpicam inter & papaver erectum exhibet, deſignare poſſet pacem, & concordiam cum Populo Romano, atque inter fratres Ptolemæos, Aegypti, & Cyrenarum reges, ex qua ubertas frugum, & rerum omnium abundantia ſperandæ erant, quæ duo papaveris, & ariſtæ ſymbola ſignificantur.* Et ſane non ſolum faciei lineamenta, ſed etiam comæ concinnatio & cincinnorum ordo, qui circum caput, & vultum dependent, ſimiles omnino ſunt iis, qui apparent in hujus Apionis imaginibus, una quarum conſpici poteſt in gemma, quæ penes me exiſtit, cujus graphis in fine hujus enarrationis appoſita eſt, & in alia apud Begerum (5), quæ pro diademate coronam ſpicarum geſtat. Non inficior, Begerum (6) hærere ancipitem, utrum Phyſconis an Apionis ejus filii caput ſit, quod primus fuerit *vultu deformis, & ſagina ventris non homini, ſed belluæ ſimilis* ut ait Juſtinus (7), & Poſſidonius apud Athe-

(1) Vaillant. Hiſtor. Ptolem. pag. 105.
(2) Lieb. Got. Numm. cap. 4. §. 24. & cap. 12. §. 7.
(3) Morell. Theſaur. tom. 2. p. 251.
(4) Havercamp. ad Theſaur. Morell. De famil. Loll.
(5) Beger. Theſ. Brand. tom. 3. pag. 34.
(6) Idem ibid. tom. 1. pag. 263.
(7) Juſtin. Hiſtor. libr. 39. cap. 4.

Athenæum (1). Verum quomodocumque ſe res habeat, nummus Begeri profecto Ptolemæum refert, quum in averſa parte, ubi aquila cuſa eſt, ſcriptum ſit: ΠΤΟΛΕΜΑΙΟΥ ΒΑΣΙΛΕΩΣ, quare non intelligo cur Havercampus dicat: *Si ad Ptolemæos (quod vix puto) referendus eſſet nummus*, Lollianus ſcilicet. Fulvius Urſinius (2) quoque gemmæ graphidem habet cum capite noſtræ ſtatuæ ſimili, capillis cincinnatis & diadematis honore decoro, & cum ſyliphi flore in ſumma fronte, creditque imaginem eſſe Apionis Cyreneorum Regis, quorum hæc planta ſymbolum erat. Id etiam confirmari poſſet vel ex hoc, quod Romæ, ut in hac tabula apparet, poſita illi fuerit ſtatua, quæ indicium præbet, Populum Romanum adverſus hunc Regem grati animi ſignificationem oſtendiſſe, quod eum hæredem inſtituerit, ut ait Julius Obſequens (3): *Ptolemæus Rex Aegypti Cyrenſis mortuus S. P. Q. Romanum hæredem reliquit.* Ubi apparet nomen Ptolemæi, quod in nummo Begeri legitur, non alienum ab eo eſſe, quum Rex Ægypti dicatur. Et ſane conſueverant Ægyptii, teſte Luciano (4), coma uti cincinnata, ut apparet in hac ſtatua, & in gemmæ graphide, quæ hic ſubiicitur; in qua etiam advertendum adeſſe lauri ramuſculum, qui etiam adeſt in nummo Domitiani apud Angelonium (5), & in alio apud Begerum (6), & in Theſauro Britannico (7); quod fortaſſe deſignat illum foviſſe poëtas, & inter ipſos certamen inſtituiſſe, ut ex multis antiquariis, qui de ipſo ſcripſerunt, intelligimus: vel quod novus Apollo haberi voluerit, quemadmodum alii Reges ſeſe efferebant veluti novi Hercules, & novi Joves: vel quod Apollini templum ædificaſſet: vel tandem quod ſeculares ludos Apollini dicatos celebraſſet. Hoc autem Ægyptiis non abſonum videbatur, quod eorum Reges Dii haberentur, quod didicerant ab Æthiopibus teſtante Diodoro Siculo (8): Τό τε γὰρ τοὺς βασιλεῖς θεοὺς νομίζειν, Αἰθιόπων ὑπάρχειν ἐπιτηδεύματα. *Quod enim Reges pro Diis habeant &c. id e diſciplina Æthiopum traductum eſſe.* Inter gemmas quoque, quos magno ſtudio collegit Maffejus (9), adeſt hujus Regis imago. Sed de hujus Regis imagine alibi tractavimus (10).

TOLOMEO APIONE



Presso Mons.r Gio. Bottari — *Filip. Morghen f.*

MARIUS

(1) Athen. libr. 12. cap. 12. pag. 551.
(2) Ful. Urſin. Imagg. VV. CCl. num. 121.
(3) Jul. Obſeq. cap. 109.
(4) Lucian. tom. 3. in Navig. ſ. 3.
(5) Angelon. *Medagl.* num. 4.
(6) Beger. ibid. tom. 1. pag. 107.
(7) Theſ. Brit. part. 1. pag. 23.
(8) Diodor. Sicul. libr. 3. pag. 101. marg.
(9) Maff. Gemm. part. 1. num. 94.
(10) Muſ. Capitolin. tom. 1. num. 83.

M A R I U S

TABULA L.

SUB ipſo vitæ hujus imperatoris Romanorum initio certiores nos facit Plutarchus (1), ſe vidiſſe Ravennæ marmoream Marii ſtatuam πάνυ τῇ λεγομένῃ περὶ τὸ ἦθος στρυφνότητι καὶ πικρίᾳ πρέπουσαν, *quæ mire morum ejus acerbitatem, & amarulentiam refert*. Nam ille ſummopere iracundus, & ferox fuit: quare idem auctor ſenectutem ejus appellat ἀγριέυπατον γῆρας ferocem, & ruſticam; ac alibi memorat (2) ἀγροικὸν τοῦ προσώπου ejus vultus ruſticitatem, & σκυθρωπὸν αὐτοῦ, & morem difficilem. In hac ſtatua macer apparet, ſed idem Plutarchus (3) narrat, quod quamvis prope ſenectutem in armis pertractandis, & in equos inſiliendo promptum, & expeditum ſe conſervaſſet, attamen εἰς σάρκα περιβληθῆ καὶ βαρεῖαν ἐνδεδωκώς *obeſus evaſerat, & corpulentus*, quo tempore ſexageſimum quintum annum agebat; & pariter circa finem vitæ, quum a Geminio fugeret, & ad mare ſeſe recepiſſet ſperans ſuper navem onerariam evadere, quæ a littore aliquantulum diſtabat, ſuper ſervorum humeros ſe efferri juſſit; iis autem multum laboris opus fuit, ut ait ipſemet hiſtoricus, quod gravis corpore foret (4), & difficilis attrectatu. Quare ſi hoc ſimulacrum non admodum pinguem eum repræſentat, ex eo fit, quod illum nondum ſenem præferat, quamvis multos ob labores, & quod duram egerit vitam, & incommodam non tam vegetus appareat, quam ſi vixiſſet inter tranquillæ vitæ commoditatem. Hujus protome proſtat etiam in ædibus Barberinis (5), & in hortis Ludoviſiis, præter gemmam, quæ conſpici poteſt apud Fulvium Urſinium (6).

Multis ab hinc annis hæc ſtatua in Capitolio ſtetit, ſed minime credendum eſt, ibi poſitam fuiſſe ætate ipſiuſmet Marii, nam ſolum hoc legitur in Appiano (7), & in Valerio Maximo (8) de ſtatua Scipionis majoris, quæ ibi in cella Jovis collocata fuit, ex qua educebatur in Corneliorum funere. Quamvis, ut teſtatur ipſe Plutarchus, Cæſar imagines quidem Marii faciendas curaverit, tamen in Capitolio clanculum noctu eas collocavit; verum an hæc una ex illis fuerit, neſcimus. En Plutarchi verba (9): Εἰκόνας ἐποιήσατο Μαρίου κρύφα καὶ νίκας τροπαιοφόρους ἃς φέρων νυκτὸς εἰς τὸ Καπιτώλιον ἀνέστησεν. ἅμα δὲ ἡμέρα τοὺς θεασαμένους μαρμαίροντα πάντα χρυσῷ καὶ τέχνῃ κατεσκευασμένα περιττῶς θάμβος ἔχεν τῆς τόλμης τοῦ ἀναθέντος.

Clam

(1) Plutarch. in Mario tom. 2. pag. 485. edit. Lond.
(2) Ibid. pag. 499.
(3) Ibid. pag. 525.
(4) Plutarch. ibid. pag. 529.
(5) Muſ. Florent. tom. 3. num. 82.
(6) Ful. Urſ. Imag. num. 88.
(7) Appian. De bello Hiſpan.
(8) Valer. Maxim. libr. 8. cap. 15.
(9) Plutarch. in Cæſ. tom. 4. pag. 105.

Clam Marii imagines, & victorias triumphales fecit, quas nocte portatas poſuit in Capitolio. Prima luce omnia auro ſplendentia, & mira arte fabrefacta ſpectantes &c. pavor inceſſit omnes audaciæ ejus, qui poſuerat. Ipſiuſmet Marii aliud ſimulacrum extat in villa Negronia, quod Ficoronius (1) memorat, ſed hæret an vere Marii ſit in libro, cui titulus: *Veſtigia di Roma*, ſcribens: *Nel portico ſono le due ſtatue ſedenti veſtite alla Conſolare con anelli nelle dita, che vengon credute di Mario, e Silla.*

Verumtamen, niſi præjudicata opinio me fallit, ex noſtri ſimulacri facie, vultuſque lineamentis imaginem illam C. Marii mihi videre videor, quam in ſua hiſtoria his verbis pinxit Paterculus (2): *C. Marius natus equeſtri loco, hirtus, atque horridus, vitaque ſanctus, quantum bello optimus, tantum pace peſſimus: immodicus gloriæ, inſtabilis, impotens, ſemperque inquietus.* In eo præterea conſpicitur invictus ille animus, qui in oris ſeveritate elucet, & quem ſatis luculenter oſtendit, dum ab Jugurta, & Boccho, qui exercitus ſuos conjunxerant, & improviſo impetu in eum incurrerunt ſub nocte, teſte Salluſtio, qui ita ſcribit (3): *Neque in eo, tamque aſpero negotio Marius territus, aut magis, quam antea demiſſo animo fuit; ſed cum turma ſua, quam ex fortiſſimis paraverat, vagari paſſim, ac modo laborantibus ſuis ſuccurrere: modo hoſtis, ubi confertiſſimi obſtiterant, invadere: manu conſulere militibus, quoniam imperitare conturbatis omnibus non poterat.*

Q AUGUSTUS

(1) Ficor. *Veſtig. Rom.* part. 2. num. 67.
(2) Vell. Patercul. libr. 2.
(3) Salluſt. Bell. Iugurth. pag. 144. edit. ad uſum Delph.

AUGUSTUS SEDENS

TABULA LI.

HUic noſtræ ſimilis, quod ad ſitum, & habitum, ſervatur alia ſtatua in ædibus Juſtinianeis(1), quæ vulgo pro Marcello ſeniore habetur; uti eam habuit Maffejus (2), qui, quæ de ea enarrat, optime huic noſtræ aptari poſſunt; dicit enim: *L' opera è fatta da Romano artefice; ed ha così bell' aria di teſta, accompagnata da dolce, e maeſtoſa gravità, e da decoroſo, e nobile portamento di tutto il corpo, che eſprime la vera idea d' uno di quelli eroi, per il valore, e prudenza de' quali tant' oltre crebbe di gloria, e di potenza la Romana Repubblica*. Profecto quum ad hanc ſtatuam animum attente advertimus, in mentem venit, quod Livius (3) ſcribit veniſſe Gallis, quum Romam, ut eam diriperent, ingreſſi ſunt: *Intuebantur SEDENTES VIROS præter ornatum habitumque humano auguſtiorem, majeſtate etiam, quam vultus, gravitaſque oris præſeferebat, ſimillimos Diis*. Ipſemet Maffejus (4) alibi loquens de Pallade ſedente, quæ in iiſdem ædibus ſervatur, ait, hunc ſtatum fuiſse *contraſſegno di dignità data ordinariamente agli altri Dei, ma che venne preciſamente attribuita a Pallade*. Quod an verum ſit, hæreo, nam eodem plane modo veteres artifices & Palladem, & alios Deos indiſcriminatim ſtantes, & ſedentes excuderunt. In Mediceo muſeo (5) duo proſtant Apollinis, & duo Veneris ſimulacra, & alterum Bacchi ſedentia. In hoc noſtro duæ Cereres ſunt, quamvis nullam hic proferamus, quæ ambæ ſedent: id ædibus Juſtinianeis (6) Hygia, quæ naturalem excedit magnitudinem, & alibi plurimi Joves itidem ſedentes. Præter numinum multæ etiam ſtatuæ virorum illuſtrium ſuperſunt hoc ſtatu. In muſeo Florentino (7), & in ædibus Altempſianis conſpici poteſt Paris, qui ſedet velut judex, & tres in iiſdem Juſtinianeis ædibus (8) ſtatuæ huic noſtræ ſimiles, quarum una eſt, quam Marcello tribui diximus, altera dextrorſum nuda, tertia vero cum volumine evoluto in manu ambæ incognitæ: in ædibus (9) Marchionis Spadæ ſimulacrum Senecæ: & duorum comicorum in villa Matthæiorum: & in villa Pinciana philoſophi forte Cynici, quod vulgo Belliſarius creditur.

Noſter Auguſtus calceos habet, qui totos veſtiunt pedes. In muſeo Mediceo Florentiæ(10), & Romæ, ut ex Maffeiana ſtatuarum Sylloge(11) apparet,

(1) Muſ. Juſtinian. tom 1. num. 113.
(2) Maff. *Racc. Stat.* num. 88.
(3) Liv. libr. 5. cap. 41.
(4) Maff. ibid. num. 84.
(5) Muſ. Florent. tom. 3. tab. XI. & XII. & tab. XXXII. & XXXIII. & tab. XLIX.
(6) Muſ. Juſtinian. tom. 1. num. 112. & 113.
(7) Muſ. Florent. tom. 3. tab. 72.
(8) Muſ. Juſtinian. tom. 1. num. 111. 112. & 113. Vide etiam Maff. *Raccolt. ſtat.* num. 88.
(9) Maff. ibid. num. 128.
(10) Muſ. Florent. tom. 3. tab. 83. 84. 85. 86. 87. & 91.
(11) Maff. ibid. num. 16.

ret, multæ ſunt ſtatuæ ita calceatæ, de qua calceorum forma videndus eſt Balduinus. Hi autem, quum totos operirent pedes, extra domum tantum in uſu erant: domi vero, iis utebantur Antiqui, quos *ſoleas* appellabant; ideo Servius ait (1): *Neque CALCEOS, neque SOLEAS non licebat habere*. Suppedaneum, ut aiunt Latini, Græce θράνιον, illi appoſitum eſt, quod ſellæ hæret, quale erat illud, quod Pauſanias (2) refert ſub pedibus poſitum Heræ, & Cereris; hoc autem ſcabellum ad dignitatis oſtenſionem appoſitum fuiſse demonſtrat multa, & præſtanti eruditione, ut aſſolet, Senator Bonarrothius (3), & nos ipſi alibi de hoc plura congeſſimus (4).

Hujus ſtatuæ vultus omnino ſimilis eſt Octaviano Auguſto, qui civili & pacifico habitu ſculptus eſt ad indicandos fortaſse multos ejus magiſtratus, & conſulatus, de quibus Svetonius ſcripſit (5): *Magiſtratus, atque honores, & ante tempus, & quoſdam novi generis, perpetuoſque cœpit. Conſulatum vigeſimo ætatis anno invaſit*. Et poſtquam duodecimum fuiſſe conſulem narraſſet, ſubdit: *Rurſus tertiumdecimum biennio poſt ultro petiit, ut Cajum & Lucium filios ampliſſimo præditus magiſtratu ſuo quemque tyrocinio deduceret in forum*. Et quemadmodum alia monumenta, quæ ipſum repræſentant, militaria ejus facinora memoriæ poſteritati commendant, veluti illa ſtatua (6), ubi roſtrum navis conſpicitur, quæ in alia Capitolii parte collocata eſt, ita hæc ſtatua togati hominis virtutes conmoſtrat, quæ utraque Horatius his carminibus comprehendit (7):

Quum tot ſuſtineas, ac tanta negotia ſolus:
Res Italas armis tuteris, moribus ornes,
Legibus emendes;

vel actu jura dat, nam ipſe Svetonius inquit (8): *Is jus dixit aſſidue, & in noctem nonnunquam; ſi parum corpore valeret lectica pro tribunali collocata*: vel fert novas leges, quum Tacitus ſcribat (9): *Sexto demum conſulatu Cæſar Auguſtus, potentiæ ſecurus, quæ triumviratu juſſerat, abolevit, deditque jura, queis pace, & principe uteremur*. Tales ſunt leges ſumptuaria, de adulteriis, & de pudicitia, de ambitu, de maritandis ordinibus &c.

Apparet etiam in nummis ſedens, & inter ceteros apud Angelonium (10), ubi Bellorius in ſuis additamentis ad enarrationes ejuſdem Angelonii, ait, ita repræſentatum fuiſſe ad illius deſignandam apotheoſin, quod an antiquariis arrideat dubito, & hac de cauſa ſubdit a Senatu & ab equeſtri ordine ſtatuam illi hoc ſtatu poſitam fuiſſe.

Q 2 IDEM

(1) Serv. ad Aen. libr. 4. v. 518.
(2) Pauſ. libr. 8. cap. 37. pag. 675.
(3) Bonarr. Numiſm. pag. 115.
(4) Rom. Subterr. tom. 1. pag. 172. & tom. 3. pag. 41. 64. & 141.
(5) Sveton. in Auguſt. cap. 26.
(6) Maff. *Raccolt. Stat.* num.
(7) Horat. Epiſt. libr. 2. epiſt. 1.
(8) Sveton. ibid. cap. 33.
(9) Tacit. Annal. libr. 3. cap. 28.
(10) Angelon. pag. 21. num. 33.

IDEM AUGUSTUS

TABULA LII.

ADEO nota eſt effigies Auguſti, ut alibi diximus, ut nullo negotio hanc ſtatuam ipſum exprimere intelligatur. Ejus potentia, ac virtus effecit, ut inter heroas ejus ſtatuæ locarentur, quare in Junonis (1) templo prope Mycenen, cum nonnullorum heroum ſtatuis etiam Auguſti ſtatua viſebatur, quod inſcriptio illi appoſita indicabat; at Pauſanias (2) Oreſti erectam fuiſſe, ut vulgo ferebatur, ſcribit. Aliam hujus Imperatoris ſtatuam ex electro in foro Trajani poſitam idem memorat. Quid ſibi vellet Pauſanias hoc verbo τοῦ λέκτρου notum eſt ex iis quæ ſubdit: Τὸ ἤλεκτρον τοῦτο, οὗ τῷ Αὐγούστῳ πεποίηνται τὴν εἰκόνα, ὅσον μὲν αὐτόματον ἐν τοῦ Ἠριδανοῦ ταῖς ψάμμοις εὑρίσκεται σπανίζεται τὰ μάλιστα, καὶ ἀνθρώπῳ τίμιον πολλῶν ἐστὶν ἕνεκα, τὸ δὲ ἄλλο ἤλεκτρον ἀναμεμιγμένος ἐστὶν ἀργύρῳ χρυσός. *Electrum quidem, ex qua materia ſtatuam Auguſto fecerunt, in Padi fluminis arenis rarum omnino repertu eſt: id qui nacti fuerint non temere magni æſtimant. Eſt alioqui electrum aliud nihil quam argento permiſtum in metallis aurum.* De hujus materiei compoſitione loquitur etiam Plinius (3) dicens: *Ubicumque quinta argenti portio eſt, ELECTRUM vocatur.* At nunc mutata eſt hujus nominis ſignificatio, immo uſque a tempore Euſtathii (4) mutata erat, ſcribit enim ad Dionyſium Periegetem: Ἤλεκτρος δὲ νῦν οὐχὶ τὸ ἐκ χρυσοῦ καὶ ἀργύρου κρᾶμα, λίθος δέ τις χρυσειδής, ἐξ οὗ καὶ λαβαὶ μαχαίραις γίνονται, ἀχύρων ἐφελκυστικαὶ, ὡς ἡ μαγνῆτις σιδήρου. *Electrum nunc mixtura minime eſt auri, & argenti; ſed genus quoddam lapidis auricoloris, ex quo cultrorum etiam ſeu gladiorum manubria conficiuntur, quæ quidem manubria vim habeant attrahendarum palearum, ut magnes trahit ferrum.*

Sed quod ſpectat ad noſtram e Pario marmore ſculptam ſtatuam, ita nudam factam eſſe arbitror, ut inter heroas, deoſque hic Imperator adſcriberetur, nam numinis ſpeciem præſerebat apud miſeros Romanos miſere vexatos a Syllæ, & Marii tyrannide, & a bellis civilibus Cæſaris & Triumvirorum. Et quidem Auguſti dominatio tranquilla, & moderationis, & juſtitiæ plena fuit. Notum eſt autem deos, & heroas expreſſos eſſe nudos, quaſi ab humanis qualitatibus ſegregatos, quare Plinius (5) de Apelle loquutus ait: *Pinxit & HEROA NUDUM.* Quamobrem in noſtro muſeo aſpicimus hujuſmodi ſtatuas vel omnino, vel ferme nudas. Maffejus (6) etiam animadvertit Antinoi ſimulacrum ſemper nudum inveniri, ut eum inter heroas adnumerandum eſſe oſten-

(1) Pauſ. libr. 2. cap. 17. pag. 148.
(2) Pauſ. libr. 5. cap. 12. pag. 406.
(3) Plin. Hiſtor. libr. 33. cap. 4.
(4) Euſtath. in Dionyſ. Perieg. ad v. 288.
(5) Plin. ibid. libr. 35. cap. 10.
(6) Maff. *Raccolt. Stat.* num. 3.

oſtenderetur ad Hadrianum aſſentandum, ſubditque ſe potius credere, ita eum ſculptum eſſe, ut pro numine haberetur, quod fortaſſe etiam aptari poteſt huic Imperatori, qui etiam in ſtatua equeſtri, quæ in ædibus Farneſianis proſtat, nudus apparet. Ita dicendum eſt de ſtatua Getæ, quam memorat Aldrovandus (1), necnon Septimii Severi ærea in ædibus Barberinis, & Lucii Veri marmorea in hortis Matthæiorum, quæ omnes nudæ ſunt. Idem tamen Maffejus (2) aliter loquutus eſt de nudo L. Veri ſimulacro, ſcribit enim: *Credo con più veriſimilitudine, che lo ſcultore così lo figuraſſe o per adulare al genio di lui, o per fare apparire nel ſuo ritratto non meno le qualità del corpo, che quelle dell' animo &c. E può eſſere, che nella nudità del corpo l' artefice aveſſe intenzione di dinotare piuttoſto che il portamento eroico, con apparente titolo d' onore la ſua sfrenata laſcivia*. Nihil ſatagam de mente ſculptoris indaganda, qui alioquin caviſſet a ſuſpicione etiam valde remota, ſe ita L. Verum ſculpſiſſe, ut ejus ſatyrice impudicos mores morderet, quos Marco Aurelio Imperatori illius ſocero abſcondere ſtudebat: at non intelligo quænam Lucii voluntas, & cupiditas eſſe poſſet, cui aſſentatus ſit ſculptor, aut quas vel corporis, vel animi qualitates exprimere intendiſſet. Nam omnes ſciunt veteres artifices præter effigiei lineamenta, quæ ad archetypi formam accommodabant, reliquas corporis partes ſecundum artis regulas, & perfectiores corporis humani formas expreſſiſſe. Nec ex ſimulacrorum nuditate impudicitiæ argumentum deſumi poterat, quoniam ad eam ſpectatorum oculi aſſueti erant, quum Romæ eſſent innumeræ hujuſmodi ſtatuæ, quæ numerum civium vel æquabant, vel etiam ſuperabant: præter commune quotidianorum balneorum uſum, in civitate præſertim, quæ quingentas accolarum myriadas continebat. Quapropter in marmorea, vel ærea ſimulacra nuda obtutum minime figebant, quare ex nuditate L. Veri ejus fœda luxuria nullo modo argui poterat, præterquamquod tot hominum honeſtorum, & pudicorum ſtatuæ nudæ ſuperſint. Hinc eſt quod hæc ſimulacrorum nuditas ad hoc ſolum referenda ſit, ut eum, qui ſic ſculptus erat, inter heroas, aut inter Deos annumeratum eſſe indicaret. Et profecto Plutarchus (3) de Alexandro Magno ait: Τοῖς ἥρωσιν ἔσπεισεν συναναδραμὼν γυμνός, ὥσπερ ἔθος ἐστίν. Aliud jamdiu extat in Capitolio hujus Imperatoris ſignum cataphractum, quod videre eſt apud Maffejum (4), at prius erat in domo Ruffinorum teſte Aldrovando (5).

Noſtrum vero dextra globum tenet, Mundi ſymbolum, ut notum eſt; quare cum hic globus e manu ſtatuæ Maximiani poſitæ ante regiam Antiochiæ decidiſſet, & quum idem ſibi accidiſſe ſomniaſſet Conſtantius, eorum mortem præſagire reputatum eſt, ut ſcribit nobilis hiſtoricus Marcellinus (6). Hinc etiam in manu illum habet Pro-

bus in

(1) Aldrov. *Statue* pag. 170.
(2) Maff. ibid. num. 106.
(3) Plutarch. in Vit. Alex. tom. 4. pag. 22.
(4) Maff. ibid. num. 16.
(5) Aldrov. ibid. pag. 180.
(6) Amm. Marcell. libr. 21. cap. 14. & libr. 25. c. 10.

bus in tribus nummis maximi moduli apud Bonarrothium (1), atque in aliis nummis, quos memorat Strada (2), & Dufreſnius (3). In Muſeo Carpineo caput Auguſti cælatum eſt in chalcedonio ſapphirino in globum conformato, quam gemmam quanti vis pretii delineavit Carolus Maratta, ejuſque graphidem ære incidi curavit idem Bonarrothius. Pro globo aliquando tympanum appoſitum Imperatoribus cernitur, quod idem deſignat, ut S. Auguſtinus (4) auctoritate Varronis fretus affirmat inquiens: *Eamdem* (Cybelem) *dicunt matrem magnam, quod TYMPANUM habeat, ſignificari eſſe ORBEM TERRAE*; & hoc ex præjudicio, quod toti terræ rotundæ Romani Imperatores imperarent; quamobrem pro Romano Imperio globum exprimebant, ut apparet ex duobus nummis maximi moduli Imperatoris Commodi, in quibus Jupiter globum Imperatori porrigit. Hoc idem adſtruunt Iſidorus, & Baſilius Seleuciæ epiſcopus. In nummis itidem Auguſti ſtat Victoria ad denotandas, quas in toto Orbe ipſe reportaverat, ut præſertim videre eſt in nummo Tarraconenſi, qui primus ita cuſum eſt. Nec prætereundam duco ejuſdem Auguſti imaginem in gemma arte, ſed magis magnitudine ingentis pretii, in achate ſcilicet verſicolori cælatam, quæ penes Marchionem de Abrantes extabat, cujus graphidem in lucem protulit Franciſcus Ficoronius (5), in qua Auguſtus conſpicitur capite laureato, & veluti ſacrificans operto, una cum Marcello galeato.

AGRIP-

(1) Bonarr. Numiſm. Carpin. tab. 26. n. 4. 5. & 6.
(2) Strad. num. 243.
(3) Du-Freſne De num. inferioris ævi ſ. 33.
(4) S. Auguſt. De C. D. libr. 7. cap. 24.
(5) Ficoron. *Veſtig. di Roma* part. 1. pag. 145.

AGRIPPINA GERMANCI

TABULA LIII.

IN hoc inſigni marmoreo ſimulacro, quod omnino integrum uſque adhuc ſuperſuit, licet nobis agnoſcere Germanici uxorem, & matrem Caligulæ: ſiquidem illius imago probe congruit cum effigie, nobis jam nota, hujus feminæ eximiis virtutibus perſpectæ, impreſſa in numiſmatibus Imperatorum, & in iis præſertim, quæ Rubenius (1) publici juris fecit, & Bieus ſumma diligentia incidit: nec non in nummo celebris muſei Piſani (2), in quo etiam accuratius repræſentatur. Ipſa in ſella commodiſſime, ſed cum majeſtate, ac gravitate ſedet, quomodo decebat matronam Romanam, Auguſti temporibus florentem, & filiam Marci Agrippæ, atque uxorem Germanici, matremque Caligulæ, qui quamvis fuerit crudelitatis monſtrum, ac vitiorum omnium ſentina, tamen quartus poſt Cæſarem ad Romanum Imperium aſſumptus eſt. Hujus feminæ ingenium laudari ab Auguſto meruit, qui eandem Germanico in matrimonium dedit, cujus viri virtus atque magnanimitas, ceteræque animi dotes in cauſa fuerunt, quamobrem Liviæ ſuſpicio, atque Tiberii odium illam inſequuta ſunt; cujus rei apertiſſimum indicium apud Cornelium Tacitum (3) habemus, qui hanc ejuſdem odii adfert rationem: *Nam juveni civile ingenium, mira comitas, & diverſa a Tiberii ſermone, vultu, adrogantibus, & obſcuris.*

Verum Germanico Epidaphni apud Antiochiam vita functo, ut refert idem Tacitus (4), Agrippina, quæ ipſum ſemper in bello ſequuta fuerat, illius cineres Romam tranſtulit (5). Sed paulo poſt (6) vehementer efflagitante Tiberio relegata fuit in inſulam Pandatariam contra Terracinam, ubi vitæ finem implevit. Verum Caligula Imperator creatus, ad oſtendendam humanitatem, ſibique benevolentiam conciliandam: *Confeſtim Pandatariam, & Pontias ad transferendos matris, fratriſque cineres feſtinavit, tempeſtate turbida, quo magis pietas emineret: adiitque venerabundus, ac perſemet in urnas condidit. Nec minore ſcena Oſtiam, præfixo in biremis puppe vexillo, & inde Romam Tiberi ſubvectos, per ſplendidiſſimum quemque equeſtris ordinis, medio ac frequenti die duobus ferculis mauſoleo intulit; inferiaſque his annua religione publice inſtituit: & eo amplius matri circenſes, carpentumque, quo in pompa traduceretur.* Paulo longiorem hunc Svetonii (7) retuli locum, ut intelligamus, quanto ſtudio ſive vero, ſive ficto Caligula curaverit, ut mater honoribus & per ſe & per alios afficeretur, uſque adeo, ut in illius memoriam circenſes

(1) Ruben. Numiſm. tab. 15.
(2) Muſ. Piſan. tab. 5.
(3) Tacit. Annal. libr. 1. cap. 33.
(4) Idem ibid. libr. 2. cap. 72. Dio libr. 58. pag. 635.
(5) Idem libr. 3. cap. 1.
(6) Idem ibid. libr. 6. cap. 25.
(7) *Sveton.* in Calig. cap. 15.

cenſes ludos inſtituerit, eidemque carpenti privilegium conceſſerit, in quo, teſte Macrobio (1), deorum ſimulacra ferebantur. Quare mirum non erit, ſi plurima ſigna ei erecta reperiantur, quo in numero noſtrum eſt, nec non illud pariter ſedens, atque huic ſimillimum in hortis Farneſianis in Palatino, aliudque Florentiæ in muſeo Mediceo, de quo vir clariſſ. Gorius (2) erudite de more diſſerit, & præterea in muſeis multo plures hermæ conſpiciantur hujus feminæ, vel in primis, quod ipſa ſibi Populi Romani benevolentiam atque exiſtimationem conciliaverat. Ex his una ſummo artificio ſculpta penes erat Abbatem Petrum Andreinium nob. Florentinum rariorum antiquitatum poſſeſſorem, & peritiſſimum, quam tamen ipſe morti proximus dono dedit Sereniſſimo Magno Duci Johanni Gaſtoni, eademque modo viſitur in memorato Mediceo muſeo. Atque eo majore honore affecta eſt, quod nemo auſus fuiſſet ſe conſcium oſtendere Caligulæ ſimulationis, ne iram ſubiret crudeliſſimi Imperatoris quum nihil ſit, quod magis incitet furorem hominum ſuperborum, qui honeſti videri volunt, quam eorum ſimulationes detegere. Et quidem concedam, Caligulam ſimulaſſe, ſed non ita facile adducor, ut credam ipſum inveniſſe cineres, atque oſſa illorum, qui miſere Tiberii juſſu occiſi fuerant, & quorum reliquias, ut fieri a Romanis ſolebat, teſte Dione (3) incorruptæ fidei ſcriptore, ita tumulandas mandavit, ut inveniri nunquam potuerint. Hæc illud de Tiberio ſcribit: Ἐπὶ μὲν οὖν τούτοις αἰσχύνην ὠφλίσκανεν, ἐπὶ δὲ τῷ τε τοῦ Δρούσου καὶ τῆς Ἀγριππίνης θανάτῳ, ὠμότητα... ὡς καὶ ἐκείνους πεφονεῦσθαι ἔμαθον, ὑπερήλγησαν· διὰ δὲ τοῦτο, καὶ ὅτι καὶ τὰ ὀστᾶ αὐτῶν οὐ μόνον οὐκ ἐς τὸ βασιλικὸν μνημεῖον κατέθετο, ἀλλὰ καὶ κρυφθῆναί που κατὰ γῆς ἐκέλευσεν, ὥστε μηδέποτε εὑρεθῆναι. *Ob hujuſmodi flagitia turpitudinis incuſabatur: at ob Druſum, & Agrippinam necatos, crudelitatis &c. poſtquam de eorum quoque cæde reſciverunt, quodque non modo in monumento regis condi eorum reliquias prohibuiſſet, ſed occultari etiam in terram defoſſas juſſiſſet, ne unquam inveniri poſſent, ſummo dolore icti fuerunt.* Fieri etiam poteſt, ut rabidam ejuſmodi invidiam Tiberii adverſus Germanicum magna ex parte auxerint eximii honores, quos Populus Romanus virtuti Agrippinæ tribuit, inter quos jure meritoque ille numerandus eſt, quod tot, & tanta eidem dicaverint ſimulacra. Videſis illa, quæ ſcribit idem Tacitus (4), ubi narrat Germanicum animo, & corde defletum fuiſſe: *Aberat quippe adulatio, gnaris omnibus lætam Tiberio Germanici mortem male diſſimulari.* Poſt hæc ſubdit: *Nihil tamen Tiberium magis penetravit, quam ſtudia hominum accenſa in Agrippinam, quum decus patriæ, ſolum Auguſti ſanguinem, unicum antiquitatis ſpecimen appellarent.* Et re quidem vera, vultus in iis ſtatuis, quas ſupra memoravimus, ſi attente inſpiciatur, neſcio quid virilitatis exhibet, nulla ex parte effeminatus.

JULIA

(1) Macrob. Saturn. libr. 1. cap. 21.
(2) Muſ. Florent. tom. 3. num. 89.
(3) Dio. Caſſ. Hiſtor. libr. 58. pag. 635.
(4) Tacit. Annal. libr. 3. in princ.

JULIA TITI

TABULA LIV.

HOC ſimulacrum, ſi ad ejus capitis ſpectes ornatum, repræſentare videtur Juliam filiam optimi Imperatoris Titi, quam ipſe in matrimonium dedit Sabino filio Flavii Sabini fratris Veſpaſiani, quapropter Julia, ac illius vir erant inter ſe patrueles (1). Hanc ab ejus patre ſibi oblatam Domitianus recuſavit, ne a Domitia propria uxore diſcederet, cujus mox pertæſus ipſam repudiavit; & occiſo Sabino publice Juliam ſibi uxorem adſcivit. Quanquam de ſervata pudicitia non bene audierit, tamen dum adhuc vitam degeret, Auguſtæ nomine decorata fuit, & etiam poſt obitum locum habuit inter deas; qua de cauſa mirandum non erit, ſi illius ſtatua dimidia ex parte, ad formam dearum, nuda conſpiciatur. Dixi ſi comæ concinnitas ſpectetur, quum ipſa accurate reſpondeat ornatui hujus Auguſtæ, quam exhibuimus in tom. II. noſtri Muſei.

At non deſunt, qui vultus lineamenta ſpectantes, hoc ſimulacrum exprimere arbitrentur imaginem Marcianæ ſororis Trajani, quam Plinius laudibus ad cœlum tulit, quæque etiam inſignita fuit titulo Auguſtæ & divæ, quemadmodum colligere eſt ex hujuſmodi inſcriptione apud Velſerum (2):

M A T I Diae
D I V A E. M A T I diae
a V G. F I L. D I vae
M A R C I A N A e. aug
ne P T I. D I V I. tra
ia N I. A B N E pti,
D I V A E. S A B inae.
hadr. aug. SOrori.

Idipſum deducitur ex aliis marmoribus, & numiſmatis. Et licet Plinius Junior (3) teſtetur, ipſam, & Plotinam uxorem ejuſdem Trajani adeo illuſtre Auguſtæ nomen recuſaſſe, attamen de virtutibus, quibus ipſa ornabatur, quibuſque promeruit hos honores, necnon poſt mortem apotheoſin, præclarum dedit teſtimonium in ſuo panegyrico, ita alloquens Trajanum: *Soror autem tua, ut ſe ſororem eſſe meminit? ut in illa tua ſimplicitas, tua veritas, tuus candor cognoſcitur? &c. Inde moderatio, inde etiam perpetua ſecuritas.* Et hinc ſubdit: *Obtulerat illis Senatus cognomen Auguſtarum, quod certatim deprecatæ ſunt.* Et hanc recuſationem ipſe in potioris honoris loco ponit. De reliquo etiam capillorum concinnitas Marcianæ (4) protomæ reſpondet. De hac plura qui velit, adeat memoratum volumen noſtri Muſei.

(1) Sveton. in Tito c. 10. 12. & 22. Dio. l. 67. c. 760.
(2) Velſer. Monum. Aug. pag. 388.
(3) Plin. Panegyr. cap. 34.
(4) Muſ. Capit. tom. 2. num. 31. & 32.

HADRIANUS

TABULA LV.

SUNT quidem notiſſimæ Hadriani imagines, adeo ut revocari in dubium minime poſſit, quin ipſi hoc ſimulacrum poſitum ſit, licet capite opertum (1). Neque hoc adverſatur iis, quæ in ejus vita leguntur, ſcilicet quod *frigora & tempeſtates ita patienter tulit, ut nunquam caput tegeret*. Et alibi (2): *Peragratis ſane omnibus partibus capite nudo, & in ſummis plerumque imbribus, atque frigoribus, in morbum incidit lectualem*. Etenim animadvertendum eſt, eundem hic in ipſo rei divinæ faciendæ tempore repræſentari, quam dum peragerent Romani, exceptis ſacrificiis Saturni, atque Honoris, caput obnubebant, ut teſtatur luculenter Plutarchus (3). Neque mirabitur quiſquam, ſi ille in hujuſmodi actu expreſſus conſpiciatur, quia, ut apud Spartianum (4) ſcriptum legimus: *Sacra Romana diligentiſſime curavit &c. Pontificis Maximi officium peregit*; & apud Pauſaniam (5): Τῆς ἐς τὸ θεῖον τιμῆς ἐπιπλεῖστον ἐλθόντος. Summopere enim res divinas verebatur; vel ſecundum Amaſei verſionem: *Deos unus omnium religioſiſſime coluit*. Itidem Aurelius Victor (6) idipſum ferme confirmat, de eodem Imperatore hæc ſcribens: *Pace ad Orientem compoſita, Romam regreditur: ibi Græcorum more, ſeu Pompilii Numæ cæremonias, leges, gymnaſia, doctoreſque curare occepit*. Novimus etiam, illi ſacrificanti Nigrinum conjurationem machinatum fuiſſe (7): *Nigrini inſidias, quas ille ſacrificanti Hadriano, conſcio ſibi Luſio, & multis aliis, paraverat, quum eum etiam ſucceſſorem ſibimet Hadrianus deſtinaviſſet &c.* Neque abs re eſſet, hoc marmore exprimi iſtiuſmodi ſacrificium adeo memorandum propter periculum, in quod venerat Hadrianus, & ex quo feliciter evaſit. Alia quoque de cauſa cenſendum eſt, ipſum ſe immiſcuiſſe ſacrificiis, quum Tertullianus (8) eundem appellet *curioſitatum omnium exploratorem*: & aliunde innoteſcat animum illi ſuperſtitionibus deditiſſimum fuiſſe, ſeque credulum præbuiſſe ſortibus, quas ipſe ſæpe, & libenter conſulebat, uti tradit idem Spartanus (9). Eandem ſententiam confirmat Baronius (10), qui Tertulliani verba referri putat ad impiiſſimam operam, quam ex Dionis (11) teſtimonio Hadrianus dedit arti magicæ.

Cæte-

(1) Spartian. in Hadr. pag. 9. edit. Pariſ. 1620.
(2) Idem ibid. pag. x1.
(3) Plutarch. Quæſt. Rom. pag. 266.
(4) Spart. ibid.
(5) Pauſ. libr 1. cap. 5. pag. 14.
(6) Aur. Vict. in Hadrian.
(7) Spart. ibid. pag. 4.
(8) Tertull. Apolog. cap. 5.
(9) Spart. ibid.
(10) Baron. Annal. tom. 2. pag. 100.
(11) Dio. libr. 69. pag. 793.

Cæterum plurimæ ei ſtatuæ erectæ fuere, quas ſingulas enumerare immenſum eſſet. Dicam tantummodo ex iis quatuor poſitas ei fuiſſe in templo Jovis Olympii, quemadmodum ſcriptum legimus apud Pauſaniam (1), cujus quoque templi externus ambitus totus circumdatus erat illius ſtatuis, quas omnes ferme Imperii urbes ab ipſo beneficiis affectæ in grati animi argumentum eidem dedicavere.

In noſtro Muſeo una quoque viſitur prorſus nuda ea fortaſſe de cauſa, quod illi honor præſtaretur vel herois, vel divini numinis, quem quamvis a principio non obtinuerit, tandem poſtea conſequutus, ut narrat Eutropius his verbis (2): *Senatus ei tribuere noluit divinos honores, tamen quum ſucceſſor ipſius Titus Aurelius Fulvius Antoninus hoc vehementer exigeret, & univerſi ſenatores palam reſiſterent, tandem obtinuit.*

Hæc autem ſtatua, quam hic exhibemus, reperta fuit in oppido Ceperani inter fines Eccleſiaſticæ ditionis, & Neapolitani Regni.

Quid dicam de ejus protomis, quæ ubique extant, omneſque egregio ſculptæ artificio? Plurimæ conſpici poſſunt in noſtro Muſeo, & in ædibus Barberinis, Juſtinianeis, & aliorum Romanorum civium. Sed notabilior, nec omnino prætereunda eſt, quæ poſita fuit in arcis S. Angeli impluvio ſuperiore, forma quodammodo coloſſali, effoſſa, dum tempore Pontificis Maximi Alexandri VI, eadem arx foſſa ſepiretur, ut narrat Bernardus Gamuccius (3).

(1) Pauſ. libr. 1. pag. 42. & 43.
(2) Eutrop. Hiſt. Rom. libr. 8. in Hadriano.
(3) Gamucc. *Antich. di Roma* libr. 4. pag. 188.

ANTINOUS

TABULA LVI. ET LVII.

IN altero hujus Muſei (1) volumine nonnulla retuli de hoc juvene, Imperatori Hadriano ſummopere caro vel (2) ob ejus pulchritudinem, vel ut fertur, quod ſe ſponte devoviſſet ad illius vitam protrahendam. Hæc ſummis labris tantum attigi, nam ejus protomen tantum exhibui, nunc autem ejuſdem proferens ſimulacra, multa addam ad eum ſpectantia. Duo extant in noſtro Muſeo illi dicata, quorum præſtantius, & excellentiori artificio ſculptum conſpici poteſt in Tabula LVI. & valde dolendum eſt, ſiniſtro crure, ideo recenter addito, diminutum eſſe, quum cætera integrum ſit.

Minime mirandum eſt, tot huic commentitio heroi occurrere dicata ſimulacra, nam non ex merito, ſed ex aſſentatione ei poſita fuere: nec mirum omnia eſſe præſtantiſſima arte excuſa, tum quod formoſiſſimum adoleſcentem exprimere debebant, tum quod ea tempeſtate hæ liberales artes ad perfectionis apicem pervenerant, ut videre eſt in ejus admirabili ſtatua, quæ prope S. Martini ad Montes (3) effoſſa, nunc proſtat in Vaticani impluvio.

Multæ aliæ, & ferme innumeræ ab auctoribus memorantur, quamvis teſte s. Juſtino (4) neque quis, neque unde foret ſciretur; immo hoc amplius, non ut homini ſolum, vel cuidam heroi, ſed ut deo poſitæ fuerunt; etenim ut deus colebatur; quare Prudentius cecinit (5):

Quid loquar Antinoum cœleſti ſede locatum?

Hinc Pauſanias (6) quamdam ejus ſtatuam vidit ornatam Bacchi ſymbolis, eo ferme modo, quo in nummis Smyrneis conſpicitur; populi enim eum effingebant forma illius dei, quem maxime colebant. Ita Chalcedones in ſuis nummis Apollinis habitu grypho inſidentem: Ancirani dei Luni: Ægyptii dei Hori habitu repræheſentabant.

Itidem ad aliquod Ægyptiorum numen reſpicere videtur hoc noſtrum ſignum, quum juxta ſe palmæ truncum habeat, ut etiam ſignum Vaticanum, quod ſupra memoravimus; in quam ſententiam venit etiam Maffejus (7). Bithyni, qui eum ſuum putabant civem, ſub Mercurii nomine illum colebant, ut obſervavit Bonarrothius (8). Græci autem, ut ait Spartianus (9), illum conſecrarunt non jubente, ſed volente Hadriano. Attamen s. Athanaſius (10) ſcribit, hanc volunta-

(1) Muſ. Capitol. tom. 2. num. 33.
(2) Dio libr. 69. pag. 793. Aurel. Vict. de Cæſ. in Hadriano.
(3) Aldrov. *Statue &c.* pag. 116. & Andr. Fulv. *Antich. di Roma* pag. 109.
(4) S. Juſtin. Apolog. 1. ſ. 29.
(5) Prudent. Contra Symm. libr. 1. v. 271.
(6) Pauſan. libr. 8. cap. 9. pag. 617.
(7) Maff. *Raccolt. Statue* num. 23.
(8) Bonarr. Numiſm. pag. 27. & 416.
(9) Spartian. in Hadriano.
(10) S. Athanaſ. Orat. contra Gentes pag. 9. edit. PP. Maurin.

luntatem timorem incuſſiſſe, qui magis vim infert, quam præceptum: Δία φόβον τοῦ προστάξαντος σέβουσιν, *ob metum imperantis venerantur*. Quod deinde luculentius declarat his verbis: Ἐπιδημήσας γὰρ Ἀδριανὸς τῇ χώρᾳ τῶν Αἰγυπτίων, τελευτήσαντα τοῦ τῆς ἡδονῆς αὐτοῦ ὑπηρέτην Ἀντίνοον ἐκέλευσε θρησκεύεσθαι. *Quum enim, Hadriano in Aegypti regione diverſante, Antinous illius voluptatis miniſter e vita migraſſet, eum Imperator coli juſſit.* Quod confirmatur ab illo egregio Chriſtianæ religionis aſſertore Athenagora (1): Ἀντίνους, φιλανθρωπίᾳ τῶν ὑμετέρων προγόνων, πρὸς τοὺς ὑπηκόους ἔτυχε νομίζεσθαι θεός. *Antinous majorum veſtrorum humanitate conſecutus eſt, ut a ſubditis haberetur Deus*. Et ita intelligenda ſunt hæc Tertulliani verba in Apologetico (2): *Quum de pædagogis aulicis neſcio quem CINAEDUM DEUM facitis*. Hinc ethnici ſtulte eum poſt mortem in lunam translatum eſſe finxerunt, ut illis exprobrat per deriſum Tatianus (3): & in terris illi templa ædificarunt, ut innuere videtur Theophilus dicens (4): Σιγῶ τὰ Ἀντινόου τεμένη: *taceo Antinoi delubra*.

Verum, ut ad noſtram ſtatuam revertamur, hæc videtur ad cultum reſpicere, quo eum colebant Ægyptii, de quo Origenes (5) loquitur in eximio illo libro, quem contra Celſum conſcripſit, inter præcipua eccleſiaſticorum Scriptorum opera adnumerando. Ait autem, Antinoum in civitate Ægypti ab eo Antinoopoli appellata, veneratione non minus ac timore cultum fuiſſe, veluti numen impiorum vindex, qui ab quibuſdam eſcis ſecundum eorum myſteria non abſtinuiſſent, vel mortuorum cadavera attrectaſſent.

Spartianus (6) addit, eum veluti oraculum reſponſa quoque, ut ferebatur, dediſſe: *Oracula* (hæc ejus ſunt verba) *per eum data aſſerentes, quæ Hadrianus ipſe compoſuiſſe jactatur*. Et quod in Ægypto enixius coleretur, ex hoc fortaſſe factum eſſe autumo, quod dum Nilum navigaret, occubuerit, ut narrat idem hiſtoricus. Tandem ea fuit apotheoſis Antinoi fama, ut Celſus temere eam compoſuerit cum divinitate, quam religio noſtra aſſerit Servatoris noſtri Jeſu Chriſti; quamobrem Origenes (7) ejus nefaria convicia retundens, ita concludit orationem: Περὶ μὲν οὖν τοῦ Ἀντινόου εἴτε παρ' Αἰγυπτίοις, εἴτε παρ' Ἕλλησι πίστις ἀτυχής. *Eſt igitur hæc de Antinoo apud Aegyptios, & Græcos fides male fortunata.*

Quod ſi Origenes infelicem hanc Antinoi fabulam vocat, Tertullianus (8) infelicem Antinoum ipſum appellavit. A s. Ephiphanio (9) deinde docemur, eum Antinoopoli ſepultum fuiſſe: Ὡς ὁ Ἀντίνους ὁ ἐν Ἀντινόου κεκηδευμένος, καὶ σὺν λουσορίῳ πλοίῳ κείμενος ὑπὸ Ἀδριανοῦ οὕτως κατετάγη. *Ad hunc modum Antinous in urbe ſui nominis cum luſorio navigio ſepultus ab Hadriano in Deorum numerum relatus eſt.*

MARCUS

(1) Athenag. Legat. pro Chriſt. §. 30.
(2) Tertull. Apolog. libr. 2. cap. 13.
(3) Tatianus contra Gentes §. 10.
(4) Theophil. ad Autolyc. libr. 3. §. 6. Vide Havercamp. notas ad Tertull. Apolog. cap. 13.
(5) Origen. contra Celſum. libr. 3. §. 38.
(6) Spartian. in Hadrian.
(7) Origen. ibid.
(8) Tertull. De corona cap. 13.
(9) S. Epiphan. in Anc. §108.

MARCUS AURELIUS

TABULA LVIII.

PLurimum alibi diſſeruimus, quod ad M. Aurelii Imperatoris imaginem, cujus multæ extant mira arte ſculptæ protomæ in noſtro Muſeo. Hic igitur tantum tangam, quæ notatu digna putavi in thorace hujus Imperatoris, quo inſtructus apparet. At primum memorabo ejus ſtatuam, quæ in ædibus Juſtinianeis extat, ut videre eſt apud Maffejum (1), quum illa eodem modo armis inſtructa ſit, verum in ejus thorace, quemadmodum in Alexandri Magni, & Pyrrhi, necnon Julii Cæſaris apud eumdem Maffejum (2) duo gryphi conſpiciuntur; in noſtra vero duæ Victoriæ, quæ trophæum erigunt, quod innuere videtur, Marcum ſemel, aut pluries hoſtes fudiſſe; id enim Victoriæ in Julii Cæſaris, aliorumque Imperatorum nummis cuſæ, & in nummo maximi moduli Muſei Carpinei deſignant. Verum quum hic Imperator contra Armenos, Atrenos, Croënos, Arabes, & Parthos dimicaſſet, difficile dictu eſt, quam hoc trophæum victoriam commonſtret. Etenim bis nomen Pontici Marcus meruit, ut colligitur ex ejus arcu triumphali infra Capitolium erecto, quod Suareſius notavit in ejuſdem arcus enarratione Romæ edita anno 1670. quamvis Spartianus ſcribat, illum hoc nomen a principio recuſaſſe: *Recuſavit & Parthicum nomen, ne Parthos laceſſeret*. Ex quo etiam per tranſennam advertam, qualem, & quantum reſpectum ad hos barbaros ipſi Imperatores habebant. Hæ duæ Victoriæ trophæum aptant arboris trunco, ex quo Græcus ſculptor ſuæ gentis morem innuiſſe videtur, quæ vetabat, trophea ex marmore poni, ne diſſidia inter populos perennarent, ut refert Plutarchus (4). Gryphi, quos in Alexandri, & Pyrrhi thorace notavimus, firmant Bonarrothi (4) opinionem, qui putavit, in veſtibus Oriente allatis Phrygio opere peregrina depicta fuiſſe, & monſtroſa animalia. Thoraces etiam lineos fuiſſe colligitur ex Homero (5), Svetonio (6), & Plinio (7), cujus inventionem in Iphicratis tempora reiicit. Manifeſtum autem eſt hos thoraces communiter acu pictos fuiſſe; narrat enim Herdotus (8) hujuſmodi thoracem ab Amaſi miſſum Lacedæmonibus, ſuper quem multorum animalium venationes vel conteſtæ, vel Phrygio opere depictæ erant. Inſtar vero harum picturarum anaglyphi thoraces ex ære cuſi fuerunt. Quum autem Alexander, & Pyrrhus in regionibus Orientalibus regnarent, nil mirum eſt in eorum

(1) Maff. *Racc. Statue* num. 90.
(2) Idem ibid. num. 15.
(3) Plutarch. Quæſt. Rom. pag. 273.
(4) Bonarr. Num. Carp. pag. 265.
(5) Homer. Iliad. libr. 2. v. 529.
(6) Svet. in Galba cap. 19. num. 3.
(7) Plin. libr. 19. cap. 1.
(8) Herodot. libr. 2. & 3.

in eorum thoracibus animalia exotica, veluti gryphos, expreſſa fuiſſe. Verum quum Marcus Aurelius Romanus eſſet, non gryphos, ſed Victorias cum tropheo in ſuo thorace præfert. Julius autem Cæſar gryphos quidem in thorace habet, qui forte hæc arma ex Oriente attulerat, quemadmodum thorax ille, quo utebatur Caligula illinc advectus erat, ut ait Svetonius (1): *Geſtavit interdum, & Magni Alexandri thoracem repetitum e conditorio ejus*: hoc autem conditorium in Ægypto erat, & reſeratum fuit Auguſti ætate (2).

In ſummitate thoracis caput Gorgonis expreſſum eſt, ut etiam in ſtatuis Minervæ armatæ inſpicitur, & ut eam deſcribit Virgilius (3) in ſuis carminibus, ad quæ Servius addit, hoc caput prudentiam innuere, ac inſuper admonet etiam thoracibus Imperatorum apponi ſolitum: *Gorgonis caput, quod munimentum ſi in pectore numinis fuerit* (ſcilicet Minervæ) *ægis vocatur: ſi in pectore hominis, ſicut in antiquis IMPERATORUM STATUIS videmus, LORICA dicitur*. Cui non arrideret nimis fortaſſe myſtica Fulgentii (4) interpretatio, qui ait, ideo Gorgonis caput thoraci inſculptum: *Ut vir ſapiens terrorem contra adverſarios geſtet in pectora*, credere poſset illud potius amuleti genus fuiſse. Duabus autem partibus conſtabat, quarum una pectus tuebatur, quam Græci (5) γύαλα appellabant, altera dorſum, quam πρόςηγον dicebant, quæ duabus fibulis hinc inde a Gorgonis capite ſimul nectebantur.

PHILO-

(1) Svet. in Calig. cap. 52.
(2) Idem in Aug. cap. 18.
(3) Virg. Æn. libr. 8. num. 435.
(4) Fulg. Mytholog. libr. 2.
(5) Pauſ. libr. 10. cap. 26. pag. 863.

PHILOSOPHUS

TABULA LIX.

Ex pallio, quo amicitur hæc ſtatua, facili negotio coniicitur, eam Philoſophum repræſentare, nam eo utebantur, qui philoſophiæ nomen dederant. De hoc indumenti genere alibi loquuti ſumus (1). Vulgus, & homines, qui vulgariter ſapiebant, eum habebant contemtui. Tertullianus autem eum ceteris veſtibus anteponit hac de cauſa (2): *Enim vero, quum hanc veſtem primum ſapientiam vertit, quæ vaniſſimis ſuperſtitionibus renuit, tum certiſſime PALLIUM ſuperque omnes apices, ac titulos ſacerdos ſuggeſtus*. Hinc magis elucet non omnibus Græcis pallium commune fuiſſe, ut nonnulli exiſtimant, ſed ſolis philoſophis, quod τρίβων, ſeu τριβώνιον Græce appellabant, ideſt veſtem detritam.

Hic noſter, quum tunica, quæ etiam interula, vel ſubucula appellabatur, careat, Cynicum eſse crederem. Etenim Zeno, cujus ſtatuam in alio volumine retulimus, qui Cynicorum princeps, & auctor fuit, tunica caret, pallioque indutus eſt ſuper nudo. Hunc fuiſse talium philoſophorum morem colligimus ex Luciano (3), Laërtio (4), Dione (5) Chryſoſtomo, atque plurimis aliis, a quibus, utpote in re nota, recenſendis ſuperſedebo, at ſufficiat Juvenalis (6) carmen indicare:

> .... *Nec Stoica dogmata legit*
> *A Cynicis tunica diſtantia*.

Ex quo infertur alios philoſophos pallium tunicæ ſuperimponere conſueſse. Attamen nonnulli aſserunt, Cynicos tunicam induiſse lineam, qua nunc quoque in præſentia utimur. In hanc ſententiam iviſse videtur Salmaſius (7), qui eam vocat *interulam*. At ipſemet Tertullianus (8) contrarium potius affirmat, qui de Cynicis hæc habet: *Si quid INTERULAE ſubter eſt* (ut legit idem Salmaſius) *vacat zonæ tormentum*, vel ut paſſim legitur: *Si quid interula ſupereſt*; ideſt ſuper nudum eſt, Græce ἐπὶ γυμνοῦ, ut loquitur in evangelio ſuo s. Marcus (10). Hinc colligitur Tertullianum in dubium revocaſse, an philoſophi ſub pallio alia ex lino veſte amicirentur. Verum ex duabus his, quas memoravimus ſtatuis, res in claro poſita eſt, atque omnis e medio ſublata dubitatio, quam ex verbis Tertulliani (11) hauriebatur, ut magis

(1) Muſ. Capitol. tom. I. tab. ult.
(2) Tertull. De pallio cap. 4. in fine.
(3) Lucian. Dialog. Piſcat. num. XI.
(4) Laert. libr. 6. ſegm. 7.
(5) Dio. Chryſoſt. Orat. 71. in princ.
(6) Juvenal. Sat. 13. v. 221.
(7) Salmaſ. in Tertull. De pallio cap. 5. pag. 411. edit. Lugd. Bat. 1656.
(8) Tertull. ibid.
(9) S. Marc. cap. 14. v. 51.
(10) Tertull. ibid. cap. 5.
(11) Idem ibid. cap. ult. & Salmaſ. in notis p. 503.

magis patet ex his verbis, quæ recitamus (1): *Si quid INTERULAE ſupereſt, vacat zonæ tormentum: ſi quid calceatus inducitur, mundiſſimum opus eſt: aut pedes nudi magis, certe viriles magis quam in calceis.* Nec aliud ſibi vult Tertullianus, ſecundum Salmaſii explanationem, niſi Cynicos calceis uſos fuiſse inſtar eorum, quibus Fratres, quos vulgo *Cappucinos* appellamus, utuntur: vel nudis pedibus inceſſiſse, quod optime reſpondet noſtri hujus philoſophi ſtatuæ, & laudatæ Zenonis; qui etiam, ut hoc non omittamus, minus pallio operitur, quam hic philoſophus. Nam Zeno ad Cynicorum modum exerit dextrum brachium, *& humerum exponit*, ut verbis ejuſdem Tertulliani (2) utar. Sed non hoc ſemper uſuveniebat, nam pallium aliquando dextrum quoque humerum operiebat, ut videre eſt in hoc ſigno, & ut idem auctor confirmat dicens: *Humerum velans exponit*, ſeu ut probe emendavit Salmaſius (3): *Humerum vel exponit, vel includit*. Verum poſtea non probe enarrat hæc verba; ait enim Tertullianum nil aliud ſibi voluiſſe, niſi pallium aperire humerum dextrum, & tegere ſiniſtrum: quum Tertullianus ſolum dicat, philoſophos etiam Cynicos aliquando ambos humeros, aliquando ſiniſtrum tantum velaſſe, ut hæc duo ſimulacra demonſtrant; quorum præſens ambas etiam manus habet opertas. Prudentius (4) ita deſcribere videtur s. Romanum dicens:

Talia retexens explicabat pallium,
Manuſque tendebat ſub ictu.

Qua vero forma modoque cum Hebræi, tum Chriſtiani, & hinc etiam Apoſtoli pallium ſuper tunicam iniicerent, luculenter apparet ex tabulis Romæ ſubterraneæ tribus voluminibus nuper in lucem emmiſſis. Immo ex ipſis etiam oſtenditur, hoc indumenti genus commune fuiſſe & viris, & mulieribus Chriſtianis, utpote modeſtum, & a faſtu abhorrens, imo antiquitus ipſis Hebræis, & ceteris Orientalibus gentibus. Ex illis anaglyphis marmoribus etiam patet, Chriſtianorum pallium minime differre a philoſophorum pallio, quidquid in contrarium prædicet, contra Salmaſium acriter inſurgens, Antonius Cercoëtius (5), ſeu mavis Dionyſius Petavius. Quum veteres Scriptores de pallii duplicatione ſæpius memoriam fecerint, de hoc multa diſputant inter ſe Antiquarii, atque id fieri exiſtimant illum dupliciter circumvolvendo. Hinc noſter philoſophus pallium duplicaſse videtur, eo, quo nunc ſolemus, modo penula in hyeme nos circumducere; etenim pallium non multum abhorret a noſtra penula, quam vulgo *ferraiolo*, ſeu *mantello* nuncupamus. Verum quadrangulum pallium, de quo idem Tertullianus ſcribit (6): *Pallii extrinſecus habitus, & ipſe quadrangulus*, ſine ſuturis erat, veluti pannus ille holoſericus,

S quem

(1) Tertull. ibid. cap. 5.
(2) Ibid. cap. 5.
(3) Salmaſ. ibid. pag. 403.
(4) Prudent. Periſt. hymn. de s. Rom. v. 541.
(5) Ant. Cerc. Animad. adverſ. Claud. Salm. pag. 7. & ſeq.
(6) Tertull. ibid. in princ.

quem noſtræ e plebe mulieres veſtimentis ſuis ſuperimponunt, dum extra domum procedunt. Contra vero noſtra penula ferme rotunda eſt, & in inferiore parte latior, ſuperne autem in arctum conſtringitur, ut collari committatur. Sed ut noſtra penula anterius aperta eſt, ita & pallium Græcorum, quare ad frigus depellendum mos erat illud duplicare; quapropter idem auctor dicit (1): *Uno circumjectu omnia hominis ſimul contegit*. Hinc Diogeni, qui præter palli operimentum nudus omnino erat, & idcirco algore correptus tunicam expetiverat, Antiſthenes ſuggerebat, ut pallium duplicaret, teſte Laërtio (2). Qua fortaſſe de cauſa hujus duplicandi inventionem Diocles tribuit Antiſtheni, ut idem Laërtius teſtatur (3).

Quare minime intelligitur, ut hæc obiter dicam, quomodo poſtea ſtatim ſubnectat (4): Πρῶτον δὲ καὶ Νεάνθης φησὶν διπλῶσαι θοιμάτιον. *Primus quoque, ut Neanthes tradit, pallium duplicavit*; hinc eſt, quod mihi in ſuſpicionem venit, num error hic irrepſerit, quum nimis frigida appareat hæc contradictio verborum, quamvis nonnullæ aliæ in Laërtio inveniantur hujuſmodi contradictiones; verum non adeo proximæ. Sed quum poſtea Diogenem dicat (5), pallium, ut quidam volunt, primum duplicaſſe ob neceſſarium uſum, atque illo ſe in ſomno obvolviſſe, & quum jure a Cerchide Megalopolitano idem Cynicus appellatus fuerit διπλοειμάτος, crediderim per ora hominum nunc unum, nunc alium tamquam hujuſmodi moris inventorem efferri; nam & Crateti hoc inventum tributum fuit. Verum manifeſte apparet, omnes, qui pallio utebantur, & præcipue Cynicos, qui tunica carebant, illud duplicaſſe, ut videre eſt in hac ſtatua, quod etiam vel ſola Luciani (6) auctoritate firmari poteſt, & quæ Salmaſius contra diſſerit, retundere. Oblongius eſt hujus philoſophi pallium, quam Zenonis, forte ut duplicari poſſet, & hunc communiorem fuiſſe uſum videtur innuere Quintilianus his verbis (7): *Togam Veteres ad calceos uſque demittebant: ut Græci PALLIUM*.

Hic itidem philoſophus ſiniſtra frondoſam arundinem tenet, de qua multa coniici poſſent, ſed utpote incerta omittam. Satis ſit innuere Cynicorum arma fuiſſe pallium, peram, & baculum; hinc Diogenes (8) βακτροφόρας nuncupatus eſt, & Antiſthenes baculum, & peram habuit. Quare Apulejus addit (9): *Diogeni & Antiſtheni pera, & BACULUS, quod regibus diadema, quod Imperatoribus paludamentum, quod Pontificibus galerum, quod lituus auguribus &c. Diogenes &c. BACULO ſceptri vice gloriabatur*. Et quum Cynici vili, & rudi ſupellectile uterentur, forte arundinem aliquando pro baculo habebant.

VENATOR

(1) Idem ibid. cap. 5.
(2) Laert. libr. 6. ſegm. 7.
(3) Idem ibid. ſegm. 13.
(4) Idem Laert. ibid.
(5) Idem in Vita Diog. libr. 6. ſegm. 22.
(6) Lucian. tom. 3. in Cynic. in princ.
(7) Quintilian. Inſt. orat. libr. XI. cap. 2.
(8) Laert. libr. 6. ſegm. 13.
(9) Apul. in Apolog.

VENATOR

TABULA LX.

HOC Polythimi venatoris ſimulacrum propter urbis Romæ moenia repertum eſt anno 1747. non longe a porta Latina in quodam horto, cui nomen vulgo *Ferratella*. Eſt autem affabre, & mira arte ſculptum, ut nihil ſupra. Illud Benedicto XIV. P. M. ob ejus ſingularia in familiam ſuam beneficia Alexander Cardinalis Albanius dono dedit. Manu dextera leporem ſuſtollit, quaſi gloriandus de capta præda eam ſpectatoribus oſtentet. Non enim videtur, ut cum Philoſtrato (1) loquar, illum ſeſe jactare, & ob hoc facinus gaudere: Ἦ γὰρ οὐκ ἐπῆρθαί σοι δοκεῖ καὶ χαίρειν τῷ ἔργῳ: nullo quoque modo crediderim illum prædam arbori ſuſpendere, ut lepores exenterati ſuſpendi ſolebant, teſte eodem Philoſtrato (2): Ὃ δ᾽ ἐκκρεμάμενος τῆς αὔου δρυὸς ἀνερρηγώς τε τὴν γαστέρα καὶ διὰ τοῖν ποδοῖν ἐκδεδυκὼς ὠκύτητα κατηγορεῖ τοῦ κυνός: *Qui vero aridæ ſuſpenſus eſt* (lepus) *quercui, ventremque ſectus, ac per pedes exutus, canis arguit pernicitatem*. Ni forte indicaret, Polythimum hanc prædam Dianæ offerre, ut mos erat venatorum, quod ex Virgilio intelligimus (3):

Setoſi caput hoc apri tibi, Delia, parvus,
Et ramoſa Mycon vivacis cornua cervi.

Forte etiam hic lepus, quem manu ſuſtollit Polythimus, vivus eſt, ut illum poſtquam circumſtantibus oſtentaſſet, in libertatem aſſereret; nam conſueverant venatores Dianæ gratia, & quadam ſuperſtitione, poſtquam tenellos lepores coepiſſent, vivos dimittere.

Siniſtra venabulum tenet mucrone inverſo, & de proxima pinu pendet paſtorale pedum, quod quamvis in peculiari opilionum ſuppelectili cenſeatur, nam Feſtus ait (4): *Pedum eſt baculum incurvum, quo paſtores utuntur*; tamen a venationis exercitatione minime abhorret. Quamobrem λαγωβολὸν dicebatur, ut eſt apud Theocritum (5), & Callimachum (6), qui de Diana cecinit: Ἄρτεμιν &c. ὑμνέομεν τῇ τόξα λαγωβολίαι τε μέλονται. *Dianam &c. celebremus, cui tela, & pedum curæ ſunt*. Quamvis hanc vocem λαγωβολίαι, neſcio qua de cauſa, interpres *retia* verterit, male profecto, & incongrue, ut animadvertit Vulcanius, & Spanhemius. Venatores cum præda, ut hic noſter effictus eſt, ab Ariſtide Thebano excuſos memorat Plinius (7), quam ſculpturam omiſit Junius alioquin diligentiſſimus auctor Catalogi horum artificum.

 Non

(1) Philoſt. Jun. Imag. libr. 2. cap. 3. pag. 867. edit. Olear.
(2) Idem ibid. libr. 2. cap. 26.
(3) Virgil. Æn. libr. 7. v. 29.
(4) Feſtus in v. *Pedum*.
(5) Theocrit. Idyll. 5. v. 49. & Idyll. 7. v. 129.
(6) Callimach. Hymn. in Dianam v. 2.
(7) Plin. Hiſtor. libr. 34. cap. 10.

Non autem a communi uſu abhorruit, ſtatuas venatoribus ponere (1). *Athletas, & armatos, & VENATORES, ſacrificanteſque fecit Botton, Euchir, Glaucides &c.* ut ait idem Plinius; & alio loco narrat Euthycratem quoque optime Theſpin venatorem exculpſiſſe.

Quod autem apud Antiquos leporum venatio in uſu eſſet, multis teſtimoniis evinci poſſet. At ſatis ſit Propertii carmina hic apponere (2):

Incipiam captare feras, & reddere pinu
Cornua, & audaces ipſe monere canes.
Non tamen ut vaſtos auſim tentare leones,
Aut celer agreſtes comminus ire ſues.
Hæc igitur mihi ſit LEPORES audacia molles
Excipere, aut ſtricto figere avem calamo.

Et Ovidius itidem cecinit (3):

Per juga, per ſylvas, dumoſaque ſaxa vagatur
Nuda genu, veſtem ritu ſuccincta Dianæ,
Hortaturque canes, tutæque animalia prædæ,
Aut pronos LEPORES, aut celſum in cornua cervum.

Hinc etiam in Circo fieri conſueverat venatio eorumdem animalium, cujus Martialis (4) pluries mentionem fecit, quod notavit etiam Johannes Argolus (5). Antiqui præterea loca (6) habebant peculiaria, in quibus lepores venarentur, & ut Svidas ait (7): Ἐν ᾧ τοὺς λαγὼους ἀγρεύσι, quæ loca Græce λαγωβολεῖα vocabantur (8).

Nomen hujus venatoris eruitur ex hac epigraphe **POLYTHIMUS. LIB.** quæ legitur in baſi hujus ſtatuæ ſiniſtrorſum.

PANCRA-

(1) Idem libr. 34. cap. 8.
(2) Propert. libr. 2. eleg. 15.
(3) Ovid. Metam. libr. 10. v. 529.
(4) Mart. libr. 1. epigr. 15. & 52.
(5) Joh. Argol. not. ad Panvin. De lud. circ. l. 1. c. 23
(6) Coel. Rhod. libr. 26. cap. 31.
(7) Svidas in v. Λαγωβολεῖον
(8) Xenoph. Cyneg. pag. 980.

PANCRATIASTES
TABULA LXI.

HOC ſignum in villa Hadriani effoſſum eſt, & antiquitus data opera, fortaſſe ut facilius transferretur, duobus partibus conſtructum, quæ ita apte conjunguntur, ubi pannus illi verenda operit, ut nullum conjunctionis ſignum appareat, ſed ſuperna pars immittitur in inferioris ferreum axiculum, quo utrarumque compages componitur. Quum primum in Capitolium adductum eſt una cum Arpocratis ſtatua, credebatur Antinoum repræſentare, ſed poſtea potius Pancratiaſtis cujuſdam ſignum eſſe apparuit. Pancratiaſtes unus erat ex illis, qui artibus gymaſticis ſtudebant, quas numerat Feſtus (1) dicens: *Pentathlum Antiqui quinquertium dixerunt: id autem genus exercitationis ex his quinque artibus conſtat, jactu diſci, curſu, ſaltu, jaculatione, luctatione*, quas artes omnes uno verſiculo Simonides (2) comprehendit. Adhuc incertum eſt, an Pancratiaſtes in omnibus his victor evadere deberet, ut palmam acciperet, quum nonnulli exiſtiment Pancratiaſtas eoſdem eſſe ac *quinquertiones* Latinorum, qui Græce Πεντάθλοι dicebantur. At pancratium genus erat exercitationis ab aliis diverſum, ut ex Seneca (3) colligitur, qui ait: *Lacedæmonii vetant ſuos PANCRATIO, aut cæſtu decernere &c. Curſor metam prior contingit &c. Luctator terræ abjectus &c.* Ubi clare apparet pancratium a lucta, & curſu &c. differre. Idem apparet ex Gellio (4). Lucianus (5) autem has exercitationes enarrans ait, illos, qui ſtantes ſeſe mutuo feriebant, Pancratiaſtas fuiſſe appellatos. Verum de hac quæſtione legendi ſunt, qui de arte gymnaſtica (6) ſcripſerunt.

Quod autem hujuſmodi hominibus ſtatuæ poſitæ fuerint, intelligimus ex Plinio (7), qui ſcribit Myronem illum præſtantiſſimum ſculptorem excudiſſe *Minervam, Delphicos pentathlos, PANCRATIASTAS, Herculem etiam &c.*

Utrum autem noſtrum hoc ſimulacrum unum ex his repræſentet, penes Antiquarios judicium ſit, & an hoc ſtatu is eſſe poſſit, de quo Lucianus (8) in Hermotymo ſcribit, ipſum ſe animadvertiſſe, dum præſens fuit hujuſmodi exercitationibus gymnaſticis. Ait enim in his urnam argenteam propoſitam eſſe Deo ſacram: in quam parvæ inſtar fabarum ſortes iniciebantur inſcriptæ. Inſcribebatur autem binis A, binis aliis

(1) Feſt. v. *Pentathlum*.
(2) Simonid. in Antholog. libr. 1. cap. 1. ep. 8.
(3) Sen. De benef. libr. 5. cap. 3.
(4) Aul. Gell. libr. 13. cap. 27.
(5) Lucian. De gymn. num. 8. pag. 887. tom. 2.
(6) V. Mercurialem De art. gymn. libr. 1. cap. 12.
(7) Plin. Hiſt. nat. libr. 34. cap. 8.
(8) Lucian. in Hermot. num. 40. pag. 783. tom. 1. edit. Amſt. 1743.

aliis B. binis Γ. & eodem modo deinceps ſi plures athletæ fuerant, ut duæ ſemper ſortes eamdem litteram haberent. Accedens autem athletarum unuſquiſque, demiſſa in urnam manu, ſortium unam extrahebat, & poſt illum alius. Adſtabat autem unicuique flagellifer manum illius retinens ne ſortem videret, quam extraxerat, nec litteram in ſorte conſcriptam. Omnibus autem ſuam jam habentibus Alytarcha eum, qui A. habebat, cum eo, qui alterum A. extraxerat, ad luctam vel pancratium componebat: ſimiliterque eum, cui B. evenerat, cum altero, qui habebat B. Quare noſter Pancratiaſtes videtur manum extendere ad urnam, ut ſortem extrahat, vel jam extraxiſſe. Hic autem Alytarcha dictus eſt etiam *epiſtates*, *& progymnaſtes*, *& pedotriba*, ut videre eſt apud Plinium (1), & Julium Pollucem (2). De ipſo etiam Petrus (3) Faber ait: *Agonis Pythici procurator*, *qui & alytarcha*: *Hunc vero & agonothetam*, *ſive athlothetam fuiſſe*, *ſicut Olympicis ludis ex Hellanodicarum numero unum ſorte ductum*. Et talis fortaſſe eſt, qui in hac ſtatua exprimitur.

PRAEFICA

(1) Plin. libr. 34. cap. 8. num. 21.
(2) Jul. Poll. libr. 3. ſegm. 154.
(3) Petr. Fabr. Agon. libr. 1. cap. 18.

P R A E F I C A

TABULA LXII.

AN hæc egregia ſtatua, quæ deformem vetulam nobis ob oculos ponit, pro Sybilla, ut ait Maffejus (1), aut pro Præfica ſculpta ſit, ut recentiores antiquarii communi fere conſenſu putant, non eſt meum hic judicare. Quibus rationibus innixus Maffejus putaverit, eam Sybillam repræſentare, legi poteſt apud eumdem.

Quod autem repræſentet unam ex illis mulieribus, quæ effuſe collatis nummis in funeribus lugebant, &

.... Pharios aliæ fictæ pietate dolores,
Mygdonioſque colunt, & non ſua funera plorant,

ut ait Statius (2), & quas Lucianus (3) irridet, videtur colligi poſſe ex vultu moeſto, & ex ſtatus, & habitus concitatione, quæ nullo modo Sybillæ, quæ divina perſona habebatur, conveniunt. Præficæ vero conditionis ſervilis exiſtimantur, nam in antiquis inſcriptionibus nulla earum mentio reperiebatur, quare Panvinius (4) inter ſacros antiquæ Romæ miniſtros poſtremo loco Præficas, & veſpiliones connumerat. Capite aliquantulum velato conſpicitur, quod nonnihil dubii nobis ingerere poſſet, nam Plutarchus (5) admonet, mulieres in funeribus, & in luctu capite operto fuiſſe; verum Kirmannus (6) plurimis, iiſque ſolidis rationibus, & auctoritatibus ei contradicit. Contra nos etiam facit, hanc vetulam capillos referre vel raſos, vel ſub vili panno, ut diximus, abſconditos, quum in funeribus moeſtæ mulieres, quæ cognationis vel amicitiæ cauſa funus celebrabant, capillos paſſos, & incomptos gererent, nam Terentius (7) de quadam muliere aviæ morte dolente dixit:

Mediocriter veſtitam veſte lugubri &c.
Capillus paſſus, prolixus circum caput
Rejectus negligenter;

& alibi (8):

Capillus paſſus, nudus pes,

cui addi poteſt cineraria illa urna anno 1705. detecta ex quadam illuvione agri Ferrarienſis, qui aliquando tandem ab his illuvionibus profecto neceſſe eſt demergi. Figulina erat hæc urna, & in ejus operculo effictum erat Præficæ caput capillis turbatis, & negligenter in faciem decidentibus eo ferme modo, quo Juppiter Pluvius ſculptus apparet in co-

(1) Maff. *Racc. Stat.* num. 25.
(2) *Stat. Sylv.* libr. 5. v. 244.
(3) Lucian. De Planctu num. 19. tom. 2.
(4) Panvin. De Civit. Rom. pag. 162.
(5) Plutarch. Probl. 4.
(6) Kirchm. De Fun. libr. 2. cap. 16.
(7) Terent. Heaut. Act. 2. Sc. 3.
(8) Idem Phorm. Act. 1. Sc. 2.

in columna Antoniana, & in parte hujus operculi inferiore hæc extabat inſcriptio, quæ rem in claro poneret.

H E V.
FL. QVARTILL.
PRAEFICA.

& in ora ejuſdem legebatur

V: ANN.
LXI

Caput ejus acuto cucullo operiebatur ejuſdem formæ, quo noſtri utuntur fratres, quos vulgo *Cappucinos* nominant, qui illi mediam velabat faciem. Hæc urna penes Virum Cl. Archipresbyterum Baruffaldium proſtat, qui de ea accuratam, & eruditam adornavit diſſertationem.

Hæc vero, de qua loquimur, ſtatua volumen tenet; quod Maſſejus arbitratur Oracula Sybillina continere, ſi eam Sybillam repræſentare putemus. Si autem Præficam credamus dici poſſet in eo ſcriptas eſſe Naenias, aut defuncti laudes, quas concinebat Præfica quum Feſtus dicat (1): *Præficæ dicuntur mulieres ad lamentandum mortuum conductæ, quæ dant ceteris modum plangendi, quaſi in hoc ipſum præfectæ.* Nevius: *Hæc quidem mehercule opinor Præfica eſt, quæ ſic mortuum COLLAUDAT*, & Plautus (2) non minus morum antiquorum, quam linguæ latinæ elegantiarum obſervantiſſimus, ſcribit: *Præfica quæ alios COLLAUDAT.* Hinc colligitur male Æſchylum repræhendi a ſuo Scholiaſte, quod dixerit de hujuſmodi mulieribus eas canere Pæana, quod dicat etiam Euripides (3) doctiſſimus tragicorum Pæana diis inferi dicatum fuiſſe. Scholiaſtes autem putavit quaſi Pæana carmen fore lætum tantum, quum dicat Virgilius (4):

.... *lætumque choro Pæana canentes.*

Sed Æſichyus doctus plane Grammaticus pro Æſchylo ſtat, dum hujus vocis ſignificationem explanat: Παίανα τυγνῷ θηνητικῷ ὕμνῳ. Nonnulli arbitrantur talium mulierum uſum etiam apud Hebræos extitiſſe, & tales eſſe *feminas lamentatrices*, quas memorat Hieremias (5), & de quibus loquitur Willelmus Skickardus (6), & Johannes Andreas Quenſtedius (7). Immo Maimonides (8) ad Hebræorum funus advocat non ſolum mulieres, ſed etiam homines ad lugendum pretio conductos, quem ſequuti ſunt Geierus (9), & Auguſtus Pfeifferus (10), qui in ſuam ſententiam advocat Buxtorfium, & nonnullos Rabbinos, quibus forte addi poſſet Amos (11) Propheta, qui ſecundum Vulgatam ait: *Voca-*

(1) Feſt. in v. *Præfica*.
(2) Plaut. Trucul. act. 2. ſc. 6.
(3) Eurip. Iphig. in Tauris v. 185.
(4) Virgil. Æneid. libr. 6. v. 657.
(5) Hierem. cap. 9. v. 17.
(6) Schick. De jure regio Hebr. cap. 4. theor. 19.
(7) Quæſt. De ſepult. veter. cap. 6.
(8) Maimon. Hilc. cap. 14.
(9) Geier. De luctu Hebr. pag. 76. &c.
(10) Pfeiff. Antiq. Hebr. cap. 4. §. 5.
(11) Amos cap. 5. v. 16.

Vocabunt agricolam ad luctum; & ad planctum eos, qui ſciunt plangere. Septuaginta interpretes Præficas appellarunt τὰς σοφὰς, quæ verba illa videntur interpretare: *Qui ſciunt plangere*, & aptius Hieremiæ verba (1): *Eas, quæ ſapientes ſunt, mittite*. Harum vero præcentorem Lucianus (2) vocat σοφιστὴν τῶν θρήνων.

Bartholomæus Majerus (3) putat, Hebræos hunc morem a Græcis hauſiſſe. Profecto apud Romanos hæ mulieres uſque ab antiquitate funera celebrabant, quum antiquus Lucilius hoc commemoret:

.... mercede quæ
Conductæ flent alieno funere PRAEFICAE
Multo, & capillos ſcindunt, & clamant magis.

Sed antiquior ſane apud Græcos hic erat mos, quum non ſolum mulieres, ſed etiam viros inducantur mortuos lugentes ab Homero (4) circum Hectoris cadaver.

Quod autem non dolore animi, ſed tantum lucro hæ mulieres mortuos lugerent, a Varrone (5) appellantur *fictarum lacrymarum ſimulatrices*. Hic autem luctus ad tibiarum cantum fiebat, ut animadvertit Reineſius (6), & Gutherus (7), & etiam colligitur ex multis veteribus Scriptoribus, & præcipue ex Ovidio dicente (8):

Tibia funeribus convenit iſta meis,

& alibi (9):

Cantabat mœſtis tibia funeribus;

Præficæ etiam laudes defunctorum narrabant, ut ſuperius dictum eſt, & Nonius Marcellus firmat his verbis: *Præficæ dicebantur apud Veteres, quæ adhiberi ſolent funeri mercede conductæ, ut & flerent, & FORTIA FACTA LAUDARENT*. De nomine hujus laudationis vide, ſis, quæ Meurſius (10) collegit. Apud Hebræos vero, quas nos naenias appellamus, *ſephdivim* dicebantur.

T PUER

(1) Lucian. De luctu tom. 2. pag. 932.
(2) Hierem. ibid.
(3) Meier. Philol. ſacr. part. 1. cap. 6.
(4) Homer. Iliad. libr. ult.
(5) Varr. De L. L. libr. 6.
(6) Reineſ. Var. lect. libr. 1. cap. 22.
(7) Guther. De jure man. libr. 1. cap. 23.
(8) Ovid. Triſt. libr. 5. eleg. 1. v. 48.
(9) Idem Faſt. libr. 6. v. 660.
(10) Meurſ. De fun. cap. 18.

PUER
CUM COLUMBA LUDENS.
TABULA LXIII.

OMnes probe ſciunt, Antiquos multum ſtuduiſſe, ut puerorum ludos pictura, aut ſculptura repræſentarent, vel quod multum conferret ad animi oblectationem pueros ita ludentes inſpicere, quum in ipſis liberius operari Naturam videamus, vel quod in memoriam revocent ætatem, qua tantum oblectamur, quantum mœrore afficimur ſenectutis conſideratione. Videndus omnino eſt liber, cui titulus: *Picturæ antiquæ cryptarum Romanarum*, Romæ editus anno 1750. ubi in tabulis IV. & VII. in appendice plurimi puelli ſunt variis ludis jocantes, ut in anaglypho ebure Muſei Carpinei (1), necnon in tabula XI. diſſertationis De nummis inferioris ævi, quam Du-Freſnius ad finem ſui Gloſſarii Latino-Barbari appoſuit, quæ diſſertatio nuper hic Romæ ſeorſim in lucem prodiit: in vitreo quoque vaſe, quod Maffejus (2) lacrymatorium appellat, quod apud piiſſimum, & eruditiſſimum præſulem Leonem Strozzium exſtabat. Plinius (3) narrat, eximium illum ſculptorem Polycletum Sycionem quamplurima ſigna excudiſſe, *duoſque pueros item talis nudos ludentes, qui vocantur Aſtragalizzantes & ſunt in Titi Imperatoris atrio: quo opere nullum abſolutius plerique judicant*. Et inter ejuſdem Maffeii (4) gemmas una eſt, in qua puer cum circulo ludit, quem ille putat eſſe Antiquorum trochum.

Et tanta erat, quam ex ludis Antiqui delectationem capiebant, ut homines doctrinæ copia, & magnorum facinorum gloria, & heroicis factis & domi, & militiæ inſignes non ſolum ad hos ludos ſpectandos deſcenderint, ſed in iis quoque ſeſe pueriliter exercuerint. Hinc legimus Socratem ſolitum eſſe (5):

Ludere par impar, equitare in arundine longa,

& Auguſtus, teſte Svetonio (6): *Animi laxandi cauſa modo piſcabatur hamo, modo TALIS, aut OCELLATIS, NUCIBUSQUE LUDEBAT CUM PUERIS MINUTIS*. Itidem de Æſopo Phædrus ait (7):

Puerorum in turba quidam ludentem Atticus
Æſopum NUCIBUS quum vidiſſet &c.

PUER

(1) Bonarr. Numiſm. Carp. pag. 1. & in præfat.
(2) Maff. Gemm. part. 2. tab. 1. & 2.
(3) Plin. Hiſt. nat. libr. 34. cap. 8.
(4) Maff. Gemm. part. 4. tab. 56.
(5) Horat. Satyr. 3. libr. 2.
(6) Svet. in Auguſt. cap. 83.
(7) Phædr. libr. 3. fab. 14.

PUER CUM ANSERE

TABULA LXIV.

SCitiſſimus facie hic puer eſt ea omnino forma, qua pueros pingere ſolebat elegantiſſimus ille recentiorum pictorum Apelles, nempe Antonius Corigienſis. Ludit autem cum anſere, quam joculariter amplectitur. Forte hyemem repræſentat, veluti ille puer, cujus graphidem in lucem protulit ex Muſeo Carpineo Bonarrothius (1). Quod autem anſer hyemis ſymbolum ſit, plurimis alibi demonſtravi (2). Fieri igitur potuit, ut quis quatuor anni tempora quatuor puellis expreſſerit eo ferme modo, quo paſſim conſpiciuntur in anaglyphis marmoribus, nec non in numiſmatibus, ut in illis Imperatoris Commodi, & Treboniani (3): hæ autem ſtatuæ forte adornabant vel ſalientes, vel viridarium aliquod Antiquorum Romanorum, & quum tres ex ipſis perierint, ſuper hæc ſola fuit. Similis huic refertur ab Aldrovando (4) puer ad ornandum Cardinalis Cæſii fontem, quem ita deſcribit: *In un' altra banda è un putto, che preme un anſera per fargli gettar acqua dal collo, tutto intero; e queſta è una delle belle coſe di Roma per ſtatua piccola*. Nec multum a vero abhorrere videtur, hanc etiam pueri noſtri ſtatuam in eumdem uſum deſerviſſe, quia quamquam anſeris collum non ſit perforatum, attamen minime hoc attendendum eſt, quum illud ſit recenter reſtitutum. Forte etiam credi poteſt, hoc ſignum ſacrum fuiſſe, quum Antiqui ſumme ſuperſtitioſi, quique omnia ad vanam eorum religionem referebant, & alicui Numini dicabant, hoc etiam Priapo ſacrum poſuiſſe, quum Petronius (5) doceat, anſerem Priapo fuiſſe ſacrum; etenim vetula quædam apud eum dicit: *Scelerate, inquit, etiam loqueris? neſcis quam magnum flagitium admiſeris. Occidiſti Priapi delicias, anſerem omnibus matronis acceptiſſimum*. Ex quo innuitur, anſeres Junoni quoque ſacratos, ut ex Livio (6), & Plutarcho (7) diſcimus. Immo notius eſt, hoc animal gratum fuiſſe Iſidi, & Oſiridi, & juxta Harpocratis ſignum eſſe collocatum, ut habetur abunde ex eruditiſſimo Cupero (8). Anſeres quoque in templis locatos adfirmat Artemidorus (9). Hæc elegantiſſima ſtatua effoſſa eſt anno 1741. dum ampliſſimam viam ſternerent operarii, quæ a ſanctæ Crucis ad Lateranum ducit.

(1) Bonarr. Num. Carp. pag. 426.
(2) *Roma ſotterr.* tom. I. pag. 50. & 211. & 212.
(3) Muſ. Piſan. tab. 28. & Numm. Vatic. tab. 67. in num. Treboniani.
(4) Aldrov. *Stat.* pag. 138.
(5) Petron. Arbitr. cap. 137.
(6) Tit. Liv. libr. 5.
(7) Plutarch. in Vita Cammilli.
(8) Cuper. Harpocr. pag. 55.
(9) Artem. De ſomn. libr. 4. cap. 85.

BATHYLLUS

AUGUSTI LIBERTUS

TABULA LXV.

JAcet hic Auguſti libertus ſuper lectulum *aggregatis in tumulum ſtragulis, & effultus in cubitum, ſubreptuſque in thorum*, ut verbis utar Apuleii (1). Obſervatione videtur digna hujus lecti forma, qua omnino ſimilis eſt illis, quos vulgo: *Letti da riposo* appellamus. Alterum, ſed elegantiorem, quod in eo accumbat nobilis femina, in ea quæ ſequitur tab. vide ſis. Ambo ex tribus partibus ſponda circumſepti ſunt, quæ Græce ἀνακλιτήριον, ſeu ἀνάκλιντρον appellatur, qua voce uſus eſt Spartianus (2) eam Latino more inflectens; at Virgilius (3) proprium ejus nomen in ſua carmina invexit. Hujuſmodi lecti dicuntur etiam κατάκλιτα a κατακλίνεσθαι ideſt accumbere, ut exiſtimavit Salmaſius (4). Quum vero in conviviis adhiberentur a Latinis, *accubita*, ſive *ſtibadia* ſi tamen rotunda erant, appellati ſunt; quare apud Pollionem (5) invenimus *accubitalia Cypria*, ni forte hæc ſint ſtragula, quibus lecti inſternebantur. Heſychius ita interpretatur hanc vocem: Θρόνος ἀνάκλιτος δίφρος, ſi duobus hominibus lectus capax foret. Lampridius vero de Elagabalo ait: *Nec cubuit in ACCVBITIS facile, niſi iis quæ pilum leporinum haberent, aut plumas perdicum*. Culcitra, quam hic innuit Lampridius, apparet in his duobus lectulis. Antiquos hoc corporis ſitu funebres, & anniverſarias coenas celebraſſe diſcimus vel ex Tibulli (6) carmine:

Illius ad tumulum fugiam, ſupplexque SEDEBO;

quod nititur demonſtrare etiam Joſeph Laurentius (7) multis rationibus, ex quibus non multum mihi arridet ea, quam ex nomine ſepulchri, quod aliquando *ſedes* appellatur, deducit. Hujuſmodi cœnæ, quæ *parentalia*, *juſta ſepulchralia*, *inferiæ*, *pollinctura* dictæ ſunt, dum cadaver in ſepulchrum inferretur, vel poſt novem dies apponebantur, ut ait Apulejus (8): *Jamque nono die rite completis apud tumulum ſolemnibus &c.* & hoc ad deos inferos placandos; quo ritu finis imponebatur funeribus, ut docent Rhodiginus (9), & Giraldus (10).

Hoc marmor repertum eſt extra portam Capenam ſecus viam Appiam in celeberrimo, at nunc a fundamentis diruto libertorum Liviæ

viæ

(1) Apul. Met. libr. 2. pag. 54.
(2) Spart. in Aelio Vero pag. 232. edit. Lugd. Bat. 1671.
(3) Virg. Æn. libr. 1. v. 702.
(4) Salmaſ. in not. ad Spart. ibi.
(5) Pollion. in Claud. pag. 389.
(6) Tibull. libr. 2. eleg. 7.
(7) Laurent. De funerib. antiq. cap. 1.
(8) Apul. Metam. libr. 9. pag. 299.
(9) Rhodig. libr. 17. cap. 21.
(10) Girald. Syntag. 17.

viæ ſepulchreto, quod luculentiſſimis notis illuſtravit vir clariſſimus Gorius, & quod etiam edidit doctiſſimus Præſul Bianchinius; necnon editum fuit cura Eminentiſſimi Cardinalis de Poliniac.

Quæ huic ſigno ſubjacet inſcriptio, etiam in V.C. Muratorii (1) Theſauro legitur. Ex hac intelligimus, Bathyllo cuſtodiam templi Auguſti, & Auguſtæ demandatam fuiſſe; hoc enim ſignificat nomen *æditius*, ſeu *æditimus*, utroque enim modo effertur, ut eſt apud Varronem (1), & Gellium (2); quamvis vel errore lapidarii AEDITUS ſcriptum ſit, vel quod duplicanda ſit litera V. propter accentum, quo ſuperne notata eſt, ut autumat idem Gorius, qui tamen accentus nunc in inſcriptione non apparet. Doctiſſimus Marchio Polenius (3) Italiæ, & noſtri ſeculi decus, aliam protulit inſcriptionem ex eodem loco deſumptam, in qua legitur: AEDITUS DIANAE ubi eodem plane modo litera V. minime duplicatur.

Nil addam de hac epigraphe, poſtquam idem eruditiſsimus Gorius tanta rerum reconditarum copia eam enarravit. Ex illo etiam diſcimus, hanc inſcriptionem mutilam fuiſſe hoc modo:

D I S M A N I B V S
.... AVG. LIB. BATHYLLVS. AEDITVS. TEMPLI. DIVI. AVG.
.... T. DIVAE. AVGVSTAE. QVOD. EST. IN. PALATIVM
INMVNIS. ET. HONORATVS

Sed ita ſuppleta eſt certis, & manifeſtis argumentis:

D I S. M A N I B V S
C. IVLIVS. AVG. LIB. BATHYLLVS. AEDITVS. TEMPLI. DIVI. AVG.
ET DIVAE. AVGVSTAE. QVOD. EST. IN. PALATIVM
INMVNIS. ET. HONORATVS.

IMMUNIS nomen immunitatem deſignabat ab officiis & muneribus, quibus aliquis obſtrictus eſſet. Feſtus (4) enim ait: *Munem ſignificare certum eſt officioſum, ſicut e contrario IMMVNIS dicitur, qui nullo fungitur officio.*

Quum Bathyllus hic a tam potenti domino, qui toti ferme Orbi imperabat, immunis factus fuiſſet, conſentaneum eſt credere, illum non ſolum a muneribus, & a vectigalibus, quæ ceteris civibus ſolvenda erant, ſed etiam a minuſculis ſervitiis, quibus addicti erant etiam liberti, immunem factum. Hujuſmodi immunitates aliquando etiam liberabant eos, qui in aliquod collegium vel ſodalitium adlecti erant, aut aliis muniis inſigniti, quæ ad deorum cultum, eorumque templa ſpectabant, ut Bathyllus, qui erat æditiuus, vel νεώκορος, ut Græce loquar, templi

(1) Murat. Theſ. inſcript. 177. 1.
(2) Varro De R. R. libr. 1. cap. 2.
(3) A. Gell. libr. 12. cap. 10.
(4) Polen. Supplem. antiq. Rom. tom. 3. in præfat. pag. 13.
(5) Gor. Monum. Liv. tab. XIII. inſcript. CCXCV.
(6) Feſtus in v. *Munis*.

templi Auguſti, & Liviæ. Verum animadverſione dignum eſt, an potuerit diu hac immunitate frui; nam Liviæ templum mortuo Tiberio dicatum fuit; hanc autem immunitatem niſi poſt longum ſervitium non obtinebatur.

Dignitate etiam HONORATI inſignitur hic libertus, quæ præcipua erat ac minime communis, qui titulus Samueli Pitiſco, quamvis alioquin diligentiſsimo, effugit in laudatiſsimo ejus Lexico adornando. In multis inſcriptionibus HONORATI dignitas nominatur, quæ quid importet, videas apud clariſs. Gorium (1), qui de ea admodum luculenter ſcripſit.

Quamvis nunc in noſtro marmore BATHILIUS non BATHYLLUS legatur, tamen nihil moror, ne legi exiſtimem cum Gorio, Bianchinio, Muratorio, Ficoronio, & Polenio BATHYLLUS; prima enim L. detrita eſt a lapidario, dum marmor fractum ſuppleret.

Idem Ficoronius tabula V. operis ſui, quod *De larvis* inſcripſit, graphidem hujus marmoris protulit, uti erat, confracti, ſed cum capite Bathylli ſuperaddito, quod in aliis delineationibus prius editis deficiebat. Hoc autem caput præfert ætatem ad ſenium vergentem, & promiſſa barba ornatur; nunc vero, ut in noſtra tabula LXV. nuper exculptum, juvenile eſt. Ficoronius, quomodo ſe hæc res habuerit, ingenue narrat, & cur hoc eſſe Bathylli caput crediderit. Dicit enim, terram circa Columbarium Liviæ egeſtam fuiſſe, ac innumera ſtatuarum, & marmorum anaglyphorum, & inſcriptionum, & urnarum fragmenta effoſſa, inter quæ caput illud barbatum, quod cervici hujus liberti ſuperpoſitum, compertum eſt ei optime aptari, ideoque illud Bathylli caput eſſe credidit. Ad hanc opinionem firmandam conducere videtur titulus *Immunis* (2), quo, ut diximus, ii tantum donabantur, qui longo ſervitio functi fuiſſent, & poſtquam *Veterani* appellationem conſecuti eſſent, ut graviter ſuſpicatur eximius Gorius (3). Contra vero neſcio quomodo a temporibus Auguſti non abhorreat longa illa barba, qua a reipublicæ temporibus uſque ad Hadrianum carent Romanorum imagines; quare penes eruditum lectorem de hac re judicium relinquendum duco.

MATRONA

(1) Gor. ibid. inſcript. LXXI.
(2) Gor. Mon. Liv. num. CCXV.
(3) Idem ibid. num. 1.

MATRONA
ACCUMBENS
TABULA LXVI.

QUAE in tabula ſuperiore enarranda diximus, magna ex parte ad hanc quoque aptari poſſunt, quum ambæ hæ perſonæ eodem corporis poſitu accubent. In hac tabula diſtincte magis, quam in alia præſtiterim, obſervabo lecti formam ſimilem illis, quos Galli vocant *canapè*, quam vocem Menagius explicat (1): *Lit de repos a dos*, cujus originem veſtigans, verius quam ſolet, deducit a voce Latina *conopeum*, & hanc ſic nominatam dicit a Græca κώνωψ, quamvis Voſſius (2) ipſam derivandam arbitretur ab κωνωπεῖον *velum ad arcendos culices, quos Græci* κώνωπας *vocant*. Unde fieret, ut *canapè* nullam omnino haberet ſimilitudinem cum veteri Græcorum, ac Latinorum lectulo, qui alia plane res erat, ut etiam a Joſepho Scaligero (3) habemus. Κώνωπες. *Inde conopeum* un pavillon, *quod eſt inventum Aegyptiorum ad arcendos hos culices infeſtiſſimos, quos vocamus* couſins. *Fiebat autem conopeum ex reticulis, quia ſatis ſunt ad illos retinendos*. Hæc omnia Scaliger ex Herodoto (4) deduxit, qui narrat, Ægyptios ſe a culicibus defendere conſueviſſe, alios quidem retibus piſcatoriis, alios vero dormiendo in eminentiore turrium faſtigio. Sed omnis difficultas diſſolvitur verbis Varronis (5) omnium Romanorum doctiſſimi, qui vocem *conopeum* ſumit pro lecto, quo utimur ad quietem capiendam, ſcribens de iis, in quibus poſt partum jacent puerperæ inferioris ordinis: *Et ut te audivi dicere, quum in Liburniam veniſſes, te vidiſſe matresfamilias eorum afferre ligna, & ſimul pueros, quos alerent, alias ſingulos, alias binos; quæ oſtenderent, fœtas noſtras, quæ in CONOPEIS jacent dies aliquot, eſſe levuncidas, ac contemnendas*.

Sed multo melius confirmatur, atque explicatur duplex ſenſus hujus vocis χωνωπεῖον *conopeum* ex libro Judith, in quo utramque ſignificationem ea habere videtur: primum ſcilicet lecti ad jacendum ſtrati, deinde velarii. Ubi enim habetur (6): *Videns itaque Judith Holophernum SEDENTEM IN CONOPEO, quod erat ex purpura, & auro & ſmaragdo, & lapidibus pretioſis intextum*, lectus indicatur; nam ſi Holophernus in Conopeo ſedebat, evidens eſt illud velarium quoddam non eſſe: & quamvis in exemplari Græco, ad quem, ob Hæbraici defectum, confugere oportet, legatur: ἐπί τῆς κλίνης αὐτοῦ τῷ κωνωπείῳ, quum tamen ſubdatur, ipſum ſmaragdo, & lapidibus pretioſis intextum eſſe, manifeſto

(1) Menag. Etymolog. Gallic. V. *Canapè*.
(2) Voſſ. Etymolog. V. *Conopeum*.
(3) Scaligerian. prim. V. Κώνωπες.
(4) Herodot. libr. 1. num. 95.
(5) Varro De R. R. libr. 2. cap. 10.
(6) Judith. cap. 10. v. 19.

feſto apparet nihil aliud id eſſe, niſi unum ex his lectulis. Quum vero poſtea dicatur de Judith, quæ capite Holopherni obtruncato (1): *Abſtulit CONOPEUM ejus a COLUMNIS, & evolvit corpus ejus truncum*, luculentiſſime evincitur, invictiſsimam hanc feminam e lecti columnis velarium avulſiſſe. Miror ſane P. Calmetum in ſua divinæ Scripturæ eruditiſsima enarratione duplicem hujus vocis ſenſum non ſuboluiſſe.

De hac femina ex ſuppoſita inſcriptione nil aliud ſcimus, niſi ei Felicitatis nomen fuiſſe, & Claudium Agathinum medicum imaginem una cum epigrammate ſculpere curaſſe ad illius celebrandam memoriam ob ſingularem honeſtatis laudem, qua floruit, ut vel ipſi Penelopi ipſam comparare non dubitaverit. Inſcriptionem damus, prout in marmore legitur, quam ſumma diligentia deſcripſimus; cui tamen nonnulla deſunt in ſexto, & ſeptimo verſu. Quo facilius ipſa intelligi poſsit, hic a nobis exhibetur minuſculis caracteribus:

Σεμνὴν Πηνελόπην ὁ παλαίβιος · ἔχε δ' καὶ νῦν
  Σεμνὴν Φηλικιτὰν οὐ τάχα μειοτέρην.
Βουλομένης δὲ θανεῖν ἀνδρὸς προτέρην σφετέροιο
  Ἔκλυες ὦ δαίμων πολλάκις εὐχομένης.
Τοὶ γὰρ τοὶ καὶ ἐμεῖο δικαιοτέρην ὑπάκουσον
  Εὐχομένου Πλούτων . . . .
. . . . ἥνεκα αἴδαο περήσω
  Εὑρεῖν τὴν ἰδίαν Φηλικιτάν παρά σοι
Κλαύδιος ἰητὴρ Ἀγάθινος τὴν δ' ἀνέθηκε
  Εἰκόνα Φηλικιτᾶς μάρτυρα σωφροσύνης.

Honeſtam Penelopem, qui olim vixit (i. Uliſſes) *habet autem etiam nunc*
Honeſtam Felicitatem non minorem.
Volentem autem mori viro priorem ſuo
Exaudiſti, o dæmon, ſæpe deprecantem.
Etenim & me juſtiorem exaudi
Orantem o Pluto . . . .
. . . . dixi ad Orcum tranſibo
Invenire propriam Felicitatem apud te.
Claudius medicus Agathinus hanc poſuit
Imaginem Felicitatis teſtem honeſtatis.

Hæc inſcriptio, quum ad manus perveniſſet Viri Clariſs. Angeli Mariæ Riccii mei amiciſſimi, publicique Græcæ linguæ profeſſoris in Academia Florentina, ob ſummam notitiam & ſcientiam, qua pollet, eruditiſſimæ illius linguæ, mutilos verſus in hunc modum ſupplevit ex tempore:

Εὐχομένου Πλούτων πάντοτε ἐχέμεν
  Ἠελίοιο ἑκὰς ἢν εἰς αἴδαο περήσω

GLADIA-

(1) Ibid. cap. 13. v. 10.

GLADIATORES
TABULA LXVII. LXVIII. LXIX.

VEtuſtiſſimum fuit apud Romanos immane Gladiatorum ſpectaculum. Valerius Maximus (1) illud cœpiſſe ſcribit Conſ. Appio Claudio, & M. Fulvio ad celebrandam Bruti memoriam. Athæneus (2) ejus inventum in Mantineos reiicit, quod ex Hermippi libro Legislatorum hauſit. De Gladiatoribus fuſe locuti ſunt Lipſius, Mercurialis, Ferrarius, Freherus, Calliacus, aliique plurimi auctores, qui de Romanis antiquitatibus ſcripſere, adeo ut ſupervacaneum eſſet, quum illi notiſsimi ſint, omniumque manibus terantur, de hac re quidquam ſuperaddere. Unus ex his Gladiatoribus mortali vulnere confoſſus, ac prope deficiens exhibetur in tabulis LVII. & LVIII. quæ celeberrima ſtatua quondam in hortis Ludoviſiis exiſtens, magni a Clemente XII. empta fuit. Ipſa reſtaurata dicitur, ejuſque dextrum brachium a divino Michaëlangelo Bonarrothio ex integro refectum; quumque illud brachium recenter ſculptum ſit, ac veteri additum ſtatuæ, ut ſatis apparet, dubitari profecto non poteſt, an alius artifex præter Bonarrothium illud potuerit excudere, tanta eſt elegantia, atque arte factum, ut nihil ab antiquo opere differat. Plinius narrat, Creſilam huic ſimilem Gladiatorem ſculpſiſſe (3): *Creſilas vulneratum deficientem fecit, in quo poſſit intelligi, quantum reſtet animæ*. Mira hujus ſtatuæ excellentia omnium ſpectantium oculos ſemper ad ſe traxit; quin etiam Eques Maffejus (4) ipſammet eſſe arbitratur, quam ſculpſit Creſilas. Notatu dignum eſt, qua ratione ſtatuæ poſitæ fuerint ſordidiſsimo huic hominum generi, de quibus Quintilianus (5) ſcripſit: *Inter dedita noxæ mancipia contemptiſſimus tyro Gladiator*; & Tertullianus (6): *Omnis Gladiatorum ignominia togata producitur*. Sed veteres Romani adeo perdite Gladiatorum ludis delectabantur, atque hujuſmodi ſpectaculum tantæ illis erat voluptati, ut major nunquam, teſte Cicerone (7), fieret in Urbe hominum cujuſvis generis celebritas, quam quum Gladiatorum ludi præbebantur: *Equidem exiſtimo nullum tempus eſſe frequentioris populi, quam illud GLADIATORIVM, neque concionis ullius, neque vero ullorum comitiorum*.

Edebatur hujuſmodi munus non ſolum ad privatorum hominum voluptatem, quod domi poſt cœnam fiebat, ſed & ad populi gratiam

(1) Val. Max. libr. 2. cap. 4. num. 7.
(2) Athen. libr. 4. cap. 13. pag. 154.
(3) Plin. libr. 34. cap. 8.
(4) Maff. *Racc. Stat.* tab. 64. & Montfauc. Antiq. tom. 3. part. 2. tab. 155.
(5) Quintil. Declamat. 9.
(6) Tertull. De pallio in fine.
(7) Cic. Orat. pro Sextio circa finem.

captandam, uti præter Apulejum (1), & Martialem (2) plurimæ etiam veteres inſcriptiones teſtantur; idque præſtabatur, dum magiſtratus, & vel ipſe pontificatus inirentur. Gladiatores ad religionem quoque referebant Romani; ſiquidem illi in funeribus inducebantur, niſi potius ex ipſis funeribus originem traxerunt, uti arbitratur Tertullianus (3); eoque tandem proceſſerunt, ut Livius graviſsimus hiſtoricus non dubitaverit inter præclara Romanorum facinora nonnulla Gladiatorum ſpectacula recenſere, quia Romani, ut ait Lipſius (4): *Hæc talia etiam referebant in acta Urbis, atque inde ſcito Livium hauſiſſe*. Sequioribus autem temporibus data ſunt Gladiatorum certamina pro ſalute Imperatorum; quamvis Claudius id ſua de cauſa fieri a prætoribus expreſſe vetaverit, uti narrat Dio (5). Quapropter nemo de his ſtatuis mirabitur, quæ etiam erectæ illis fuerunt, qui propriis ſumptibus hujuſmodi ludos ad populi voluptatem præbuerunt. Quin etiam ſcribit Pauſanias (6) Glauco Cariſtio poſitam fuiſſe ſtatuam, quamvis is eſſet e numero Gladiatorum, qui ſe ſe exercebant in σκιαμαχία, hoc eſt *pugna umbratili*, de quo pugnandi genere, quod etiam fiebat ad corporis exercitationem, & ad valetudinem tuendam, fuſe loquitur Mercurialis (7), eratque ſimile palorum certamini. Quamobrem ait Vegetius (8): *Palorum uſum non tantum militibus, ſed etiam GLADIATORIBUS plurimum profuiſſe*.

Inter ſigna, quæ honoris cauſa huic hominum generi decreta fuere, celeberrimum, omnique artis opere perfectum & illud eſt, quod ab Agathia Epheſino (9) exculptum, atque in Antio repertum, quodque modo in villa Pinciana aſſervatur: ſimiliter ſummæ elegantiæ eſt, quod in atrio Farneſiano viſitur, de quo mentionem facit Aldrovandus (10), qui etiam plurima alia hujuſmodi ſigna commemorat, inter quæ ſic nobis deſcribit illud ipſum ædium Farneſiarum: *Si trova appreſſo una ſtatua grande di Gladiatore a guiſa di un coloſſo. E ignudo, ed ha ſoſpeſa al collo la coreggia del ſuo ſtocco, e ſta locato ſopra una baſe di marmo. Tiene il piè dritto ſopra una targa, dietro al qual piede è il ſuo celatone, perchè dietro al piè manco ſono le ſue veſti. Fu queſta ſtatua ritrovata alle terme Antoniane*, hoc eſt Antoninianis.

Hic noſter prorſus eſt nudus, quemadmodum etiam Gladiator tabulæ LXIX. licet Gladiatores ſæpe ſæpius pugnarent tecti diverſis thoracum generibus, ut apud Livium (11) habetur; ſed interdum nudi etiam pugnabant, ut videre eſt apud Senecam (12): *Nihil habent, quo tegantur: ad ictum totis corporibus expoſiti, nunquam fruſtra manum mittunt*.

(1) Apul. Metam. libr. 4.
(2) Martial. libr. 3. epig. 16.
(3) Tertull. De ſpectac. cap. 8. & 12.
(4) Lipſius Saturn. libr. 1. cap. 8.
(5) Dio Caſſ. libr. 60. pag. 668.
(6) Pauſ. libr. 6. cap. 10. pag. 475.
(7) Mercur. Art. gymn. libr. 3. cap. 4.
(8) Veget. libr. 1. cap. XI.
(9) Maff. *Racc. Stat.* num. 75. & 76.
(10) Aldrov. *Statue &c.* pag. 147. 153. 179. 280.
(11) T. Liv. libr. 21. cap. 42.
(12) *S*enec. epiſt. 7.

tunt. Et paulo poſt illud ipſum etiam confirmat ſcribens: *Plagis aguntur in vulnera, & mutuos ictus nudis, & obviis pectoribus excipiunt*. Octavius tamen Ferrarius (1) arbitratur, id non niſi illis eveniſſe, qui judicis ſententia ad hujuſmodi certamen erant damnati: *Quare crediderim id genus hominum fuiſſe, qui judicis ſententia damnati ad beſtias, & ferrum*. Et ideo fortaſſe in hanc opinionem venit, quia Scribonius Largus antiquiſsimus Medicus ait, illos ſe invicem percutere, atque contundere, ſed nunquam mori. Quod etiam colligi videtur ex iis verbis s. Cypriani (2): *Ictibus infelix facies locatur, ut infelicior venter ſaginetur*. Sed ex Atheneo (3), Horatio (4), atque Galeno (5), Gladiatorum medico, ſcimus, eos ſibi invicem mortifera vulnera infligere, atque ex ipſo Seneca (6), & Aulo Gellio (7) ejuſmodi certamina eo evadere, ut quis vel occideret, vel occideretur. Quin etiam impavide ſe ipſos ad necem dabant, ut voluptati eſſent ſpectatoribus, ſi quando ii impium, atque immane deſiderium prætuliſſent eoſdem plane extinctos videndi; ait enim Cicero (8): *Mittunt etiam vulneribus confectis ad dominos, qui quærant, quid velint: ſi ſatisfactum iis non ſit, ſe velle decumbere*.

Mirum videbitur cur adeo præclarum ſignum, ut hoc tab. LXVII. poſitum fuerit Gladiatori victo, & ad necem adacto, potius quam victori, eique qui ipſum occiderat: *Sed is habitus animorum &c. inter ſpectantes vulgo, ut non vincentium magis, quam BENE MORIENTIUM fortuna laudaretur*, inquit Livius (9).

Neque his tantum limitibus Romanorum feritas continebatur; ſiquidem ſtimulos addebant iiſdem Gladiatoribus, quo ſe ipſos necarent; atque objurgabant, & corripiebant illos, qui ſe minime ferro, atque morti libenter offerebant. Quocirca Seneca (10) eorum exprimens voces; qui ſanguinolento huic ſpectaculo adſtabant, ſcribit: *Quare tam timide incurrit in ferrum? quare parum audacter occidit? quare parum libenter moritur?* Hunc igitur Gladiatorem ſtrenue mortem opetiiſſe, atque ex eorum numero fuiſſe oportet, de quibus ipſe Cicero inquit (11): *Quis mediocris Gladiator ingemuit? quis vultum mutavit unquam? quis non modo ſtetit, verum etiam decubuit turpiter? quis quum decubuiſſet, ferrum recipere juſſus, collum contraxit?*

Hic Gladiator ſcuto ſuperimpoſitus eſt, cui etiam tuba inſidet contorta. Notum eſt Gladiatores, vel ſaltem ex iis nonnullos, ſcuto ſe ipſos defendere conſueviſſe, quum legatur in antiquis gloſſis: *Parma* Θρακικὸν ὅπλον, ideſt arma ad tegendum Gladiatores, qui appellabantur Traces, vel Treces: quæ ſcuta Plinius (12) nominat *parmas Trecidas*. Tubam

 vero

(1) Octav. Ferrar. Diſſert. De Gladiat. §. *Non modo*.
(2) *S*. Cyprian. Ad Donatum.
(3) Athen. libr. 4. cap. 13.
(4) Horat. Sat. 7. libr. 2. v. 52.
(5) Galen. De compoſit. medic. 101.
(6) Senec. Epiſt. 7.
(7) A. Gell. libr. 7. cap. 3.
(8) Cicer. Tuſcul. libr. 2. circa fin.
(9) T. Liv. libr. 9. cap. 40.
(10) Senec. ibid.
(11) Cicer. ibid.
(12) Plin. Hiſt. libr. 33. cap. 9.

vero in ſpectaculis uſui fuiſſe teſtatur Plinius junior (1) in quadam epiſtola ſcribens: *Qui nunquam in acie ſteterunt, nunquam caſtra viderant, nunquam denique tubarum ſonum, niſi in SPECTACULIS audierunt*. Apulejus (2) pariter loquens de ſpectaculo, in quod Gladiatores inducebantur, id ipſum ita confirmat: *At ubi diſcurſus reciproci multimodes ambages TUBAE terminalis cantus explicuit &c.* Et Quintilianus (3) de Gladiatoribus ſimili modo ſcripſit: *Sonabant clangore ferali TUBAE*.

Collum huic Gladiatori nodata fune circumvolvitur, necnon pariter alteri Gladiatori in gemma ex collectione Maffeii (4). Julius autem Capitolinus in vita Commodi memorat *torques gladiatorios*, quorum tamen nullam mentionem fecit Juſtus Lipſius, quamvis ipſe exquiſitiſſima, ac ſumma rerum antiquarum cognitione, ac ſcientia collegerit omnia ad Gladiatores ſpectantia. Schefferus (5), qui de ipſis loquutus eſt, ita in rem noſtram ſcribit: *Forte laqueus, vel quid alius ex fune; quo adverſarium capiebant. Nam alias inter GLADIATORUM præmia torquem legere non recordor*. Sed clarius Iſidorus (6) nobis explicat hujus funis ſignificationem, cui proprie nomen *torquis* convenire non poteſt. Ita ille inquit: *Laqueariorum* (ſcilicet Gladiatorum, qui ita appellabantur) *pugna erat, fugientes in ludo homines injecto laqueo impeditos, conſecutoſque proſternere, amictos umbone pelliceo*.

Gladiator expreſſus in tabula LXIX. recens opus eſt, ſi truncum excipias. Verum truncus hic tanta eſt induſtria exculptus; ut fieri poſſit eundem eſſe, quem vidit Aldrovandus (7) apud Cardinalem Cæſium, de quo ita ſcribit: *Ne' portici del cortile ſi vede gittato a terra un torſo di Gladiatore*, vel etiam alium, qui erat apud Alexandrum Cherubinium, de quo ait: *Dentro una camera terrena è un Gladiatore nudo ſenza gambe, nè braccia*. Utcumque res ſe habeat, quum magna ex parte de integro refectus ſit, multa de eo differere non poſſumus, eoque magis, quod ipſe aliam quamvis perſonam exprimere poſſet. Exempli cauſa in muſeo Mediceo Endymion (8) aſſervatur eo corporis ſtatu, ut illi probe aptari quiſſet truncus hujus noſtri Gladiatoris.

TRIUM

---

(1) Plin. Epiſt. 7. libr. 2.
(2) Apul. Metam. libr. 10. pag. 345.
(3) Quintil. Declam. 9.
(4) Maff. Gemm. tom. 4. tab. 46.
(5) Scheffer. De antiq. torquib. tom. 12. Antiq. Roman. Grevii pag. 935.
(6) Iſidor. Etymolog. libr. 18. cap. 56.
(7) Aldrov. *Statue &c.* pag. 122.
(8) Muſ. Florent. tom. 3. tab. 21.

TRIUM MULIERUM
PROTOMAE
TABULA LXX. LXXI. LXXII.

TRia hæc marmora non multum negotii præbent in ipſis enarrandis, tum quod illorum capita nullius feminæ imaginem exprimant, quæ ex numiſmatibus nobis innoteſcat, tum etiam quod in illis nullum ſymbolum, aut nota falſi numinis appareat; & ſi quæ habet, quod tertio loco tab. LXXII. delineatum eſt, ea omnia recenter ſunt ex ingenio ſuperaddita. Ideo tamen nos ipſorum graphides adferimus, quia ſingulari artificio ſculpta ſunt.

Notatanda tamen eſt forma veſtis, quæ tantum tunica cincta, & palla, vel ſtola conſtat, quo nihil vel modeſtius, vel magis a luxu remotum excogitari poteſt, quum inſuper in ea neque aurum, neque gemmæ, aut purpura appareat, quare veteribus hiſce feminis Romanis minime aptari poterat illud Tertulliani (1) monitum: *Erga veſtitum quoque, & reliqua compoſitionis veſtræ impedimenta proinde vobis curanda eſt amputatio, & decuſſio redundationis nitoris*. Quod ad Chriſtianorum objurgationem dictum ſit, quos Tertullianus corripit.

Femina expreſſa in tab. LXX. habet tunicam, qua totum pectus, atque humeri obteguntur, ut nihil ſupra ad honeſtatem deſiderari poſſit; & ſi femina tabulæ LXXI. dextrum humerum nonnihil nudum oſtendit, hoc minime oritur ex veſtis genere, ſed ab elegantia, quam artifex in opere voluit præferre. Comæ pars negligenter ad ſiniſtrum humerum deſcendit. Geſtat in capite ornatum, quem Latini vocant *mitram*, quæ redimebat capillos, uti Ovidius ſcripſit (2):

Auſus eſt hirſutos MITRA redimere capillos.

Hæc in frontem aliquantulum propendit inſtar pilei Phrygi, quo ornatæ conſpiciuntur in antiquis monumentis imagines Atidis, & Paridis, ſiquidem, ut ait Servius (3): *Utebantur & Phryges, & Lidii MITRA, hoc eſt incurvo pileo*. Non me latet, variam fuiſſe mitræ ſignificationem, quæ ſæpe ſumebatur pro ſimplici vinculo, vel pro victa, vel faſcia, qua mulieres latera, vel collum cingebant, ſive etiam crines nectebant, quare citatus verſus ad utraſque haſce figuras probe aptatur. Verum apud Græcos vox μίτρα ſumitur pro lamina metallica, ut præcipue habetur ex Heſychio, & Svida, quod ab Homero, aliiſque veteribus ſcripto-

(1) Tertull. De cultu femin. cap. 9.
(2) Ovid. Epiſt heroid. 9. v. 63.
(3) Serv. ad Aeneid. libr. 4. v. 216.

ſcriptoribus hauſerunt; & hinc uſurpata reperiuntur epiteta χρυσομίτρες, χαλκεομίτρη. Mitræ gemmis diſtinctæ memorantur a Philoſtrato (1), & Agathia (2) eo in loco, ubi de Juſtiniano dicit, ex his unam ipſum capiti impoſuiſſe Tzathis Regis Lazorum. Libet hoc loco ſubiicere, mitram, plane ſimilem huic in tabula LXX. expreſſæ, interdum duplicari conſueviſſe in parte capitis poſtica, quare dicebatur *cornuta*, ut mitra Bacchi, cujus mentionem facit Valerius Flaccus (3).

.... *& nivea tumeant ut cornua mitra;*

unde puto derivaſſe mitras, quæ in uſu ſunt apud hodiernos epiſcopos, vel fortaſſe utraſque ab illa ſacerdotum Hæbreorum. Hæ protomæ redigi poterant vel ad Junonem, vel ad Cererem, vel ad quæcunque alia his ſimilia numina; quemadmodum in Dianam converſum eſt fragmentum tabulæ LXXII., quod de duobus aliis præſtitum non eſt, quia juſta ſtatura longe minora ſunt. Hoc autem Tibure allatum, quum præſtantioris viſum ſit artificii, & naturalem ſtaturam vel adæquet, vel fortaſſe excedat, idcirco ei adjuncta ſunt brachia, & crura, & præterea canem juxta pedes, ut non ſolum ex pharetra, veſtiſque forma, ſed etiam ex hoc animali liceat agnoſcere Dianam venatricem. Obſervandum eſt hanc feminam cingi faſcia, ſeu *ſtrophio*, quæ ſi latior erat, multis obvolvebatur plicaturis, quo rotunda evaderet, & aptior ad tunicam ſubcingendam; quocirca bene ait Catullus (4)

Non tereti STROPHIO lactantes vincta papillas.

Hinc Nonius (5) intelligitur, apud quem femina queritur epiſtolam amiſiſſe, quam immiſerat *inter tuniculam, & ſtrophium*, quod incongrue aptaretur duobus cingulis, quibus circumdantur feminæ tabularum LXX., & LXXI. Luxus in cauſa fuit, quamobrem inducerentur cincturæ non amplius ſimplices, & modeſtæ, ſed divites, magnique pretii; quibus utebantur Syrites populi apud Metapontum, quapropter ab illorum accolis appellabantur *mitrochitones*, ut animadvertit Coelius Rhodiginus (6), qui hujuſmodi appellationis hanc rationem affert: *Nam floridas illis tunicas geſtare fuit moris, quas etiam MITRIS, hoc eſt cingulis IMPENDII EXIMII præcingerent.* Hinc contra Homerus, quos Latini vocabant *diſcinctos*, *amitrochitonus* appellavit. Mulieres hunc cingulum, ut primum parerent, Dianæ (7) conſecrabant, quare hæc Dea a Græcis dicitur λυσιζώνη.

ISIS

(1) Philoſtr. Vit. Apollon. libr. 2.
(2) Agath. libr. 3. pag. 90. edit. Regiæ.
(3) Valer. Flacc. Argon. libr. 2. v. 271.
(4) Catull. Epital. Pelei v. 65.
(5) Non. de genere veſt. 14. 8.
(6) Cœl. Rhodig. libr. 7. cap. 9.
(7) Idem libr. 16. cap. 10.

I S I S
TABULA LXXIII.

HOC ſignum Iſidem repræſentare colligitur ex flore loti, quo caput illius ornatur, ſicuti etiam erui poſſet ex ſiſtro, niſi brachium dextrum recenter ſuperadditum eſſet. Hanc Deam, quamvis Ægyptiam, a Græco tamen ſculptam fuiſſe artifice, & Romæ fortaſſe, oſtendit veſtis, venuſtate, atque præſtanti arte accommodata. Hæc autem modeſtiſſima tunica conſtat, quæ collum obtegit, & ad pedes deſcendit, quorum ſummitas tantum conſpicitur. Eadem carpum uſque manuum pervenit, eique ſuperimponitur palla, quæ caput, atque humeros operit, exertis tamen brachiis: ultra hæc evadit in pectus, ubi nodo firmatur, qui etiam colligit, & ſtringit quatuor angulos ejuſdem veſtis, quæ lintei formam referre videtur: quare Tertullianus (1) quamdam feminam, in modum hujus Deæ indutam, appellat *Deæ Iſidis linteatam*; eoque nodo nexa totum ſumma elegantia tegit corpus uſque ad media crura. Partes illius extremæ lacinia ornantur, quemadmodum Venus e balneo prodiens, cujus graphis viſitur in primo volumine Muſei Juſtinianei (2).

Denique admodum ſimilis eſt veſti, qua induta ſe viſendam præbuit in ſomnis Apulejo (3), qui ipſam hoc modo deſcribit: *Palla nigerrima &c. quæ circumcirca remeans, & ſub dextrum latus ad humerum lævum recurrens, umbonis vice, dejecta parte laciniæ, multiplici contabulatione dependula, ad ultimas oras nodulis fimbriarum decoriter confluctuabat*. Et multo brevius Iſidorus (4) nobis ante oculos ponit idem veſtimenti genus, quo veteres feminæ utebantur: *Stola matronale oprimentum, quod cooperto capite, & ſcapula a dextro latere in lævum humerum mittitur*. De origine, & myſteriis hujus Deæ diſſeruere Herodotus (5), Diodorus Siculus (6), & ex profeſſo Plutarchus (7), quare ſupervacaneum omnino eſt de iiſdem loqui; præterquamquod plurimi alii veteres mythologi, nec non multi præſtantiſſimi noſtræ ætatis antiquarii, & præ ceteris Cuperus collegerunt quidquid ex antiquitate ſupereſt ad Iſidem pertinens vel in marmore, vel alio quocunque modo. Ea eſt illa, ut verbis Apuleii utar, quæ habebatur (8) *rerum natura parens, elementorum domina, ſeculorum progenies initialis, ſumma numinum, ac tandem myrionima, ſive Dea multinominis*.

Siniſtra

(1) Tertull. De teſtim. anim. cap. 2.
(2) Muſ. Juſtinian. tom. I. num. 80.
(3) Apul. Metam. libr. XI. in princ.
(4) Iſidor. Etym. libr. 19. cap. 25.
(5) Herod. libr. 2. num. 58. & ſeq.
(6) Diod. Sicul. libr. I. pag. 9. & ſeq.
(7) Plutarch. De Iſide, & Oſiride.
(8) Apul. ibid. pag. 362. & 386.

Siniſtra vas geſtat. Omnes, vel pene omnes Iſidis figuræ, quas ego vidi, ſiniſtra tenent hanc ſitellam, ut tres hujus Deæ imagines apud memoratum Cuperum (1), & una in quadam lucerna Liceti (2) de qua re multo plura proferre poſſem, niſi ea ad alium locum reſervarem. Satis erit in præſentia Apulei (3) auctoritatem in medium afferre, qui affirmat hoc modo Iſidem repræſentatam fuiſſe: *Nam dextra quidem ferebat æreum crepitaculum, cujus per anguſtam laminam in modum balthei recurvatam, trajectæ mediæ paucæ virgulæ, criſpante brachio tergeminos jactus, reddebant acutum ſonorem. Læva vero CYMBIUM dependebat aureum.* Id ipſum Servius confirmat (4): *Iſis autem eſt genius Ægypti, qui per SISTRI motum, quod gerit in dextra, Nili acceſſus, receſſuſque ſignificat: per SITELLAM, quam ſiniſtra manu retinet, oſtendit affluentiam omnium lacunarum.* Prorſus ſimillimam figuram videmus in numiſmate Claudii, ubi legitur: SALUS. AUG. quia non ſolum plurimarum rerum patrocinium Iſidi tribuebatur, ſed ipſa etiam credebatur diverſos curare morbos, & multa conferre bona. Etenim s. Auguſtinus (5) ait, quod a Mercurio Trimegiſtio ſumpſerat: *Iſidem vero uxorem Oſiris, quam multa bona præſtare propitiam, quantis obeſſe ſcimus iratam?* Quapropter multi etiam in ejus templo tabellas votivas appendebant, unde Juvenalis acute admodum dixit, Iſidem multis pictoribus victum præbere, & proinde multis etiam ſculptoribus, ut ex hoc, aliiſque colligitur ſignis, quæ in noſtro Muſeo, atque alibi conſpiciuntur (6):

.... *Pictores quis neſcit ab Iſide paſci?*

Verum ejus ſtatuæ non multis ornamentis indutæ ſunt, quia, teſte Plutarcho (7), Iſis Typhoni erat infenſa, qui, ut Græca vox ſonat, faſtum, luxum, atque oſtentationem ſignificat. De reliquo Iſis credita eſt, nihil reapſe diſcrepare a Minerva, Proſerpina, Theti, Cybele, Venere, Diana, Cerere, Junone, aliiſque multis numinibus, ſicuti a plurimis auctoribus colligitur, quos refert Pignoria (8), qui plane rem totam confirmat Capuana hac inſcriptione:

TE. TIBI.
VNA. QVAE.
ES. OMNIA.
DEA. ISIS.
ARRIVS. BA.
BINVS. V. C.

Attamen

(1) Cuper. Harpocr. pag. 45.
(2) Licet. De lucernis antiq. pag. 1178.
(3) Apul. ibid. libr. XI. pag. 240.
(4) Serv. ad Æn. libr. 8. in fine.
(5) S. Auguſt. De C. D. libr. 8. cap. 26.
(6) Juven. Stat. 12. v. 28.
(7) Plutarch De Iſide, & Oſiride.
(8) Pignor. Menſ. Iſiac. pag. 2. & 3.

Attamen ejus cultus non ita Romæ, ac in Ægypto receptus fuit, quin immo Piſone, & Gabinio conſſ. e Capitolio (1) expulſa fuit, vel ſaltem in eo cum ceteris numinibus Ægyptiis collocari non potuit, neque multo poſt ex ſenatuſconſultu tum ejus templum, tum illud Serapidis funditus demolita fuere: & triginta poſt annos juſſu Marci Agrippæ Roma ad 500. paſſus Iſis abacta; quare hæc ſtatua nonniſi diu poſt ſculpta videtur, imperante ſcilicet Commodo, vel Caracalla, vel potius Hadriano, tum quum omnium populorum dii, ac ſuperſtitiones Romam invectæ ſunt. Plura, qui vult de varia hujus numinis fortuna apud Romanos cognoſcere, adeat Exercitationes (2) ſuper marmore Iſiaco e fundamentis eruto bibliothecæ Caſanatenſis, quarum auctor eſt Johannes Oliva Rhodiginus, qui in præſentia locupletiſſimæ Cardinalis de Subiſe bibliothecæ præeſt. Hic in laudatis Exercitationibus oſtendit, quanta doctrina, ac exquiſitiſſima eruditione, & multo magis quanta ſapientia, ſcientiaque præditus ſit, quibus adnumerandæ etiam accedunt animi virtutes, quibus mirum in modum abundat.

Muſ. Capitol. tom. 3. pag. 161.



CERCOPITHECVS
Vide pag. 169.

X HAR-

(1) Val. Maxim. libr. 1. cap. 3. num. 3.

(2) Joh. Oliva. Exercitat. &c. cap. 2.

HARPOCRATES
TABULA LXXIV.

Harpocrates idem eſt ac Horus, quia ſi, ut ait Plutarchus (1), Harpocrates filius fuit Iſidis, & Oſiridis, & hi, teſte s. Epiphanio (2), nullam aliam ſuſceperunt prolem, quam filium nomine Horum, conſequens eſt Horum, & Harpocratem eundem plane eſſe deum. Id ipſum confirmat ſequens inſcriptio, quam Cuperus retulit (3):

ΜΕΓΑϹ ω ΡΟϹ ΑΠΟΛΛωΝ ΑΡΠΟΚΡΑΤ
ΕΥΙΛΑΤΟϹ Τω ΦΟΡΟΥΝΤΙ

Magnus Horus Apollo Harpocrates
Propitius ferenti.

Neminem ignorare arbitror, primo hunc deum in Ægypto cultum fuiſſe. Repræſentatur digito labiis admoto ad ſilentium indicendum, ut ex noſtra pulcherrima ſtatua patet. Eodem plane modo nobis eundem exhibent non ſolum plurima vetera monumenta, ſed etiam antiqui Scriptores. Ab Ovidio ita deſcribitur (4):

Quique premit vocem, digitoque ſilentia ſvadet:

& a Martiano Capella (5): *Quidam redimitus puer, ad os compreſſo digito ſalutari, ſilentium commonebat.* Unde ab Auſonio (6) appellatus fuit *Sigalion* a voce Græca σιγη, quæ *ſilentium* denotat:

Te velut Oebaliis habites taciturnus Amyclis,
Aut tua SIGALION Ægyptius oſcula ſignet
Obnixum, Pauline, taces.

Quid vero Ægyptii ſignificare vellent ſilentio, quod digito numen indicit, non omnium una eſt ſententia. Politianus (7) opinatur ipſum ita innuere, Deum honorandum, ac colendum eſſe ſilentio. Quod confirmari poteſt s. Scripturæ verbis (8): *Te decet ſilentium, Deus, in Syon,* ut in textu Hebræo legitur. Inter profanos auctores illud ipſum pluribus a Porphyrio (9) comprobatur. Ludovicus (10) Vives ait, Harpocratem digitum ori admovendo ſignificaſſe, ipſum adhuc fari minime cœpiſſe, quod a Plutarcho ſumpſiſſe teſtatur; verum neque ego, neque Cuperus locum ullo pacto reperire potuimus, in quo hæc ſcribat Plutarchus. Scaliger (11) in ea fuit opinione, idcirco Ægyptios hunc deum illa forma repræſentaſſe, quia putabant ipſum eo modo

(1) Plutarch. De Iſide, & Oſiride.
(2) S. Epiphan. Ancor. 106.
(3) Cuper. Harpocr. pag. 156.
(4) Ovid. Metam. libr. 9. v. 690.
(5) Mart. Capella libr. 1. in fine.
(6) Auſon. in epiſt. ad Paulin.
(7) Politian. Miſcell. cap. 83.
(8) Pſalm. 64.
(9) Porphyr. De abſtin. libr. 2. & De antro Hom.
(10) Vives in s. Auguſt. De C. D. libr. 4. cap. 5.
(11) Scalig. in notis ad Varr.

modo natum fuiſſe, quemadmodum etiam alia eorum numina, digito videlicet ori adhærente.

In tanta ſententiarum diſcrepantia ss. Patrum doctiſſimum mihi ſequendum duco, qui Romanorum omnium doctiſſimo adhæſit. Scribit itaque s. Auguſtinus (1): *Conſtitutum eſt de illo*, (Serapi) *ut quiſquis eum hominem dixiſſet fuiſſe, capitalem penderet pœnam. Et quoniam fere in omnibus templis, ubi colebatur Iſis, & Serapis, erat etiam ſimulacrum, quod digito labiis impreſſo admonere videretur, ut SILENTIUM fieret; hoc ſignificare idem Varro exiſtimat, ut homines eos fuiſſe taceretur*. Neque ſolum digitum ori admovendo ſilentium indicebatur, ſed etiam verbo *ſte*, quod nos Itali dicimus *ſta*, ſive *zitto*, ducta fortaſſe origine ab illo *ſte*, quod in Plauto, ac Terentio occurrit. Hinc Varro (2) dixit: *STE Harpocrates digito ſignificat*. Et Pompejus Attellanarius vetus poëta apud Nonium:

Pater. *At ST. negato eſſe hic me, operito caput*,

ut ex Scaligeri emendatione legendum eſt.

In capite lotum pariter geſtat, quamvis in numiſmate Antonini Pii ipſius loti flore inſidens conſpiciatur, quemadmodum etiam in gemmis præſertim Baſilidianorum, ut refert Pignoria (3), & Cuperus (4). Sed ut plurimum non ſolum Harpocrates, ſed etiam Apis, Iſis, Oſiris, & Conopus caput eodem modo ornatum habent, quod flos ille ſacer eſſet Soli, ad quem referebantur multa, vel potius omnia memorata numina, & in primis Harpocrates. Quid vero ſit in cauſa, quamobrem ejuſmodi flos Soli dicatus ſit, docet Plinius (5) inquiens, ejus papavera ad ortum Solis aperiri, ac matureſcere, illo autem occidente ea comprimi, ac foliis integi. Sed Dioſcorides (6) hoc in ipsius flore, minime vero in fructu evenire teſtatur, ſubditque hanc plantam propriam Ægypto eſſe, atque in campis flumine inundatis provenire, caulamque fabæ ſimilem habere, ac florem parvum, & candidum liliaceo affinem, cui conſonat etiam Theophraſtus (7). Neque ſolum hæc planta Soli dicata erat, ſed ipsius erat ſymbolum, ut fuſe Jamblicus oſtendit (8).

In antiquitatis reliquiis, quæ ad nos pervenerunt, multis ornatum ſymbolis aſpicimus Harpocratem, nimirum modo alas habet, & pharetram humeris, modo ſerpentem, modo anatem, modo cuniculum, vel leporem, modo teſtudinem, modo accipitrem, vel aliud quodque ex volatilibus: interdum manu tenet clavam, vel ferulam, vel parvam ſitulam, quæ falſo pro lucerna ſumpta eſt. Verumtamen cornu, quod ſiniſtra manu noſter hic tenet, nunquam vidiſſe illum memini. Ceterum fieri poſſe arbitror, ut hoc cornu

 copiæ

(1) S. Auguſt. De C. D. libr. 18. cap. 5.
(2) Varro De L. L. libr. 4. pag. 17. edit. Dudrect.
(3) Pign. Menſ. Iſiac. pag 33.
(4) Cuper. Harpocr. pag. 7. & pag. 54. & ſeqq.
(5) Plin. libr. 13. cap. 17. & 18.
(6) Dioſcor. libr. 4. cap. 114.
(7) Theophraſt. libr. 14. cap. 10.
(8) Jambl. ſect. 7. cap. 2.

copiæ ſit, quo expreſſus visitur apud Pignoriam, & Cuperum, & in cippo, quem ſupra laudatus Johannes Oliva illuſtrandum ſuſcepit, quum illud probe congruat Soli, a quo vel maxime copia frugum provenit. Quod vero Harpocrates creditus sit, eandem rem eſſe cum Sole, nos ſupra indicavimus, illudque præterea ex hoc comprobatur, quod ſæpe repræſentetur radiato capite, ac ferulam manu tenens, juvenique ætate, quæ forma, ut ait Plutarchus (1), Solem orientem indicat.

Plura vide apud memoratum Cuperum (2), qui id ipſum exquiſitiſſima eruditione confirmat. Mirabitur quiſquam, cur hoc pulcherrimum Harpocratis ſignum Romæ repertum ſit, quum ille eamdem ſubierit fortunam, ac Isis; ſiquidem teſte Tertulliano (3): *Serapidem, & Iſidem, & Harpocratem cum ſuo Cynocephalo Capitolio prohibitos inferri, ideſt curia deorum pulſos Piſo, & Gabinius Coſſ.* Dio (4) etiam hoc confirmat, quod ex ſententia Andreæ Scotti (5) anno V. C. 695. accidit. Sed quum innoteſcat ex Lucano (6), Arnobio (7), & Macrobio (8), aliiſque Scriptoribus, eodemque Tertulliano (9), hæc Ægyptia numina Romam evocata rurſus fuiſſe, & præſertim ab Hadriano, ut mox dicemus; mirum propterea non erit, si Romæ, & in ejus viciniis eruantur hujuſmodi simulacra, ut hoc noſtrum, illudque ſequentis tabulæ, quæ ambo integra, & intacta reperta fuere prope Tibur inter ruinas cujuſdam cubiculi, eo loci ubi rus fuerat ipsius Hadriani, quæque tanto artificio elaborata ſunt, ut ſupra nihil fieri poſſit. Quare hinc etiam apparet, has candidiſſimi marmoris ſtatuas Romæ ſculptas fuiſse ab aliquo Græco artifice, minimeque ex Ægypto veniſse, ut credibile eſt, inde tranſvectas fuiſse nonnullas alias, de quibus in poſterum loquar.

Atque potiori jure a Romanis hunc deum, qui silentium imperabat, excipi par erat, quia ipsi jam venerabantur deam quandam, quæ eodem munere fungebatur, quamque appellabant Angeronam, de qua ſcribit Macrobius (10), loquens de numinibus Romæ tutelaribus, de quibus multiplex erat ſententia, & inter illa, quæ ex eorum numero putabantur, Angeronam quoque recenſet: *Alii enim Jovem crediderunt, alii Lunam: ſunt qui ANGERONAM, quæ digito ad os admoto ſilentium denuntiat.* Varro (11) de eadem, ipsiuſque feſtis mentionem facit: *Angeronalia ab Angerona, cui ſacrificium fit in curia*; quamvis audaciſſime Scaliger legat, *Angenoralia, & Angenora.* Præter hanc deam Romani agnoſcebant deum Conſum, quem Isidis filium fuiſse, non ſecus ac Harpocratem, veteres Gloſsæ oſtendunt. Quumque Conſus conſiliorum deus ſit, proſpere, feliciterque evenire illa non poſsunt, nisi medio ſilentio; quare in iiſdem Gloſſis de Angerona dicitur: Ἡ θεὸς τῆς βουλῆς καὶ καιρῶν. id eſt: *Dea conſilii, atque opportunitatum.*

SIMU-

(1) Plutarch. ibid.
(2) Cuper. ibid. pag. 6.
(3) Tertull. Apolog. cap. 6.
(4) Dio Caſſ. libr. 40.
(5) Andr. Scott. De bono ſilent. libr. 2. cap. 1.
(6) Lucan. libr. 5.
(7) Arnob. libr. 2.
(8) Macrob. Saturn. libr. 1. cap. 7.
(9) Tertull. ibid.
(10) Macrob. Sat. libr. 3. cap. 9.
(11) Varro De L. L. libr. 5. pag. 48.

SIMULACRUM AEGYPTIUM TABULA LXXV.

HÆC forte omnium, quæ in noſtro Muſeo aſſervantur, ſtatuarum præſtantiſſima eſt, de cujus artifice merito dici poteſt (1):

Nonne putas miras hunc habuiſſe manus?

Quam ſi laudare velim, vereor, ut orationis inopia laudes ejus potius deteram, & ut ait Lucianus (2): Ἐγὼ δὲ λυμανοῦμαι τὸ ἀρχέτυπον ἀσθενείᾳ τῆς τέχνης. *Ego archetypum ipſum vaſtabo artis imbecillitate.* Juſtam ſtaturam excedit, & albo marmore ſculpta eſt, atque omni ex parte integra. Sunt, qui putent, hanc repræſentare ſacerdotem Aegyptium, quod coniiciunt ex ſacro velo peculiaris formæ, & iis ſacerdotibus ferme communi, quo ejus caput ornatur; & ex palmæ foliis, quibus ei verenda teguntur. Similem habitum deſcribit his verbis Apulejus (3): *Caput decore cinxerat, palmæ candidæ foliis in modum radiorum proſiſtentibus.* Hæc quantumvis modica veſtimenti pars morem illius regionis oſtendit, quæ foliis palmarum utebatur ad indumenta, ut ex Scriptoribus, qui literis mandarunt Patrum Vitas hanc regionem incolentium, intelligitur. Vide ſis B. Hieronymi hiſtoriam de Paulo heremitarum principe, in qua veſtem ejus ex palmæ foliis confectam memorat; & Caſſiani Collationes (4), necnon eumdem Apulejum (5), qui Iſidem ita calceatam refert.

Palma vero, apud ſuperſtitioſos Aegyptios *bais* nuncupata, ſacra arbor habebatur; quare Horapollo (6) in ſuis hieroglyphicis docet, *bais* animam ſignificare.

Laurentius Pignoria vir acris ingenii, & ſummopere doctus tabulæ Iſiacæ graphydem ob oculos nobis ponit, in qua multæ apparent perſonæ, eo ferme modo, quo hæc noſtra ſtatua veſtitur, amictæ, & haud diſſimili modo caput ornatæ.

At vero ſimilius eſt, hunc eſſe deum Averruncum, de quo mentionem fecit Varro dicens (7): *Apud Pacuvium: Dii monerint meliora, atque amentiam averruncare; ut DEUS, qui in rebus præeſt AVERRUNCUS. Itaque ab eo precari ſolent, ut pericula avertat.* A Perſio autem Dii Averrunci vocantur: *Dii depellentes* (8):

Euge, puer, ſapias DIIS DEPELLENTIBUS agnam
Percute.

Græci

(1) Propert. libr. 2. eleg. 9.
(2) Lucian. De imagin. num. 3. tom. 2. pag. 461.
(3) Apul. Met. libr. XI.
(4) Caſſ. Collat. 18. cap. 15.
(5) Apul. ibid. pag. 362. ad uſum Delph.
(6) Horapoll. libr. 1. cap. 7.
(7) Varro De L. L. libr. 6. pag. 81.
(8) Perſ. Sat. 5. v. 167.

Græci vero eos θέους ἀποτροπαίους dixerunt, quibus, qualeſcunque fuiſſent, agnam ſacrificabant, ut etiam Romani, quod ex Horatio didicimus (1). Eorum ſimulacra pugnis obſtrictis videmus excuſa, quaſi ſudem tenerent ad mala, & obnoxia averruncanda, ut videre eſt in hoc, de quo loquimur, ſimulacro. Hinc mos invaluit, ea ad templorum, domorumque fores hinc inde collocare. Et forte talia erant lapidea illa, quæ memorat Herodotus, poſita ante Perſei templum in quamampliſsima urbe Chemmis Thebaicæ regionis: Ἐπὶ δὲ αὐτοῖσι ἀνδριάντες δύο ἑστᾶσι λίθινοι μεγάλοι. Duo etiam exſtabant Tiburi forte ante Herculis ædem, quæ nunc ad epiſcopalis palatii portam proſtare conſpicimus, ex quibus unius delineationem protulit eques Maffejus, illamque dei Averrunci effigiem etiam ipſe eſſe arbitratur, cujus ſimulacrum huic noſtro quamſimillimum apparet. Ad hoc numen expreſiſſe videtur Tertullianus, dum ethnicorum deos ſubſannans ſcripſit (2): *Si denique &c. mortui vivos tuentur, jam utique ſuas primo ſtatuas, & imagines, & AEDES tuerentur.*

SIGNA

(1) Horat. libr. 2. od. 17. & libr. 4. od. 2.

(2) Tertull. Apolog. cap. 29.

SIGNA AEGYPTIA

TABULA LXXVI., ET SEQUENT.

NOtum eſt, Aegyptiis perſuaſum fuiſſe, ſe omnibus orbis terrarum populis antiquitate generis antecellere, quam illis palmam eripere contendebant Scythæ, ut ex Trogo Pompeio colligitur (1). Illud vero adeo certum eſt, ut ambigi nullo modo poſſit, ipſos tum magnificentia, ac magnitudine ædificiorum, aliiſque artium operibus, tum cognitione temporum, atque hiſtoriarum, omnibuſque diſciplinis longe prætergreſſos fuiſſe Græcos. Teſtantur id ſacræ paginæ, quum legatur in Actis Apoſtolorum (2), Moyſen eruditum fuiſſe omni ſapientia Aegyptiorum; quare s. Auguſtinus ſcripſit (3): *Verum, quod fatendum eſt, non quidem in Græcia, ſed in barbaris gentibus, ſicut in Aegypto, jam fuerat ante Moyſen nonnulla doctrina, quæ illorum ſapientia diceretur*. Mirum propterea non erit ſi Apulejus dixerit (4) Aegyptios *priſca doctrina pollentes*, atque a Macrobio (5) appellata fuerit eorum regio *mater artium*.

Ex quo fit adeo antiquitate, & diuturnitate temporis immutatam, atque confuſam fuiſſe Aegyptiorum mythologiam, ut difficile ſit ipſam expedire, & reperire initia, originem, ſignificationem, ritus, nomina, & formas deorum, quos illi colebant, & rerum ſacrarum, quas ſibi peculiares habebant; ex quo oritur diſcrepantia communis inter Scriptores in diſtinguendis numinibus Aegyptiis a diis Græcorum. Ex quo plurimis ſymbolis effingebantur ornati, quorum nonnulla modo ad hoc, modo ad aliud numen pertinebant, ut recte animadvertit Pignoria (6). Fieri etiam poteſt, ut Aegyptii unum duntaxat Deum agnoſcerent, ac ſub nomine diverſorum numinum beneficia ejuſdem venerarentur, quæ mox paulatim in tot deos diſpertiverint, quemadmodum, quæ fuit ſententia Macrobii (7), factum eſt a Græcis, atque Romanis. Quare effigies, exempli cauſa Apollinis vel Bacchi apud Græcos, Iſidis & Oſiridis apud Aegyptios, variis aliorum numinum ſymbolis circumdatæ conſpiciuntur, quod videre eſt in binis gemmis apud eumdem Pignoriam (8). Hoc autem quum adverterent Scriptores, factum eſt, non defuiſſe, qui aſſeverarent Iſidem eſſe Cererem, uti Herodotus (9): Ἶσις δὲ ἐστὶ κατὰ τὴν Ἑλλήνων γλῶσσαν Δημήτηρ: vel Lunam, & Junonem, uti Diodorus (10); vel

(1) Juſtin. Hiſt. in princ. libr. 1. & libri 2.
(2) Act. Apoſtol. cap. 7. v. 22.
(3) S. Auguſt. De C. D. libr. 18. cap. 37.
(4) Apul. Metam. libr. XI. p. 365. ad uſum Delph.
(5) Macrob. Sat. l. 1. c. 15. s. Aug. ibid. l. 4. c. 10.
(6) Pign. Menſ. Iſiac. pag. 3.
(7) Macrob. Saturn. libr. 1. cap. 17.
(8) Pign. ibid. pag. 3.
(9) Herod. libr. 2. n. 59. Apul. ibid. l. XI. pag 364.
(10) Diod. Sicul. libr. 1. pag. 7. & 9.

vel Terram, rerumque Naturam, uti Macrobius (1), & Servius (2). Eandem ſortem ſubiere cetera numina, ut legere eſt apud Apulejum (3).

Horum autem exterorum numinum cultus nonniſi longum poſt tempus, ut ſupra dixi, Romæ acceptus eſt, & mox ſæpius quoque ejectus fuit. Tandem Hadrianus, omnium ſuperſtitionum curioſiſſimus inveſtigator, eorum imagines in ſuam magnificam villam Tiburi invexit, quæ profecto magnitudine civitatem æquabat. Nam in fine ejus vitæ, quam ſumma diligentia Spartianus ſcripſit, legitur: *Tiburtinam villam mire exædificavit, ita ut in ea & Academiam, Prytaneum, CANOPUM, Pœcilem, Tempe vocaret*. Quid vero hic Canopi nomine Hadrianus ſibi voluerit, non meminit citatus Scriptor, nec meminere etiam Caſaubonus, & Salmaſius, qui ampliſſimis, eruditiſſimiſque commentariis eum illuſtrarunt. Scimus ſane Canopum navis gubernatorem Menelai fuiſſe, qui quum anguis morſu obiiſſet, ab illo ſepultus fuit in inſula quadam apud oſtia Nili, quæ idcirco Canopus appellata fuit, ut Ariſtides (4), & s. Epiphanius ſcripſere (5). Sed Ariſtides vult, hanc inſulam ita nominatam fuiſſe priuſquam ad eam appelleret Menelaus (6); quo cum Plutarchus (7) conſentire videtur. Canopus pariter appellatum fuit magnum, ac ſplendens ſidus, quod ab incolis Italiæ nunquam viſum eſt (8). Utcunque res ſe habeat, Canopo divini numinis honor ab Aegyptiis tributus fuit. Ejus ſimulacrum nobis a Rufino (9) ex Euſebio deſcribitur, narrans ipſum habuiſſe pedes perexiguos, attractum collum, ac caput fere humeris adhærens, ventrem obeſum & tumidum in modum hydriæ cum dorſo æqualiter tereti. Ita quidem ex baſalte exculptus viſitur in noſtro Muſeo, quem hic habes T. LXXXII. ectypum in Tabula LXXXII. Similem habet Cauſſeus (10). Sed prætera noſtrum hoc ſignum undequaque exculptum eſt variis figuris. In medio extat deus Apis ſub forma bovis, cui ſubeſt ſcarabeus, loti florem apprehendens: ſupra ſe habet binas aves, quæ duæ galeritæ eſſe videntur, & lateri gemini hærent ſacerdotes. Non admodum diſſimiles ſunt figuræ, quæ inciſæ conſpiciuntur in memorato Canopo apud Cauſſeum, at pro deo Api, Genii duo ibi ſedentes apparent, quorum unus caninum caput habet ad denotandum Anubin, alter felinum, quo Genium lunarem, & elementum aquæ repræſentari putat Cauſſeus, quamvis ipſe mox hanc ſignificationem cani tribuat. Ambo hi Genii manu baculum tenent, quia ab Agyptiis dii Averrunci credebantur. Plura myſteria ſub effigie ſcarabei abſcondebantur, de quibus loquitur Pignoria (11). Illud tantummodo dicam ex opinione Plutarchi (12), virum fortem ea beſtiola ſignificari, quia

(1) Macrob. ibid. libr. 1. cap. 20.
(2) Serv. ad Aen. libr. 8. in fine.
(3) Apul. Met. libr. xi. pag. 363.
(4) Ariſtid. apud Strab. Geograph. libr. 17.
(5) S. Epiphan. Ancorat. num. 108.
(6) Vide Caſaub. in notis ad Strab. ibid. pag. 801.
(7) Plutarch. De Iſide, & Oſ. pag. 355.
(8) Strab. libr. 2. pag. 119.
(9) Rufin. Hiſt. eccleſ. libr. 2. cap. 26.
(10) Cauſ. Muſ. Rom. ſect. 2. tab. 32.
(11) Pignor. ibid. pag. 43.
(12) Plutarch. De Iſide pag. 355.

quia omnia hujus generis animalia maſcula credebantur. At facile adducor, ut mihi perſuadeam, binas memoratas aves eſſe geminas ibides, quum inter eas cor ſculptum conſpiciatur, cujus forma ibidi ſimilis aliquomodo videbatur, ut ex Rhodigino ſcimus, qui ita ſcribit (1): *Per ſe cordis imaginem præfert.* Unde factum eſt, Aegyptios eo hieroglyphico uſos fuiſſe ad ſignificandam præcipuam hanc corporis humani partem, quum idem auctor dicat: *Porro cor ſignare volentes, ibim exprimunt*. Fertur, Canopum eo modo expreſſum fuiſſe (2), quod Aegyptii diſputantes cum Perſis, qui ignem adorabant, uter ex eorum diis ceteros potentia vinceret; hoc numen fictile efformaverint, atque ventre tumido, & undique crebris, minutiſque foraminibus perforatum; iiſque poſtea cera obturatis, variis coloribus obductum aqua impleverint. Quum conveniſſent ad periculum faciendum, Canopus in igne ponitur; tum cera reſoluta, aqua profluente ignis extinguitur: unde Canopus victor habitus fuit. Noſtrum hoc ſignum e baſalte ſculptum eſt, perinde ac illud, quod Aldrovandus vidit (3) in ædibus D. Gentilis Delphinii, quodque ita ab eo deſcribitur. *In una ſala di ſopra è una ſtatua di marmo nero: dicoſto che ſia di Canopo Dio d' Egitto, perchè Canopo è una delle foci del Nilo, e i Gentili a tutte le coſe attribuivano la deità, e lor dirizzavano le ſtatue.* Aliud pariter vidit apud celeberrimum Cardinalem Carpenſem, ſcilicet (4) *una teſta di pietra verde Egiziaca creduta di Canopo.*

Fieri igitur poteſt, Canopum, ab Hadriano in ſua villa conſtructum, nihil aliud fuiſse quam ædiculam huic numini dicatam, proindeque etiam ceteris Aegyptiorum diis, quorum ſimulacra, reſque ad eorum cultum pertinentes illuc intuliſset, uti & ſtatuas ſacerdotum, inſtrumentis & veſtibus ornatas, quibus ii utebantur in ſacrificiis, atque in pompis, & ſupplicationibus, quas Apulejus adamuſſim deſcribit (5). Quo factum eſt, ut in noſtro Muſeo cubiculum conſtitutum fuerit hujuſmodi antiquis Aegyptiorum reliquiis oppletum ad ſimilitudinem illius, quod in Hadriani villa memorabatur, ut videre eſt in ichnographia ejuſdem villæ, quam excepit Franciſcus Continius, ac in lucem editam Cardinali Franciſco Barberino ſeniori, maximo, & celeberrimo litterarum patrono dedicavit.

Quod attinet ad cetera numina vidimus Cercopithecum excuſum e lapide, qui ſimilis eſt porphyriti viridi, cujus ectypa pag. 161. hujus voluminis conſpicitur delineatio. Hujus meminit Lucianus (6), & Juvenalis dicens (7):

Effigies ſacri nitet aurea Cercopitheci.

Y & Pru-

(1) Rhodig. libr. 4. cap. 16.
(2) Ruf. ibid. ex Euſeb.
(3) Aldrov. *Statue di Roma* pag. 236.
(4) Idem ibid. pag. 203.
(5) Apul. Met. libr. XI. pag. 368.
(6) Lucian. in Concil. deor.
(7) Juven. Sat. 15. v. 4.

& Prudentius (1) alludens ad vocis etymon a verbo Græco κέρκος, quod caudam ſignificat, & a πίθεκος, quod ſimiam ſonat, ait:

Iſis enim, & Serapis, & grandi SIMIA CAUDA.

Idem de more lotum capite geſtat, nec non ornamentum plane ſimile illi, quo caput Cynocephalo ornatur, ut videre eſt in tabula Iſiaca litteris FF. quem Pignoria (2) exiſtimare videtur minime a Cercopitheco differre. Horoapollus (3) vocat hunc ornatum βασίλειον, ac lunam exorientem denotare putat; verum multo rectius credere par eſt, illud regium ornamentum eſſe, quod etiam ante hæc tempora numinibus tribuebatur, quodque nimbus a Latinis appellatum eſt.

T. LXXXV. Exhibet præterea Tab. LXXXV. Anubin, qui, teſte Plutarcho (4), filius habebatur Typhonis, canino capite effictus, baculum ſiniſtra, cui ſerpens circumvolvitur, & ſiſtrum dextra geſtans. Quare ad ipſum reſpexiſſe videtur Lucanus (5) dicens:

SEMICANESQUE deos, & ſiſtra moventia luctum:

& Sedulius (6) eum appellat *ſemihominem canem*. Idcirco a Tertulliano (7), & Minutio Felice (8) Cynocephalus nominatur, quia caput habet caninum, ut in hac noſtra ſtatua apparet; licet Pignoria (9) arbitretur, non proprie ſic illum appellatum; nam Anubis ex Diodori (10) ſententia vere filius Oſiridis, ea de cauſa in hunc modum expreſſus fuit, quod plurimum cane uteretur, & canina pelle tectus ad bella procederet. En Diodori Siculi verba: Τῷ δ᾽ οὖν Ὀσίριδι συνεστρατεῦσθαι δύο λέγουσιν γοὺς, Ἀνουβίν τε, καὶ Μακεδόνα, διαφέροντας ἀνδρείᾳ. ἀμφοτέρους δὲ χρήσασθαι τοῖς ἐπισημοτάτοις ὅπλοις ἀπὸ τινῶν ζώων, οὐκ ἀνοικείων τῇ περὶ αὐτοὺς εὐτολμίᾳ. Τὸν μὲν γὰρ Ἄνουβιν περιθέσθαι κυνῆν, τὸν δὲ Μακεδόνα λύκου προτομὰν· ἀφ᾽ ἧς αἰτίας καὶ τὰ ζῶα ταῦτα τιμηθῆναι παρὰ τοῖς Αἰγυπτίοις. *Cum Oſiride ajunt duos* (Filios) *militatum profectos eſſe, Anubim, & Macedonem fortitudine præſtantes viros; qui ex belluis, ab audacia ipſorum non abnuentibus, armaturas maxime inſignes geſtarunt. Anubidi etiam ex pelle canina, Macedoni ex lupi corio tegumentum erat. Quam ob cauſam hæ beſtiæ religioſe ab Aegyptiis coluntur.* Addit præterea canem fuiſse cuſtodem tum illius, tum Iſidis, unde factum fuit, quod ea forma repræſentaretur; vel ex aliorum opinione, quia canes, tunc quum Iſis lacera Oſiridis membra perquirebat, canes ei duces, ac ſubſidio fuere in hujuſmodi veſtigatione (11). Secus narrat Lucianus (12), qui ait Mercurium Iſidi præiviſse, dum illa in Ægyptum conceſſit, ac tum ejus faciem, antea decoram, in formam caninam immutatam fuiſse, quapropter illum appellat *cynoproſopon* (13). Hinc profectum eſt uſitatum illud Anubis ἐπίθητον, ſcilicet *latrator*; quia, ut ait Plutarchus (14), deos defendebat eo modo, quo canes homi-

(1) Prudent. contra Symm. libr. 2. v. 868.
(2) Pign. Menſ. Iſ. pag. 45.
(3) Horoap. Hierogl. libr. 1. cap. 15.
(4) Plut. De Iſide, & Oſir.
(5) Lucan libr. 8. v. 832.
(6) Sedul. libr. 1. v. 231.
(7) Tertull. Apolog. cap. 6.
(8) Min. Felix pag. 196. edit. Gronovii.
(9) Pign. ibid. pag 62. & 63.
(10) Diodor. Sicul. libr. 1. num. 18. pag. 15. edit. 160
(11) Idem ibid. pag. 77.
(12) Lucian. tom. 1. in Deor. dialog. 3.
(13) Idem De ſacrific. tom. 1. num. 14.
(14) Plutarch. ibid. pag. 356.

homines defendunt: qua de cauſa fortaſse ei locus erat in templis, ut refert Horoapollus (1), unde & dictus σωματοφύλαξ. Præterea idem ſonat nomen canis, ac cuſtodis, ut Voſſius (2) advertit. Innuit hanc Mercurii metamorphoſin ſerpens advolutus baculo, quem numen manu tenet, quum hic exprimat κηρυκεῖον, vel caduceum, inſigne Mercurii peculiare.

Quare ſenſus myſticus, quem de Anubi adducit Rhodiginus, omnino ſupervacaneus apparet, qui illum ita exponit (3): *Qui autem in meditullio utriuſque orizon eſt, dicatur Anubis, quem canina facie deformant, ex animalis natura, quod interdiu, noctuque oculis utatur æque.* Verum his ἀλληγορίαις favere quodammodo videtur vetus cippus apud Gruterum (4), in quo inſpicitur hoc numen canino capite, pede crocodilum premens, dextra ſphæram cum circulis meridianis & zonis, aliaque ſymbola tenens. Reſpexit fortaſse ad hæc monſtroſa numina Seneca in opere *De ſuperſtitione*, cujus jacturam nunquam ſatis deplorare poſsumus, cujuſque memoriam nobis s. Auguſtinus ſervavit (5). En ipſius Senecæ verba: *Sacros, immortales, inviolabiles in materia viliſſima, atque immobili dedicant. Habitus illis hominum FERARVMQUE ET PISCIVM, quidam vero MIXTO SEXV diverſis corporibus induunt: NVMINA vocant, quæ ſi ſpiritu accepto ſubito occurrerent, MONSTRA haberentur.* Sciendum eſt ex Plutarchi, & Heliodori ſententia (6), duplicem Ægyptiorum fuiſſe ſapientiam, alteram vulgarem rudi populo accommodatam, quæ tota implicita fabulis, & extrinſecus monſtroſa, & futilis erat; alteram veram, & firmam, quæ tota honeſtatem, atque humani generis utilitatem ſpectabat.

Siſtrum, quod dextra tenet, erat inſtrumentum muſicum commune in univerſa Ægypto; quapropter Ovidius cecinit (7):

Ecquis ita eſt audax, ut limine cogat abire
Jactantem Pharia tinnula ſiſtra manu?

& Apulejus (8) memorat *ſiſtra Phariaca*, & Auſonius (9) *Mareotica*, & Martianus Capella (10) *Niliaca*. Quod vero ſiſtrum dextra teneretur, teſtatur idem Apulejus inquiens (11): *Sacerdos in ipſo procinctu pompæ roſeam manu DEXTRA, SISTRO cohærentem, geſtabat coronam.* Et paulo poſt: *DEXTRA proferens SISTRUM Deæ.* De hoc interim plura non addam, quum copioſe de eo ſcripſerint plurimi Viri Clariſſimi, ac præſertim P. Abbas Bacchinius (12), & Eques Maffejus (13). Vide ſis etiam Muſeum Romanum (14), ubi tria ejus extant diagrammata, quo loco etiam multis verbis de hoc muſices inſtrumento diſseritur.

 Idem

(1) Horoap. libr. 1. cap. 34.
(2) Voſſ. Inſt. orat. libr. 4. cap. 6. ſect. 3.
(3) Rhodig. libr. 5. cap. 12.
(4) Grut. Inſcript. pag. 1074.
(5) S. Auguſt. De C. D. libr. 6. cap. 10.
(6) Plut. ib. pag. 358. Heliod. cap. 9.
(7) Ovid. De Ponto libr. 1. eleg. 1. v. 37.
(8) Apul. ibid. libr. 2. pag. 64.
(9) Auſon. Epiſt. 25.
(10) Mart. Capell. libr. 2. pag. 41. edit. Grotii.
(11) Apul. ibid. libr. XI. pag. 363. & ſeq.
(12) Vide tom. 6. pag. 400. Antiq. Roman. Grævii.
(13) Maff. *Raccolt. ſtat.* num. 143.
(14) Muſ. Rom. ſect. 3. tab. 15. 16. 17.

Idem amicitur brevi tunica, quæ ad latera cingitur; necnon chlamyde vel ſago ei tranſverſe injecto ab humero dextro uſque ad brachium ſiniſtrum. Cothurnis inſiſtit, ligamento nexis ab imo uſque ad ſummum. Pone habet truncum palmæ, quæ communis eſt omnibus fere ſtatuis Ægyptiis, quæ regio, uti diximus, plurimum illo arboris genere abundat.

T.LXXXIII. Tab. LXXXIII. exhibet duorum numinum capita ſimul unita, quæ fortaſſe ſunt Apidis, & Iſidis. Inſiſtunt baſi, quæ loti florem majori forma repræſentat. Hæc ex marmore nigro exculpta eſt, uti ſunt bina capita inſtar hermæ, ſi excipias cornua Apidis, bovina facie expreſſi, quæ ad album accedunt. Lotus, ut refert Herodotus (1), eſt plantæ genus, quo in cibum utuntur Gindani, ea de cauſa Lotophagi dicti. Ejus fructus ſimilis fructui lentiſci; loti vero guſtus ſuavis, ceu fructus palmæ, ex quo incolæ conficiunt vinum. Alibi etiam (2) idem lotus deſcribitur ab eodem Herodoto, qui narrat Ægyptios ad victum ſibi procurandum modum hunc excogitaſſe admodum facilem; eo nimirum tempore, quo Aegyptus Nili aquis ſubmerſa jacet, quum in illis magna liliorum vis naſcatur, florem hunc lotum appellant, eum legunt, atque in ſole ſiccant, ac ſumpta ejus medulla, quæ inſtar eſt papaveris, ipſam coquunt, & panem ex ea conficiunt. Hæc planta viſitur in quodam fictili, & anaglypho opere noſtri Muſei, quod delineatum

T. XC. damus in Tab. XC. ubi ab aquis exſurgunt variæ hujuſmodi plantæ majoris, vel minoris magnitudinis, ac ſuis floribus ornatæ. Idem Herodotus (3) memorat etiam lotum Cyrenæum, de quo ſcribit: Τὸ δάκρυον κόμμι ἐστί: *lacryma eſt gummi*.

Quod vero loto inſideant bina hæc numina, ex Jamblici ſententia (4), obſcura quadam ratione ſignificatur eorum dignitas, ac poteſtas. Ut vero ad Apin deſcendamus bovina forma præditum, ſi credimus Herodoto (5); notum eſt Apin, qui etiam dicitur Epaphus, fuiſſe juvencum e vacca natum, quæ eum icta fulmine peperit. Signa quibus diſtinguebatur hic Apis, erant pili admodum nigri, & macula alba quadratæ formæ in fronte. In dorſo aquilæ effigiem habebat, in cauda duplices pilos, & in lingua ſcarabæum, ac Memphi ejus erat ſtabulum. Sæpe expreſſus cernitur in Tabula Iſiaca, quapropter confirmans, quæ Pignoria (6) de hoc ridiculo Deo refert, nullum verbum addam; niſi ipſum etiam a rege Cambyſe illuſum fuiſſe, qui eum quoque necari juſſit. Hebræi quando in deſerto ex auro conflarunt vitulum, eumque venerati ſunt (7), puto ſpectaſse ad hoc numen, ut omnes Exodi interpretes ſentiunt, iis præeuntibus ss. Ambroſio (8), ac Auguſtino (9). Quin immo Patres (10), & præſertim s. Ambroſius

(1) Herod. libr. 4. num. 177.
(2) Idem Herodot. libr. 2. num 92.
(3) Herodot libr. 2. num. 96.
(4) Jambl. ſect. 7. cap. 2.
(5) Herodot. libr. 3. num. 28.
(6) Pign. Tab. Iſiac. pag 45.
(7) Exod. cap. 32.
(8) S. Ambroſ. ep. 66.
(9) S. Aug. contra Fauſt. libr. 22 cap. 93.
(10) S. Hieron. in cap. 4. Oſeæ.

ſius (1) in ea ſunt ſententia, nihil aliud Aron efformaſse quam caput bovis, & non totum corpus; quum in more poſitum fuerit, numina repræſentare beluæ capite, nec Iſidem tantummodo, uti diximus, ſed alia complurima, teſte Porphyrio (2), ut expreſsus eſt Anubis noſtri Muſei Tab. LXXXV. T. LXXXV.

Obverſum vero caput Iſidem repræſentare autumo, de qua alibi, quantum par erat, loquuti ſumus. Vide ſis etiam ea, quæ adnotavimus ad Tabulam LXXIII.

Neque etiam a vero abhorreret, ſi quis dixerit, hoc caput effigiem Oſiridis præferre, cornutum vero Iſidis, ait enim Herodotus (3): Τὸ γὰρ τῆς Ἴσιος ἄγαλμα ἐὸν γυναικήιον βούκερών ἐστι, κατάπερ Ἕλληνες τὴν Ἰοῦν γράφουσι. *Iſidis ſimulacrum muliebre cornua bovis habet, eo modo quo Græci Jo pingunt*. Sed noſter hic herma ubera habet, quæ magis feminam, quam virum decent.

Binæ integræ Iſidis ſtatuæ non Romani artificii, neque e marmore Pario, ut illa cujus graphis proſtat in Tab. LXXIII., ſed opere Aegyptio, & e lapide Numidico, vulgo *granito*, nigri coloris extant in noſtro Muſeo, quarum delineationem damus in Tab. LXXVI. & LXXVII. Ambæ naturæ modum paululum excedunt, & quamvis extima earum delineatio omnino perfecta ſit, ſunt tamen nova admodum, & inſolita forma effictæ. Illarum prima veſtem habet, qua a collo uſque ad manuum pulſus plane obtegitur, quæque uſque ad pedes deſcendit. Hæc autem admodum a vero diſcrepat, ſiquidem ita corpori adhæret, ut dea plane nuda videatur. Hujus veſtis ora circa collum, & circa manus eleganter ornatur fimbriis perforatis. Ipſa dea caput habet turritum, uti Cybele; *cui* T. LXXVI. Et LXXVII.

Muralique caput ſummum cinxere corona
Eximiis munita locis, quod ſuſtinet urbes;

quemadmodum de Cerere cecinit Lucretius (4); hæc enim numina Terram deſignant, quæ reapſe ab Iſide non differt, uti ſcimus ex Servio (5), Macrobio (6), & Iſidoro (7), qui ſcribit: *Iſis lingua Aegyptiorum eſt TERRA*: & Macrobius (8) addit ſumptam etiam fuiſſe pro rerum Natura: *Iſis juncta religione celebratur, quæ eſt vel TERRA, vel NATVRA RERVM ſubjacens Soli; hinc eſt, quod continuatis uberibus corpus deæ omne denſetur; quia Terræ, vel rerum Naturæ altu nutritur univerſitas*. Idcirco Iſis, ſicuti diximus, ab Herodoto (9), Plutarcho (10), & Cedreno (11) credita eſt eamdem eſſe ac Cererem, quia, ex teſtimonio s. Auguſtini (12), Ethnici, *quandoquidem etiam Matrem Magnam eamdem Cererem volunt, quam nihil aliud dicunt eſſe quam TERRAM*. Hac de

(1) S. Ambroſ. ibid.
(2) Porphyr. De abſtin. libr. 1. ſect. 49.
(3) Herod. libr. 2. num. 41.
(4) Lucret. libr. 2. verſ. 606.
(5) Serv. ad Aen. libr. 8. v. 696.
(6) Macrob. Saturn. libr. 1. cap. 20. & 21.
(7) Iſidor. Etymolog. libr. 8. cap. XI.
(8) Macrob. ibid. cap. 20. in fine.
(9) Herod. ibid.
(10) Plutarch. De Iſide pag. 372.
(11) Cedren. pag. 23. edition. Regiæ.
(12) S. Auguſt. De C. D. libr. 7. cap. 16.

de cauſa tota uberibus obtecta repræſentabatur, vel ſi duobus, ut fert natura, illa admodum eminentia, atque exuberantia erant, ut videre eſt in ſtatuis noſtri Muſei.

T. LXXVI. Capitis etiam ornatu ſtatua Tab. LXXVI. ſingulari decoratur, quum ſimilis ſit magno cuidam cucullo; quo caput circumdatur ultra humeros, ut nil niſi vultus extrema conſpici queant. Iſtiuſmodi cucullus e foliis palmæ contextus videtur, nec diſcrepat a nonnullis figuris Tabulæ Isiacæ: nisi fortaſſe is pinnis compactus ſit, qualem capite geſtat Isis illa, quæ littera Z notatur in ipſamet Tabula, & in additamento explicationi laudati Pignoriæ appoſito, ubi ſigillum Isidis in capite habet pinnas gallinæ Numidicæ guttatæ. Dextra neſcio quod inſtrumentum præfert simile illi, quod T. LXXVII. manu geſtat alia Isidis ſtatua e baſalte, quæ visitur in noſtro Canopi cubiculo, quæque expreſſa eſt in Tabula LXXVII. De hiſce inſtrumentis, quorum uſus erat in ſacrificiis, quæque aliquid myſtici denotabant, quum ſatis ſuperque loquuti sint Pignoria (1), & P. Chircherius (2), actum non agam, eoque magis quod hæc in incerto verſentur. Giraldus (3) in ea eſt opinione, illud, quod in manu hujus simulacri cernimus, inſtrumentum novaculam repræſentare & idcirco Isidi datum eſſe, quod *ejus ſacerdotes cunctis abraſis corporis pilis, & virilibus præciſis eidem miniſtrent*. Quod autem apparet in ma- TT. LXXX. Et LXXXI. nibus ſacerdotum Tabb. LXXX. & LXXXI. quodque ſimilitudinem habet cum Tau Græcorum, ſatis, ſuperque enarrat idem Pignoria (4).

Manu siniſtra flagellum tenet, quod fortaſſe innuit conſuetudinem, quæ vigebat apud Aegyptios ſe ipſos flagellandi, de qua hæc narrat Herodotus (5). Peracto ſacrificio magnum virorum, ac mulierum numerum, puta decem mille, ſe flagris cædunt, & quod ipsi cædant, mihi non licet, inquit, apertum facere. Idem alibi eadem iterum narrat, atque præſertim addit, ipſos id moris habuiſſe, quando mortui ad ſepulchrum a conjunctioribus propinquis deducebantur, hominibus ſe ipſos ex una parte flagellantibus, ex altera mulieribus pectore detecto, & veſte ſuccincta. Hac autem ſuperſtitionis plena, & maxime ridicula pompa Isis filium ſuum lugens repræſentabatur, ut inquit Minutius Felix (6): *Iſis perditum filium cum cynocephalo ſuo, & calvis ſacerdotibus luget*. De hac loquitur etiam memoratus Apulejus (7). Triplex quoque flagellum visitur in quibuſdam simbolis incisis circum vasis oram, quod extabat in muſeo Ducis Sully, quodque ex Aegypto Pariſios miſit P. Sichardo, & P. Martinius typis vulgavit in explicatione plurium monumentorum ſingularium; quamvis, neſcio an errore deceptus, dicat in funeribus viros tantum ſe flagellaſſe. En ejus verba (8): *Les Egyptiens ſe foüettoient*

(1) Pign. Menſ. Iſ. pag. 17. & 18.
(2) P. Chirch. Oedip. Ægypt. ſynt. 3.
(3) Giraldus Syntagm. deor. 12.
(4) Pign. ibid. pag. 17.
(5) Herodot. libr. 2. num. 61. & 85.
(6) Min. Felix pag. 195. edit. Granov.
(7) Apul. Metam. libr. 8. pag. 262.
(8) P. Martin. *Explicat. monum.* pag. 153.

ent encore dans le deuil; car tandis que les femmes couroient la ville le ſein decouvert, la tete, & le viſage charge de boue, & jettant des gemiſſemens; les hommes à demi-nuds alloient dans les rues en ſe dechirant à coups de fouets. Quod minime convenire videtur cum citatis verbis Herodoti.

Alia hic proſtat ſtatua item e lapide Numidico rubei coloris, quæ pariter naturæ modum excedit, eodemque modo amicta, ut nuda eſſe videatur; veſtitus enim ita efformatus eſt, *ut adhærens preſſule, membrorum voluptatem graphice laciniaret*, ut ipſum deſcribit Apulejus (1), vel quem nobis exhibuit Cornelius Tacitus (2): *Locupletiſſimi veſte diſtinguntur, non fluitante, ſed STRICTA, & ſingulos artus exprimente.* Eadem ſymbola geſtat, ac præcedens, præterquam quod ferula, quam ſiniſtra tenebat, fracta eſt, ac detrita, ut ejus tantum pars appareat, quæ in pugno continetur. T. LXXVII.

Ambo hæc ſigna in parte poſteriore faſciam habent in ipſo marmore exſculptam, cui veluti paraſtatæ innituntur, & in eadem faſcia cælati conſpiciuntur hieroglyphici caracteres, quos incidendos curavimus a latere ſtatuarum. Quid autem ſibi velint, incertum eſt, quamvis de iis ex veteribus nonnulla ſcripſerit Horoapollus, & Ammianus Marcellinus & ex recentioribus Petrus Valerianus, & copioſe magis P. Chircherius in ſuo Oedipo Aegyptio, in quo magis elaboraſſe apparet, quam rem acu attigiſſe. Idem dici poteſt de P. Melchiore Briga S. J. qui hujus faſciæ enarrationem adornavit, eamque Cardinali Tolomæo dedicavit. Pater etiam D. Martinius, de quo paulo ſupra mentionem fecimus, tentavit, an interpretaretur plurimos ex his caracteribus, quod majore brevitate perfecit, at probabilioribus indiciis, ac magis ſtabili veritatis fundamento. Vide ſis Plutarchum, qui plurimos ex his myſticis caracteribus illuſtrat, quos puto ſacras litteras appellatas ab Herodoto (3), quæque a popularibus differunt. Ceteræ omnes noſtri Muſei figuræ ad religionem Aegyptiorum ſpectantes nullam habent hujuſmodi notam.

Iſis e marmore ſubnigro renidenti, quod parum diſtat ab eo marmore, quod vulgo *bardiglio* appellatur, cujus ectypum damus in Tabula LXXX. promiſſos, & intortos habet capillos, nam eam cincinnatam fuiſſe fingebant illius cultores, adeo ut in ipſius feſtis mulieres quædam, ut refert Apuleius (4), variis geſtibus ipſam pectere ſimularent: *Quæ pectines eburneos ferentes, geſtu brachiorum, flexuque digitorum, ornatum, atque oppexum crinium regalium fingerent.* Quod fieri item conſueviſſe in feſtis Junonis, & Minervæ teſtatur Auguſtinus (5). Veſte etiam ampliore, vel tunica diſcincta induitur, qualem his verbis deſcripſit idem Apulejus (6): *Crines UBERRIMI, prolixique, & ſenſim INTORTI per divina colla, paſſive DISPERSI MOLLITER DEFLUE-*

(1) Apul. ibid. libr. 10. pag. 347.
(2) Corn. Tac. De mor. German.
(3) Herod. libr. 2. num. 36.
(4) Apul. Met. libr. XI.
(5) S. Auguſt. De C. D. libr. 6. cap. 10.
(6) Apul. ibid. in princ. libr. XI.

FLUEBANT &c. Multicolor byſſo tenui pertexta &c. Palla nigerrima SPLENDESCENS ATRO NITORE. Niger hic color ex Plutarchi ſententia (1) Lunæ occultationem ſignificabat, quæ ab Iſide non differt. Caput nullo operimento, aut ſolito ornatu obtegitur, ſecus ac ceteræ ejus ſtatuæ, quæ omnes habent calanticam pileolo ſimilem, quæ capiti adhæret, & qua pars ſuperior frontis operitur, cui binæ teniæ appenſæ in pectus decidunt, de quibus Herodotus (2), & ut videre eſt
T.LXXXIV. etiam in Tab. LXXXIV. quare dubitem, illam potius Iſidem, quam aliquem ejus ſacerdotem exhibere.

Verum Plutarchus (3) inſuper narrat, Horum e capite Isidis abſtuliſſe regium ornatum, ac proinde: Ἑρμῆν δὲ περιθεῖναι βούκρανον αὐτῇ κράνος. *Mercurium Iſidi galeam e bovis factam capite impoſuiſſe.* Hæc autem calantica triplices habet tænias, ut ex eo apparet, quod una sit longior altera, binæ vero breviores ſunt, quæ ad tempora tantum deſcendunt. De his pileis ſacerdotum, plura qui velit ſcire, adeat Pignoriam, qui de iis ſcripsit (4), adeo ut ſupervacaneum sit aliquid addere. Sane nullo ſymbolo ornatur hæc ſtatua, quod ad hoc numen ſpectet, nam folium, quod siniſtra tenet, eſt nimis ambiguum; nisi fortaſſe siniſtra siſtrum, vel ferulam ſtrinxiſſet ad depellendos malos Genios. Plurimis profecto formis exprimebatur Iſis, ut difficile sit quid certi de hoc conjectura aſſequi. Extat in Muſeo Romano (5) hujus deæ caput monili ornatum, & velo ſtellato: & alibi (6) in ipſo Muſeo visitur integra ipsius figura ab imis unguibus uſque ad verticem faſcia obvoluta.

T.LXXXVI. Simulacrum e baſalte Tabulæ LXXXVI. naturæ modum non adæquat, & capite geſtat pileum, ex quo dependent duæ magnæ, & latæ tæniæ, & in media fronte florem habet loti, quo ornatæ conſpiciuntur plurimæ ex his ſtatuis, ſed in memorato Muſeo Romano habetur pro illo herbæ genere, quæ vulgo *perſa* appellatur, ſeu amaracus. Pileus ſimillimus eſt illi, quem vidimus in Tabula LXXV. dei Averrunci, eſtque fortaſſe velum ſacrum, quod credibile eſt, efformatum fuiſſe e foliis palmæ, vel alterius plantæ. Neque profecto a vero abhorreret, ſi quis dixerit hoc ſignum Averruncum numen repræſentare, eoque magis quod impugnare videtur baculum unaquaque manu. Nec mirum eſt inter figuras Aegyptias reperiri hujuſmodi numina, nam Isis ipſa inter deos Averruncos recenſebatur, uti opinatur Chircherius (7). Sacerdotem etiam exhibere hoc ſignum poſſet, nam ſacerdotes, teſte Herodoto (8), dum ſacra operabantur, manu baculum tenebant, quo etiam templi januis adſtabant, cujus rei ipſe cauſam adfert.

(margin, beside "racus. Pileus ſimillimus…"): T.LXXV.

Tabu-

(1) Plutarch. De Iſide pag. 368.
(2) Herodot. libr. 2 num. 36.
(3) Plutarch. ibid. 358.
(4) Pignor. ibid.
(5) Cauſſ. Muſ. Rom. ſect. 1. num. 3.
(6) Idem ſect. 1. num. 33.
(7) P. Chirch. Oedip. Ægypt. tom. 3. pag. 487. & 490.
(8) Herod. libr. 2. num. 63.

Tabula LXXXVII. itidem ſacerdotem exhibet e nigro marmore, eaque ſtatura, quæ naturalem modum non attingit. Prorſus nudus eſt, ac tantum ſub collo habet latam panni vittam, quæ per humeros deſcendit. Illi fortaſſe appendebant ſimulacrum alicujus numinis, dum illud in publicis ſupplicationibus portarent, quas Aegyptii inveniſſe creduntur, & a quibus ad Græcos tranſierunt, ut ex ipſo Herodoto (1) ſcimus, qui earum etiam originem narrat. Hinc Lampridius (2) de Commodo ſcribit, ipſum portaſſe deum Anubim in pompa, ejuſque ore valide percuſſiſſe caput ſacerdotum: *Quum Anubin portaret, capita Iſiacorum obtundebat ore ſimulacri.* Ex his pompis unam legere eſt in Apulejo (3), qui fuſe, omnique ex parte ipſam deſcribit, in qua horum ſacerdotum unus inter ceteros: *Gerebat felici ſuo gremio ſummi numinis venerandam effigiem.* Clemens quoque Alexandrinus (4), & s. Epiphanius (5) teſtes hujus pompæ eſſe poſſunt. Omnibus notum eſt ex Plutarcho (6), & Luciano (7), noſque alibi innuimus, inter myſticas res huic numini dicatas locum habuiſſe vas illud, quod dicebatur *ſitula*, quodque ſtatuæ Ægyptiæ manu tenent, perinde ac noſter hic ſacerdos. Interdum erat leve, & minime cælatum, interdum in eo incidebantur plurimæ notæ ſacræ; ut in memorato, quod egregie illuſtravit P. Martinius. Simile huic illud erat, de quo ipſe Apulejus loquitur in citato loco, dicens: *Sed & ad iſtum plane modum fulgente auro FIGURATA URNULA, faberrime cavata, fundo quamrotundo, miris extrinſecus SIMULACRIS AEGYPTIORUM EFFIGIATA.* T.LXXXVII

Iſtiuſmodi vas replebatur aqua pura, qua ſacerdotes aſpergebantur, quæ ne ſordibus, vel veneno infecta, ſed limpida eſſet, atque ſalubris, inde hauriebatur, unde bibiſſet avis Ibis, qui nonniſi puram defæcatamque guſtabat: haec omnia ex Æliano (8) colliguntur. Cœlius Rhodiginus (9) hujus vaſis geſtandi rationem affert: *Qui ſacerdotia gerunt moribus Aegyptiorum, oſtendunt res omnes e liquoris poteſtate conſiſtere, quum HYDRIA AD TEMPLUM caſta religione PRAEFERUNT.* Clemens Alexandrinus (10) recenſet in quinta claſſe hos ſacerdotes, quos appellat prophetas, quo etiam nomine Macrobius (11) eos donavit, qui hujuſmodi ferebant vaſculum. Plutarchus (12) hoc ante Oſirim geſtari ſolitum fuiſſe narrat; atque ipſum deſignare humiditatem docet. Et quamvis Macrobius dicat (13): *Nec in occulto eſt, neque aliud eſſe Oſirim quam Solem*, attamen ipſe in fine ejuſdem capitis ſubdit: *Aquarius nonne ipſam vim Solis oſtendit? unde enim imber caderet in terras, niſi Solis calor ad ſupera traheret humorem, cujus refuſio pluvialis eſt*

(1) Herod. libr.2.num.58.
(2) Lamprid. in Commod. pag. 49.
(3) Apul. ibid. libr. xi. poſt initium.
(4) Clem. Alex. Strom. libr. 6. pag. 269.
(5) S. Epiph. De hær. libr. 3. cap. 11. & 12.
(6) Plutarch. ibid.
(7) Lucian. De dea Syria.
(8) Ælian. De anim. libr. 7. cap. 45. & Plut. De ſolert. anim. pag. 974. & De Iſide pag. 381.
(9) Cœl. Rhodig. libr. 27. cap. 47.
(10) Clem. Alex. Strom. libr. 6. pag. 269.
(11) Macrob. libr. 7. cap. 13.
(12) Plut. De Iſide pag. 364. & 365.
(13) Macrob, Saturn. libr. 1. cap. 21.

eſt copia? Præterea Oſiris pro flumine etiam Nilo ſumebatur (1). Illud certum eſt, Iſidem myſtice humorem denotaſſe, ut bene de ipſa ſcripſerit Apulejus (2): *Udis ignibus nutriens læta ſemina*; quapropter Isiaci in ſuis myſteriis ſemper ad aquam, & humorem alludebant. Non abs re eſſet etiam credere, quod noſter ſacerdos in hujuſcemodi vaſe deferret lac ad offerendum, & libandum in ſacrificiis, nam idem Apulejus ait: *Gerebat & aureum vaſculum in modum papillæ rotundatum, de quo LACTE LIBABAT*. Tritici etiam, & hordei plenum aliquando erat, ut Diodorus (3) ait: Πυθμένας πυρῶν καὶ κριθῶν. quod ſis frugum etiam dea haberetur.

T.LXXXVIII Non ſemper nudi incedebant ſacerdotes Ægyptii, ut hic noſter; quin immo ſcimus lineis veſtibus uſos fuiſſe, quum ſibi religioni ducerent pelliceas, vel laneas induere (4). Itaque a vertice uſque ad pedes ſacerdos Tab. LXXXVIII. plane veſtitus apparet. Hæc veſtis conſtat tantum ex tunica, quæ corpori adhæret, quæque eum obtegit a collo uſque ad talos. Hujuſmodi tunicæ interdum nullis fimbriis ornabantur, ut hæc noſtra; quum autem illas fimbriæ ambirent, *calaſares* vel *calaſires* appellabantur, teſte Polluce (5): Καλάσαρις χιτὼν θυσανωτὸς Αἰγύπτιος. ἔστι δὲ καὶ ὁ φώσων Αἰγύπτιος ἐκ παχέος λίνου. *Calaſaris tunica fimbriata Aegyptiaca eſt: eſt & phoſon Aegyptiaca e lino denſo*. Quid vero eſſet linum denſum, docet idem auctor (6). Quod vero hujuſmodi tunicæ prolixæ, & anguſtæ eſſent, teſtatur his verbis Apulejus (7): *Antiſtites ſacrorum proceres illi, qui candido linteamine cinctum pectorale ADUSQUE VESTIGIA STRICTIM INIECTI &c.*

T.LXXXVII. Sacerdos omnino nudus Tabulæ ſuperioris LXXXVII. innuit fortaſſe morem illorum ſæpiſſime balnea adeundi, narrat enim Herodotus (8), ipſos conſueviſſe bis in ſingulas noctes, & bis in diem ſe aqua frigida abluere.

Non ſolum hic ſacerdos, ſed multa Aegyptia ſimulacra, & præſertim Iſidis, tum in noſtris Tabulis, & in multis monumentis Aegyptiis, quæ paulo ſupra citavimus, tum in tabula Iſiaca, junctis, & ſimul unitis pedibus aſpiciuntur, idque ea de cauſa, uti narrat Eudoxus apud Plutarchum (9), quod quum Juppiter pedibus ita conjunctis natus eſſet, ut eos movere non poſſet, Iſidis opera ipſos disjungere incœpit. Herodotus etiam (10), & Heliodorus (11) meminerunt horum numinum Aegyptiorum, quæ pedes adeo ſimul unitos habebant, ut eorum diviſio haud facile dignoſci poſſet. Horoapollus vero ait (12), pedes hoc modo conjunctos ſignificare hyemale ſolſtitium. Mi-

(1) Plutarch. ibid. pag. 363.
(2) Apul. ibid. libr. XI. in princ.
(3) Diod. Sic. libr. I. num. 14.,
(4) Plut. ibid. pag. 352.
(5) Poll. libr. 7. cap. 16. Segm. 71. Herod. l. 1. n. 81.
(6) Idem ibid. cap. 17. Segm. 75. & 76.
(7) Apul. ibid. libr. XI. pag. 372.
(8) Herodot. libr. 2. num. 37.
(9) Plut. ibid. pag. 376. V. Pignor. ibid. pag. 50. 52. & 53.
(10) Herod. libr. 2.
(11) Heliod. Æthiop. libr. 3. V. Chirch. ibid. tom. 3. pag. 222.
(12) Horoap. Hierogl. libr. 2. cap. 3.

Mirum non eſt, ſi ſacerdotes ſculpti e baſalte, quorum delineationem dedimus in tribus tabulis L*XXX*VII. LXXXVIII. L*XXX*IX. omnes viri ſint, quum teſte Herodoto (1) mulieres ſacerdotio inſignire apud Aegyptios in more non fuerit. Omnes caput habent abraſum: ſiquidem idem auctor admonet, alibi quidem ſacerdotes comatos fuiſſe, ſed non in Aegypto; quare Lampridius (2) de Commodo ſcribit: *Sacra Iſidis coluit, ut & CAPUT RADERET, & Anubin portaret.* Id in cauſa fuiſſe puto, quia vulgaris uſus illius regionis erat, ut in obitu cujuslibet, ii, qui cum mortuo aliquo propinquitatis vinculo jungerentur, caput abraderent. Quare Iſidis ſacerdotes, quum in ſuis ſacris Oſiridis memorarent interitum, & ad eum multa referrent, ſibi caput abradere cogebantur. Meam hanc conjecturam confirmare videtur Julius Firmicus (3), qui de iiſdem ſacerdotibus ſcribit: *In adytis habent idolum Oſiridis ſepultum: hoc annuis luctibus plangunt: radunt capita, ut miſerandum caſum regis ſui turpitudine dehoneſtati defleant capitis.* Id ipſum ex eo etiam confirmatur, quod legitur apud Plutarchum (4), ſcilicet ſacerdotes Ægyptios lugentes ſacrificaſſe, & ſi quid adverſi eis accideret, caput raſiſſe. Quare de ipſis ait Martialis (5): T.LXXXVII. & ſeqq.

Linigeri fugiunt CALVI, ſiſtrataque turba,

quos ita ea de cauſa appellat, quod adeo funditus ſibi crines raderent, ut calvi viderentur; ut ex his Apuleii verbis (6) colligitur: *Hi capillum deraſi FUNDITUS*; ſed clarius ex Herodoto (7), qui narrat, tribus quibuſque diebus ipſos caput tondere ad cutem conſueviſſe. In ſtatuis Tabb. LXXXVIII. & LXXXIX. id expreſſe non apparet, quia caput habent velatum; attamen hoc videre eſt in ſtatua Tab. LXXXVII. Paulo aliter idem refert Minutius Felix (8): *Iſis perditum filium cum Cynocephalo ſuo, & calvis ſacerdotibus luget.* Vide ſis quoque Pignoriam (9), qui fuſe de hac re agit, rationem afferens ex Plutarcho, aliiſque veteribus auctoribus. T.LXXXVIII. & LXXXIX. T.LXXXVII.

Tabula L*XXX*IX ſacerdotem pariter Ægyptium exhibet, ambabus manibus capſulam tenentem, vel librum (nam non bene diſcernitur) quem brachiis ſuſtinet, perinde ac ſi eum populo oſtenderet, vel geſtaret in aliqua ex iis pompis, quarum unam P. Chircherius (10) agnovit in baſi ex lapide Numidico villæ Mediceæ, noſque alibi typis dedimus (11): alia pariter forte expreſſa eſt in baſi ingentis vaſis e marmore Pario in noſtro Muſeo exiſtentis, cui in tomo ſequenti ſuus erit locus. Non abs re eſſet, ſi hæc arca vel capſula eadem illa eſſet, in qua Typhon reperit corpus Oſiridis, dum ipſe luna plena venatum iret. En verba Plutarchi (12), ex quo hanc notitiam hauſi: T.LXXXIX.

(1) Herod. libr. 2. num. 35.
(2) Lamprid. in Commod. pag. 49.
(3) Jul. Firm. De error. prof. rel. in princ.
(4) Plutarch. De ſuperſt. pag. 168. & 171.
(5) Mart. libr. 12. epigr. 29.
(6) Apul. Met. libr. 11. pag. 371.
(7) Herodot. libr. 2. num. 37.
(8) Minut. Fel. pag. 195. edit. Gron.
(9) Pignor. Menſ. Iſiac. pag. 51.
(10) P. Chirch. Oedip. Ægypt. tom. 1. pag. 226.
(11) *Roma ſotter* tom. 2. a cart. 63.
(12) Plut. De Iſide pag. 354.

hauſi: Ὡς ὁ Τυφὼν νῦ διώκων πρὸς τὴν πανσέληνον, εὗρε τὴν ξυλίνην σορὸν, ἐν ᾗ τὸ σῶμα τοῦ Ὀσίειδος ἔκειτο. Hanc arcam, ut idem auctor ait, idcirco Iſis celaverat, ne eam Typhon reperiret. Vel hæc eſt illa capſula, in quo phallus ipsius dei reconditus fuerat, poſtquam Typhon diſcidit corpus ipsius Osiridis. Siquidem moris non erat Ægyptiis cadavera cremare, nec ea ſub tumulo condere, ut innuit Pomponius Mela dicens (1): *Mortuos &c. nec CREMARE, aut FODERE fas putant*, quod etiam teſtatur Plinius. Quare Silius Italicus cecinit (2):

.... Aegyptia tellus
Claudit odorato poſt funus ſtantia ſaxo
Corpora, & a menſis exanguem haud ſeparat umbram.

Quum vero nobis ex Plutarcho (3) innoteſcat, illam arcam lunata forma fuiſſe, quumque hæc ſit tetragona, credere idcirco par eſt, librum potius repræſentare, eoque magis quod conſtet ex Clemente Alexandrino (4), hos ſacerdotes in ſuis pompis manu geſtaſſe varios libros, vel eum, qui continebat hymnos deorum, vel, in quo ratio præſcribebatur vitæ regum, vel qui tractabat de aſtrologia, vel qui de ceteris rebus ſacris agebat, de quo ait Pignoria (5): *Sacra avis accipiter librum, quo DEORUM RITUS continebantur, detulit olim ad ſacerdotes.* Quinimmo anatomicos quoque libros habebant, quos memorat Macrobius (6). Et hi libri multi erant in unoquoque argumento, ut idem teſtatur Clemens, & præſertim ii, qui ritus ſuperſtitioſæ eorum religionis ſervabant. Quare Macrobius ipſe Aegyptios appellavit: *Solos divinarum rerum omnium conſcios.*

Hic ſacerdos, cetera nudus, tantum ſubligacula habet, vel linea femoralia, quum eorum religioſi ritus, teſte Herodoto (7), non ſinerent uti pellibus, vel lana animalium, ut alibi innnuimus. Si Plinio credere velimus (8), in more poſitum apud Aegyptios fuit, goſſipium nere, & ex eo telas texere, quæ longe omnes pannos tum candore, tum mollitudine ſuperant. Quare ſubdit: *Veſtes inde ſacerdotibus Aegypti gratiſſimæ.*

Ut de iis omnibus agamus, quæ in hoc cubiculo reperiuntur, verba faciam de alio ſingulari ſculpturæ opere. Hoc repræſentat crocodilum celebre animal apud Aegyptios, eiſque peculiare. Crocodilus noſtri Canopi e marmore Pario, & juſto corporis habitu exculptus, omni ex parte abſolutiſſimus eſt, cujus effigiem damus in fine hujus voluminis. Huic ſimilem ſe vidiſſe fatetur Aldrovandus (9) in ædibus Cæſiis. Ex Plinii (10) ſententia vivit tam in terra, quam in mari, & fluminibus, perinde ac hippopotamus, quamvis immerito He-

(1) Pomp. Mela. libr. 1. cap. 9.
(2) Sil. Italic. libr. 13. v. 474.
(3) Plut. De Iſide pag. 368.
(4) Clem. Alexandr. Strom. libr. 6. pag. 268.
(5) Pign. Menſ. Iſiac. pag. 52.
(6) Macrob. Saturn. libr. 1. cap. 14.
(7) Herod. libr. 2. num. 81.
(8) Plin. libr. 19. cap. 1.
(9) Aldrov. *Stat.* a c. 131.
(10) Plin. libr. 32. cap. XI.

Heſychius terreſtrem crocodilum ab aquoſo diſtinguat, in quo fortaſſe Ariſtotelem ſequitur. Apud Aegyptios ſacer habebatur, ut refert Plutarchus (1). Ea eſt feritate, ut vel homines occidat. Verum Solinus (2), deſcribens feſta, quæ celebrabant ii populi in Apis natali die, hæc habet: *Cum ſacerdotibus quaſdam CROCODILI inducias habent, nec attrectant lavantes; verum octavo die cæremoniis jam peractis, velut reddita ſæviendi licentia, ſolitam reſumunt atrocitatem*. Noſtra hæc ſculptura nonniſi ex vero deducta eſſe poteſt, quum plane congruat cum iis, quæ de ipſo auctores ſcripſerunt. Ut ceteros omittam, Solinum (3) in medium proferam, qui illum ſic deſcribit: *Crocodilus, malum quadrupes, & in terra, & in flumine pariter valet: linguam non habet: maxillam movet ſuperiorem: morſus ejus horribili tenacitate conveniunt, ſtipante ſe dentium ſerie pectinatim. Plerumque ad viginti ulnas magnitudinis coaleſcit.* Plinius (4) vero affirmat, *quod magnitudine excedit plerumque duodeviginti cubita*, quod fere in idem recidit, quod ab aliis narratur. Quamvis admodum veroſimile ſit, hunc Romæ ſculptum fuiſſe, attamen artifex potuit illud ex vero exprimere, quum hujuſmodi animal, ut in confeſſo eſt apud eumdem Plinium (5), vel a Marci Scauri temporibus in Urbem delatum fuerit.

Dorſum habet ſquamoſum fere ad inſtar teſtudinum, quare dictus fuit ὑδρόχερσον θηρίον, ut credit Salmaſius (6). Elinguis eſt, quia, ut ait ipſe Solinus (7), *linguam non habet*. Idem vero Plinius ita (8) aliter, dicit: *Unum hoc animal terreſtre linguæ uſu caret*, quod multum diverſum eſt; aliud eſt enim lingua, aliud ejus uſu carere. Verum Diodorus Siculus (9), & Apulejus (10) expreſſe affirmant, illum elinguem eſſe, quod ex noſtro marmore videtur confirmari. Eorum primus ſcribit: Μακρόβιον μέν ἐστιν ὡς κατ᾽ ἄνθρωπον, γλῶτταν δ᾽ οὐκ ἔχει. *Diu vivit in vitæ hominis comparationem, & lingua caret*: alter vero: *Ore amplo, ſed elingue*: Johannes tamen Jonſtonius (11) autumat, ipſum linguam habere, ſed quæ ita faucibus adhæreat, ut diſtingui minime poſſit. Cardanus (12) vero ſuperiori palatus parti ipſam unitam obſervaſſe confirmat.

ANA-

(1) Plut. De Iſide.
(2) Solin. cap. 35.
(3) Idem ibid.
(4) Plin. ibid.
(5) Idem. libr. 4. cap. 25.
(6) Salmaſ. Exercit. Plin. tom. 1. pag 60.
(7) Solin. ibid.
(8) Plin. libr. 8. cap. 25.
(9) Diodor. Sicul. libr. 1. pag 31.
(10) Apul. Apolog. 411.
(11) Joh. Jonſt. De quadrup. cap. 8.
(12) Cardan. De rerum variet. libr. 7. cap. 37.

ANAGLYPHUM FICTILE
TABULA XC.

IN hoc anaglypho opere porticus primum apparet eleganter conſtructus, ſub quo Aegyptiæ regionis proſpectus videtur expreſſus, quod conjicitur tum ex plantarum forma, de quibus ſuperius tractavimus(1), tum ex animalium genere. Super tecta mapalium, quæ longe poſita cernuntur, quatuor inſident volucres, fortaſſe ibides, in ea regione frequentes, colore albo, quamvis circa Peluſium nigris pennis donatas ſcribat Plinius dicens(2): *IBIS circa Peluſium tantum nigra eſt: ceteris omnibus locis candida*. Fama viget, hunc avem homines clyſterii uſum docuiſſe; ut idem Plinius auctor eſt dicens(3): *Simile quiddam & volucris in eadem Aegypto monſtravit, quæ vocatur IBIS, roſtri aduncitate per eam partem ſe perluens, qua reddi ciborum onera maxime ſalubre eſt*. Illas etiam Pomponius Mela narrat (4) cum ſerpentibus pugnare, qui e maris Erythræi partibus ad Aegyptum advolant, eoſque enecare, ut teſtatur Cicero dicens(5): *Ibes maximam vim ſerpentium conficiunt, quum ſint aves excelſæ, cruribus rigidis, corneo, proceroque roſtro.* Quapropter tanquam ſacrae, & venerandae ſancte colebantur, & omnes ab eis manus abſtinebant, teſtante Solino (6). Plinius inſuper addit(7): *Invocant & Aegyptii IBES ſuas contra ſerpentium adventus*. Mercurio Ibis ſacra habebatur(8), ejuſque figura humano cordi quodammodo perſimilis, ut dictum ſuperius eſt, & ideo illius ſymbolum. Hae, a Cicerone *aves excelſæ* nuncupatæ, in culmine tecti apposite resident.

Duo inſuper quadrupedes conſpiciuntur, quos ichneumones crederem; primus quorum cœno, aut aqua merſus, alter frutici inhæret; quod omnino verbis Plinii(9) congruit, qui de eo ſic ait: *Mergit ſe humo ſæpius, ſiccatque Sole*. Arundinibus etiam insiſtit, quare Nemesianus in Cynegetico cecinit:

Malumus & placidis ICHNEVMONA quærere ripis
Inter arundineas ſegetes.

Interimit crocodilos; quamvis tanto grandiores, fortiores, & magis feroces. Qua vero ratione eos interficiat, narrant memorati Scriptores, & præcipue Plinius(10). Hi duo ichneumones caudam volumine sinuant, quod etiam cum Strabone(11) congruit, qui narrat, ichneumonem

(1) Vide pag. 172.
(2) Plin. libr. 10. cap. 30.
(3) Idem l br. 8. cap. 27.
(4) Pompon. Mela libr. 3. cap. 9.
(5) Cic. De nat. deor libr. 1. circa finem.
(6) Solin. Polyh. cap. 35.
(7) Plin. libr. 8. cap. 27.
(8) Rhodig. libr. 4. cap. 16.
(9) Plin. libr. 2. cap. 24.
(10) Idem ibid. cap. 25.
(11) Strabo libr. 17. pag. 812.

nem, dum contra aſpidem bellum gerit, illum aut ore, aut cauda arripere, ac demergere, & ſuffocare. Aldrovandus ait (1), ichneumonem felem longitudine ſuperare, quod didicit ex Bellonio, & *roſtrum* habere *nigrum, & inſtar furonis in genere muſtellarum acuminati.* Quod etiam confirmatur a Johanne Jonſtonio dicente (2): *Roſtrum habet nigrum, ſuillum: auriculas breves, & rotundas: crura nigra: quinque in poſterioribus pedibus digitos, quorum poſtremus ab interiore parte perbrevis eſt. Caudam longam, & circa lumbos craſſam.* Quæ deſcriptio omnino reſpondet huic animali, quod hic excuſum eſt.

Inferius in primo porticus intervallo etiam hippopotamus conſpicitur, animal Nilo peculiare. Strabo (3) enim adfirmat in Indiæ fluminibus eadem inveniri animalia, quæ in Nilo ſunt, præter hippopotamum. De hoc autem ſcribit Plinius (4): *Major altitudine in eodem Nilo bellua HIPPOPOTAMUS editur: ungulis bifidis, quales bubus: dorſo equi, & juba, & hinnitu: roſtro reſimo: cauda, & dentibus aprorum.* Verum idem hiſtoricus narrat, alibi etiam hippopotamos reperiri; ait enim: *Communeſque mari, terræ, amni, HIPPOPOTAMI, crocodili.*

Quamvis formam præferat bovis, nomen tamen fluviatelem equum ſignificat. Bellonius vero illum *bovem marinum* appellat, alii autem *equum Niliacum*: alii tandem *elephantem marinum*: in Aethiopia dicitur *elephantus Aegypti*. Et re vera hic noſter ſimilior eſt elephantis, quam aliarum beſtiarum. Quam ſimilitudinem optime proſpexit Jonſtonus (5): *tam ob magnitudinem, quam ob dentium candorem, & duritiem*. Quamobrem verendum eſt, ne ἵππος potius quam equum, deſignet augmentum, velutiparticula βοῦ, & hippopotamus nil aliud ſibi velit, quam magnum animal, ſeu animal magni fluminis. Quum pedes in aqua merſos habeat, minime diſcerni poteſt num ſolidi, aut biſulci, aut digitati ſint: de quo inter ſe certant, qui de rerum natura pertractant. Aelianus affirmat (6), ipſum uſque ad quinque cubitos altitudine creſcere, & tres hinc inde habere dentes, magis quam in aliis animalibus extantes. Hic noſter duos tantum præfert, ſed Aelianus forte hallucinatus eſt, ut quum ſcripſit, caudam inſtar equi habere, quum potius ſimilis ſit caudæ elephantis, vel urſi, vel mavis teſtudinis, ſecundum Fabium Columnam. Ariſtoteles (7) illum deſcripſit accurate quidem, ſed in aliquod impegit erratum. Hic autem noſter fictilis omnino reſpondet deſcriptioni Leonis Africani (8), & Bellonii, qui diligentiſſime, & quaſi graphice, ut non potuerit pictor rectius, eum deſcribit ex illo, quem vidit Conſtantinopoli. Idem fecit Columna (9) ex cadavere ſalito, quod in Italiam detulit Nicolaus Zerenghius chirurgus Narnienſis, cujus deſcriptio omnino videnda utpote accuratior, ex qua intelligitur, quanta ἐπιμελχεία hic noſter cælatus fuerit.

LEO

(1) Aldrov. De quadrup. libr. 2. cap. 14.
(2) Joh. Jonſt. Hiſt. quadr. cap. 9.
(3) Strabo libr. 15. pag. 690.
(4) Plin. libr. 8. cap. 25. & libr. 32. cap. 11.
(5) Jonſton. ibid. tit. 2.
(6) Æl. Hiſt. anim. libr. XI. cap. 44.
(7) Ariſt. Hiſtor. anim. libr. 2. cap. 27.
(8) Leo Afric. libr. 9. Deſcript. Afric.
(9) Fab. Columm. Obſervat. aquat. & terreſtr. c. 15.

L E O

TABULA XCI.

LEO hic egregie ex albo marmore fictus naturali magnitudine, nullo modo artificii laude inferior eſt illi, qui in villa Medicea montis Pincii, vel in ædium Barberinarum ſcalis non ſine ſumma admiratione conſpicitur. Hic autem ejus delineationem apponendam duxi, ut qui picturæ, & ſculpturæ operam navant, quemadmodum ex ceteris, virorum, & mulierum graphide, ita ex hac arti ſuæ optime conſulere poſſint, quod ſummorum Pontificum Clementis *XII.* & Benedicti *XIV.* consilium fuit in noſtro Muſeo adornando.

Quod præſtantes ſculptores in more habuerint, animalia quæque e marmore ducere, tam in comperto eſt, ut ſi exempla ex Pauſania, Plinio, aliiſque antiquis ſcriptoribus, & vel ex ſolo Franciſci Junii catalogo oggererem, vererer, ne in ſuſpicionem vanæ oſtentationis inciderem. Præterire tantum nequeo, leonem illum egregie ſculptum Lampſaci a Lyſimacho celeberrimo artifice, quem translatum Romam ex Strabone (1) comperimus a M. Agrippa; non quod affirmare auſim, hunc idipſum eſſe, ſed quia nihil repugnat, idipſum fuiſſe.

Differendi gratia animadvertendum duco, a longinquis temporibus in more poſitum fuiſſe, ut hoc animal excuderetur. Apud Hebræos, qui ab imaginibus formandis plane abhorrebant, memorantur leones in throno, ac templo Salomonis (2). Sed & de Ægyptiis, de quibus multa commentati ſumus ait Plutarchus (3): ΛΕΟΝΤΑ τιμῶσι καὶ χάσμασι λεοντείοις τὰ τῶν ἱερῶν θυρώματα κοσμοῦσιν. *Venerantur LEONEM, rictibuſque Leoninis januas templorum exornant.* Hoc autem ideo faciebant, quod Sole in leonis signum ingrediente Nilus excreſceret, & regionem inundaret. Hinc duo leones ad caſtellum aquæ Felicis prope publica horrea poſiti ex baſalte ſculpti, Ægyptium opificium redolent, ut ex notis hieroglyphicis in baſe inciſis apparet, quas interpretari ſategit Chircherius (4). Itidem duæ leænæ, inferne in clivi Capitolini ſcalis collocatæ, ex Ægypto adlatæ videntur, & forte ante templum Iſidis, & Serapidis proſtabant, quod poſitum fuerat, ubi nunc ædes s. Stephani vulgo *del Cacco*; illinc enim ad Capitolium advectæ dicuntur. Quod autem ad januas templorum locarentur, in cauſa fuit, quia leo, teſte Horoapolline (5), cuſtodiæ ſymbolum exiſtimabatur; hoc enim animal patentibus oculis dormit.

Hoc

(1) Strabo libr. 13. pag. 590.
(2) Reg. 3. cap. 7. 29. & 10. v. 20. & Paralip. 1. 20. verſ. 17.
(3) Plutarch. De Iſide, & Oſir. pag. 366.
(4) Chirch. Oedip. Ægypt. tom. 3. ſynt. 15. cap. 2.
(5) Horoap. libr. 1. cap. 19.

Hoc inſtitutum ab Aegyptiis ad ceteras gentes pertranſiit, ac tandem ad Chriſtianos quoque, ut notum eſt iis, qui verſati ſunt in ſacris antiquitatibus, & in libris eorum, qui eas illuſtrarunt. Sed nobis lectorem noſtrum amandaſſe ſufficiat ad Johannis Marangonii (1) librum, in quo de rebus profanis in ſacrum uſum converſis pertractavit, multaque in hoc argumentum congeſſit. Mos quoque fuit leones, ut alibi fuſius oſtendi (2), ſedibus apponere epiſcoporum, necnon Conſulum, ut patet ex dyptico a Wiltelmio egregie illuſtrato; ac tandem ante fores eccleſiarum, ut in præſentia Romæ cerni poſſunt ad fores s. Sabæ, s. Laurentii in Lucina, ss. Johannis & Pauli, nεcnon ædiculæ a Purificatione B. Mariæ nuncupatæ. Duo etiam leones proſtabant e marmore Pario ante januam principem Baſilicæ (3) Lateranensis, quos item Sixtus V. ad eumdem tranſtulit fontem. Antiquitus namque ad aquas ſalientes decorandas adhibebantur, ut animadvertit Du-Cangius, & ex ſuperius citato Plutarchi loco eruitur, ſi ut legit Cuperus, legatur.

Verumtamen ſæpius fortaſſe ſuper illuſtrium virorum ſepulcra hæc animalia imponebantur; nam Pauſanias narrat, leonem memorando Thebanorum in pugna contra Philippum cæſorum ſepulcro collocatum fuiſſe: duos quoque comperiſſe videor in chriſtiano ſarcophago e Romanis cœmeteriis eruto. Vir Cl. Gorius in rebus antiquis, & præcipue Etruſcis verſatiſſimus, de quibus in tot doctis ſane, & laborioſis libris diſſeruit, nos docet, Etruſcos etiam hunc morem ſequutos; ait enim: *Etruſci quoque LEONES integros, vel capita LEONUM in ſuis ſepulcris ſequiore ævo expreſſerunt*. Id pariter confirmatur ex hoc diſticho, quod Callimacho tribuitur, in codice Vaticano Palatino.

Εἰς λέοντα ἵνα, ὃν λέων ἐπὶ τῦ λάρνακος ἔσκεπε λίθινος.

Ἀλλ᾽ εἰ μὴ θυμόν τε λέων, ἐμὸν οὔνομα τ᾽ εἶχεν,
Οὐκ ἂν ἐγὼ τύμβῳ τῷ δ᾽ ἐπέθηκα πόδας.


IN QUEMDAM LEONEM NOMINE, QUEM LEO LAPIDEUS IN URNA OPERIEBAT.

Niſi animum Leo, nomenque meum habuiſſet,
Non ego ſuper hunc tumulum impoſuiſſem pedes.

De more Aegyptiorum leones fingendi, videndus Cuperus, qui multa congeſſit huic argumento opportuna. Cui autem uſui hunc noſtrum deſtinaverit artifex, non eſt noſtrum divinare.

(1) Joh. Marang. *Delle coſe Gentili a uſo delle Chieſe* pag. 368. 371. 372.
(2) *Roma ſotter.* tom. 2. pag. 68.
(3) Ciamp. Monim. vet. part. 1. pag. 29. & 30.
(4) Du-Cangius in CP. Chriſt. libr. 3. num. 22.
(5) Cuper. Harpocr. pag. 48.

Mus. Capit. T. III.



COCCODRILLO

V. la spiegaz. a c. 180.

INDEX RERUM

A

Accubita quid ſint. 148. & Accubitalia Cypria ibid.
Aeditus, ſeu Aedituus quid ſignificet. 149.
Aegis quid. 20.
Aegyptii coma utebantur cincinnata. 119. Reges pro Diis habebant. 119. quomodo Antinoum colebant. 133. utebantur conopeo, & qua de cauſa. 151. eorum ſapientia duplex. 171. ſiſtrum eorum inſtrumentum muſicum. 171. eorum Sacerdotes capite abraſi. 174. eorum litterae ſacrae, & populares, 175. eorum libri ſacri. 180. ſoli divinarum rerum gnari. 180. eorum funera. 174. 179. cadavera non cremebant. 179. V. *Sacerdotes*.
Aeneas quibus parentibus ortus. 44.
Aeſchylus quid Graecos docuerit. 32. ejus ſcholiaſtes notatus. 144.
Aeſculapius ubi, & a quibus natus. 73. medica arte quantum excelluerit. 73. ubi vel maxime cultus. 73. nil aliud eſt quam aër. 73. cur Apollinis filius habitus. 73. ejus ſignum ſaluti dicatum. 73. ejus ſimulacra peculiaribus ſymbolis ornata. 73. & ſeq. qua forma repraeſentari ſolitus. 74. Aeſculapius Archageta barba maxime promiſſa expreſſus. 74. quare laurea redimitus corona appareat. 74. pallio induebatur. 75. quare cum Hygia, & Teleſphoro expreſſus. 75. *Servatoris* nomine ubi donatus. 75. illius ſymbolorum ſignificatio. 75. cur barbatus, & imberbis fingeretur. 76.
Aeſopus cum pueris ludens. 146.
Agathinus medicus. 152.
Agrippina uxor Germanici. 127. necnon mater Caligulae. 127. ejus eximiae virtutes. 127. quare Tiberio inviſa. 127. Germanici cineres Romam tranſtulit. 127. quare relegata. 127. a Caligula quibus honoribus affecta. 127. cur ei plurima ſigna poſita. 128. illius ſtatua ſummi artificii ibid.
Alae quare animae tributae. 48. quid ſint. 48. diffractae quomodo renaſcantur. 48. 49. ex Platonicorum ſententia quid ſignificent. 49. Amoris alae 59.
Albanus qua forma Venerem pinxerit. 40.
Alcides primum Herculis nomen. 62.
Alcmena Herculis mater quare ipſum expoſuerit. 62.
Aldrovandus Ulyſſes notatus. 98.
Alexander Magnus qua eſſet forma corporis. 113. ejus ſtatua eleganter ſculpta. 113. comam negligebat. 113. quare cornua retorta in fronte gereret. 113. quae arma ipſe geſtare ſoleret. 114. ejus thorax Aeſculapio dedicatur. 114. dum vixit, exprimi noluit a quocumque. 114. a quibus mox artificibus ſculptus. 114. ejus nuptiae cum Roſſane expreſſae. 115. quare a Romanis multo honore habitus. 115. ejus nummi cujus virtutis crediti. 115. ejus thorax cum gryphibus. 134. & ubi conditus. 135. Caligula eo utitur. 135.
Alexander Severus multo honore Alexandrum Magnum affecit. 115.
Algardius Alexander laudatus. 71.
Alytarcha qui. 142.
Amazonum regnum num extiterit. 110. illarum fabula unde orta. 110. quare Amazones mamilla careant. 110. cur ſic dictae. 110. 111. interdum cum ambobus mamillis conſpiciuntur. 111. earum ſtatuae multimodis effictae. 111. bipenni pugnare ſolebant ibid. illarum ſymbola. 111. Dianae Epheſiae templum extruxerunt. 111. quare equitantes expreſſae. 111. a Cteſilao ſculptae ibid.
Amitrochitoni, qui dicerentur ab Homero, 158.
Amoris & Pſyches fabula quid ſignificet. 48. Amor ex Platonis ſententia quid ſit. 51. quam varie animae uniatur. 51. & ſeq. Amor cœleſtis quantum animae utilis. 52. Amor laſcivus quanta eidem inferat damna. 52. Amor univerſalis & peculiaris. 52. Amorem quid eſſe putarint philoſophi. 52. Amoris & Pſyches nuptiae in gemma. 53. Amor quare dictus γλυκοπίκρος 55. in animam quam dure ſaeviat. 56. ejus qualitates. 56. ejus formae a Socrate detrahitur. 56. Amor a Pſyche quare aufugit. 57. Amoris maxima potentia. 58. purus Amor quare in gymnaſiis cultus. 58. cum Pallade aram habuit communem. 58. Amor impudicus quanto in honore fuerit. 59. quam varie appellatus. 59. qua forma exprimi ſolitus. 59. 60. alas non habuiſſe a quibus credatur. 59. quare arcu inſtructus. 60. quot diverſis modis exculptus. 61.
Anima quantum harmoniae ſuavitate capiatur. 29. V. Amoris &c.
Animarum lapſus a quo primum excogitatus 48. anima quare alis careat. 48. qua ratione illas reſumere poſſit. 49. credita ſemper eſt immortalis. 49. 51. papilionis forma quare expreſſa. 49. & ſeq. cum illo nomen commune habebat. 49. ex aëre & vento conſtare a quibus credita. 50. quare muſicam amet.

amet. 51. ejus cum Amore unio quot modis expreſſa. 51. & ſequent. Animae duo corpora Platonici tribuebant. 54. Anima navem a duobus delphinis tractam gubernans, quid ſignificet. 56.
Anni tempora ubi expreſſa. 147.
Anniverſaria coena pro mortuis. 148.
Anſer hyemis ſymbolum. 147. Priapo ſacer ibid. & Junoni, & Iſidi, & Oſiridi. 147. juxta Harpocratis ſignum, & in templis locatus ibid.
Antinous quare nudus expreſſus. 124. 125. cur Hadriano carus. 132. innumera ei dicata ſimulacra. 132. ejus ortus ignotus. 152. ut Deus colebatur. 132. ejus ſtatua Bacchi ſymbolis ornata. 132. necnon Apollinis habitu. 132. a Bithynis quomodo cultus. 132. a Graecis quare veneratus. 133. in Lunam translatus fingitur. 133. ei templa dicata fuerunt. 133. in Aegypto quomodo cultus. 133. oracula reddere credebatur. 133. in Nilo occubuit. 133. ejus apotheoſis 133. ubi ſepultus. 133.
Antinopolis quare ſic dicta. 133.
Antiochus an Galatas vicerit. 77.
Antiſthenes qua de cauſa pallium duplicaverit. 138.
Anubis filius creditur Typhonis. 170. canino capite. 170. cur ſic effictus. 170. baculum, & ſiſtrum geſtat. 170. quomodo appellatus. 170. vere filius Oſiridis. 170. ejus allegoria. 171. ejus peculiaris figura. 171. ejus imaginem geſtavit Commodus. 177.
Apelles egregie pinxit Dianam 33 & Veneris ortum 39.
Apis facie bovina. 172. Epaphus dictus. 172. quomodo ortus ſit. 172. ejus ſigna. 172. a Cambyſe illuſus, & enectus. 172. idem ac vitulus ab Aron conflatus in deſerto. 172.
Apollo oraculorum, medicinae, ac poëſeos Deus. 25. alia ejus attributa ex Plutarcho recenſentur. 25. ejus ſigna ubique poſita 25. Apollines quatuor numerantur. 25. plurimis donatus fuit cognominibus. 25. quomodo effingi conſueverit. 25. adoleſcentia ei propria. 26. in modum hermae exculptus. 26. illius ſigna apud Graecos illuſtria. 26. armentis delectabatur. 26. citharae inventor traditur. 26. ejus ſtatua in antro Termiſonio mirae virtutis. 27. quot modis ornatus. 27. 28. coronabatur laureo ſerto. 27. idem eſſe credebatur ac Sol. 27. canis quare illi conveniat. 28. cycnum ſacrum habuit. 26. 31. Muſarum numen, ac praeſes. 29. quare cum ſerpente, & corvo expreſſus. 29. ejus coma celeberrima. 30. Aeſculapium medicinam docuit. 73. Nioben ſagittis confecit. 102.
Aprilis erat ſub tutela Veneris, & Florae. 108.
Aquila Jovis ſymbolum 10.
Ariſtoteles notatus. 183.
Arſinoë Zephyritis eadem eſt ac Flora. 108.
Athenae unde nomen ſumpſerint. 20. ſub patrocinio erant Minervae. ibid.
Auguſtus quare ſedens expreſſus. 120. necnon pacifico vultu. 123. ejus facinora domi, & belli. 123. jus dixit aſſidue. 123. ejus leges. 123. ipſius ſtatuae inter heroas. 124. alia ejuſdem ſtatua ex electro. 124. quare nudus effictus. 124. cum globo, & Victoria quare expreſſus. 126. ejus gemma. 126. Agrippinam laudavit. 127. cum pueris ludebat. 146. eo imperante Romani barbam radebant. 150.

B

Bacchae ſerpentibus coronabantur. 86. unde ſic dictae. 90. Bacchum vel praecedunt, vel ſubſequuntur. 90. illarum cultus, & ſtatus. 90. cujus generis corona redimerentur. 90. ipſarum immodeſtia. 91. cur uvas in ſinu geſtent. 91. mitella ornabantur. 94. Bacchae ſtatua excellentiſſima. 94.
Baccho caper convenit. 30. ejus comae pulchritudo celeberrima. 30. 80. cur Veneris miniſter dicatur. 43. multimodis expreſſus fuit. 79. quot fuerint Bacchi. 79. ipſe quare juvenili aetate effingi ſoleat. 79. 80. Bacchus idem cum Sole. 80. 81. quare illi juventus, & ſenectus optime conveniant. 80. hedera quare illi ſacra. 80. varia ejuſdem epitheta apud Graecos. 80. Baccho cornua tribuebantur. 81. quare ſub tauri forma expreſſus. 81. quot, quibuſque modis ornari ſolitus. 81. 82. quare nudus effictus. 81. Cupidinis arma ei conveniunt 82 cum tigride cur expreſſus. 82. aliis formis adumbratus. 82. quare ei draco appoſitus 82. necnon delphinus. 82. ab agricolis ſub qua forma veneratus. 82. eidem caprae immolabantur. 83. Bacchus a Bonarrothio ſculptus. 83. cantu delectabatur. 85.
Banierius notatus. 27. 28.
Barbam quo tempore Romani raderent. 150.
Baruffaldus Hieronymus laudatus. 144.
Baſaltes marmoris genus. 70.
Βασίλειον quid ſit. 170.
Baſſaris tunicae genus. 91.
Bathyllus Auguſti libertus Immunis. 148. ejus inſcriptio ibid.
Bellorius notatus. 123.
Bithyni Antinoum ſub Mercurii nomine colunt. 132.
Βοῶπιν quid ſignificet. 11.
Bonarrothius Senator laudatus. 54. 78.

Michaël Angelus gladiatoris ſtatuam ſarcit. 154. Bacchum excudit. 83.
Brauronia feſta quomodo celebrata. 32.

C

CAcus ab Hercule occiſus. 68:
Caduceus Mercurio peculiaris. 170.
Calcei quales in uſu extra domum. 123.
Caeſar Marii imagines faciendas curavit. 120. in Capitolio collocavit. 120.
Caligula matrem habuit Agrippinam. 127. ejus monſtroſa crudelitas. 127. quibus honoribus matrem affecerit. 127. Alexandri Magni thoracem geſtavit. 135.
P. Calmet notatus. 152.
Canis quare Apollini conveniat. 28. quare Aeſculapii ſtatuis appoſitus. 74. hominum cuſtos. 170. Canes in templis collocati. 170. Canis Iſidem adjuvat in inveſtigando Oſiride. 170. Canis facie Anubis fingitur. 170.
Canopus quomodo ſculptus, & quare. 169. varia ejus ſimulacra. 169.
Canopus in villa Hadriani quid eſſet. 169. noſtri Muſei quomodo adornatus. 169.
Caper an Veneri congruat. 41. quid deſignet. 40. quare Baccho infenſus. 83.
Caracteres Aegyptiorum quales. 175.
Carpenti privilegium quid. 128.
Caryatides quae. 89.
Caſtelvetrus Ludovicus unde ſui inſignis ſchema deſumpſerit. 21.
Caſtor quibus parentibus ortus. 100.
Cercopithecus quid ſit. 169. 170. an idem ac Cynocephalus. 170.
Ceres deorum omnium antiquiſſima. 15. ejus nominis etymon. 15. ab Arnobio Jovis mater appellata. 15. quo cultu corporis pingeretur. 15. *Dominae* cognomen ei tributum. 15. quare nudo capite, & crinibus comptis exſculpta. 16. agriculturae inſignia ei apponi ſolebant. 16. illi ſacrum erat papaver. 16. cur ei faces tributae. 16. eidem cur porca ſacrificaretur. 17. ejus ſimulacrum monſtroſum. 17. cum ſerpentibus, & draconibus expreſſa. 18. ſtans, & aliquando etiam ſedens exſculpebatur. 18. ejus ſymbola communia cum Junone. 18. Ceres Erinnis. 18. Ceres quo ſenſu Veneri miniſtrare dicatur. 43. cum cornibus cur expreſſa. 81. eadem ac Iſis. 173.
Celſi impietas de Antinoo. 133.
Ceſtus quid. 41. Veneris proprius. 41.
Χρυσομίζης, & χαλκεομίζς quid ſignificent. 158.
Chriſtiani pallio quare uſi ſint. 137.
Chryſes cur lauream coronam ſecum ad exercitum adduxerit. 27.
Cicadæ cur Muſis ſacrae dicantur. 96.
Cingulum quando mulieres Dianae conſecrarint. 158.
Cirri qua de cauſa ſic dicti. 106.
Ciſtae ex quo efformatae. 86. illarum uſus. 86. *quadrata ciſta viminea* quomodo intelligenda. 86.
Cithara ab Apolline inventa. 26.
Clava heroum erat propria. 97.
Claudius Imperator vetat ludos gladiatorum pro ſua ſalute editos. 154.
Cloris Niobes filia. 103. a Latona qua de cauſa ſervata. 103. eadem eſt ac Flora. 108.
Clytemneſtra ex quibus nata. 100.
Cocodrili hiſtoria naturalis. 180. 181. ab ichneumone occiditur. 182.
Cœlum ſedes, ac regnum Jovis. 9.
Cœnae pro mortuis quomodo appellarentur. 148.
Columbarium Liviae a V. C. Gorio illuſtratum. 149. editum etiam ab aliis. 149.
Comae revinctae mitra. 157. abradunt comam ſacerdotes Aegyptii. 178. 179.
Commodus Imperator Anubis geſtat ſtatuam. 177. 178.
Conopei duplex ſignificatio. 151. cujus uſus ibid.
Conſtantii mors quomodo praeviſa. 125.
Continius Franciſcus villae Hadriani ichnographiam edidit. 169.
Corigienſis Antonius pictor praeſtantiſſimus. 147.
Cornucopia foecunditatis ſymbolum. 17. qua de cauſa Apollini tribuatur. 27.
Corſinia typorum aere inciſorum collectio totius Italiae praeclariſſima. 3.
Corſinius Odoardus laudatus. 70. 112.
Corvus quomodo Apollini tribui poſſit. 29.
Criſtae inventum unde. 22.
Crupetium vid. *Scabillum*.
Cteſilaus qua forma Amazonem ſculpſerit. 111.
Cybeles turrita. 173. eadem ac Ceres. 173.
Cycnus quare Apollini ſacer. 28. 31. an cantu polleat, 31. cycnis apud Hyperporeos Apollinis ſacrificium celebrantes 31. quare in cœlum inter ſidera relatus. 101.
Cynici pallio tantum induebantur. 136. an tunicam veſtierint lineam. 136 calceis utebantur. 157. nudis etiam pedibus incedebant. 137. quot modis pallium induerent. 137. illud duplicabant. 138. arundine pro baculo cur uterentur. 138.
Cynocephali ornatus. 170. an a Cercopitheco differat. 170.
Cynoproſopos Mercurius dicitur, & cur. 170.

Daeda-

D

Daedalus quomodo Venerem excuderit 39. Daviſius notatus. 26.
Delphines quare cum Baccho expreſſi. 82.
Diadema quid. 2.
Diana ex quo nata. 32. ejus feſta apud Graecos. 32. apud Romanos quomodo celebrata. 32. virginitate illuſtris. 32. montes & nemora tuebatur. 32 quare dicta *Regina undarum.* 32. a peritioribus artificibus repraeſentata. 32. Dianae Laphriae ſignum. 33. quot variis expreſſa formis. 33. & ſeq. Diana Aricina quomodo ſculpta. 34. eadem eſt ac Nemorenſis. 34. cur ſic dicta. 35. Diana *Ortia*. 34. Diana ab Hecate non diſtinguitur. 35. cur ſagittans expreſſa, facieque ad caelum converſa. 36. Diana Lucifera quare cum facibus. 36. cur a Graecis appellata *Selene*. 36. ejus figura pedibus globum premens quid ſignificet. 37. Dianae πατρώης ſimulacrum. 37. Dianae Epheſiae templum a quibus extructum. 112. Dianae cingulum ſacrabant mulieres quum primo parerent. 158. Diana dicitur λυσιζώνη 158.
Dii quare nudi expreſſi. 124.
Diogenes num primus pallium duplicaverit. 138. quare appellatus διπλωείματος. 138. necnon βακτροφόρος. 138.
Dionyſiaca feſta a quibus celebrabantur. 93.
Dionyſius Syracuſanus quare barbam Aeſculapio auferri juſſerit. 74.
Diſcincti qui dicerentur. 158.
Dominicanorum aedes unde nomen Minervae ſumpſerit. 22.
Domitianus qua ratione Juliam ſibi uxorem adſcivit. 129. ipſam primum repudiavit. 129.
Dracones quare Cererem comitentur. 17. Dianae quare conveniunt. 33. Baccho quare appoſiti. 82.

E

Electrum ex qua materia compoſitum. 124.
Elephantes a Pyrrho primum in aciem producti. 116.
Epaphus idem ac Apis. 172.
Epigramma de Veneris ortu praeſtantiſſimum. 39. de leone lapideo editur e Codice Vaticano. 185.
Ericthonius Rex ludos in Attica inſtituit. 21.
Etruſci leones expreſſerunt in ſuis ſepulcris. 185. in eorum antiquitatibus verſatiſſimus Gorius. 185.
Euſtathius notatus. 21.

F

Fauni qui. 83. quare caprina pelle induti. 83. eorum ſtatuae recenſitae. 83. & ſequent. Fauni, & ſatyri num diſtinguantur. 84. poëſim, & muſicam amabant. 84. 85. Fauni tigrina pelle quare ornati. 84. Faunus cum pedo quare expreſſus. 85.
Felicitatis nobilis matronae monumentum, & inſcriptio. 152.
Feminarum antiquarum veſtis modeſta. 157.
Feronia eadem eſt ac Juno. 109.
Ferrarius notatus. 24.
Ficoronius Franciſcus laudatus. 99. expenditur ejus opinio. 150.
Flagellum in manu Iſidis. 174. 175.
Flora mulier impudica. 107. a Romanis quare inter Deos relata. 107. ejus feſta quo primum tempore inſtituta. 107. ex mulcta reorum fiebant. 107. illius cultus antiquiſſimus. 108. non alia erat a Venere. 108. nec non a Cloride, & Arſinoe. 108. inter majores Deos relata fuit, 109. arvorum tutelam habebat. 109. ejus templa rotunda. 109. illius ſtatuae praeſtantiſſimi operis. ibid.
Flumina quomodo exprimi ſolita. 1. Fluminis pulcherrima ſtatua ubi inventa. 4. Fluviorum ſimulacra cornuta. 5. in eorum ſacrificiis tauri mactabantur. 5.
Fogginius Petrus Franciſcus laudatus. 20.
Forum Auguſti poſtea Martis nuncupatum. 4.
Forum Minervae celeberrimum. 23.
Fulmen Jovis ſymbolum. 8. etiam Cereris. 19. Minervae. 22.

G

Galeae quibus ex rebus fiebant. 67. unde ſic dictae. 67.
Genii tragici Statua pulcherrima. 99. Genii ab antiquis pluribus rebus tribuebantur. 99. ludibundi expreſſi. 99.
Germanicus uxorem habuit Agrippinam. 127. ejus virtus. 127. ubi extinctus. 127. illius cineres Romam tranſlatae. 127. illius mors quam maxime defleta. 128.
Gigantes Phlegrae a Jove victi. 8.
Gladiatores, quando primum Romae certaverint 153. ad celebrandam Bruti memoriam primo certarunt ibid. qui eos commenti ſint ibid. auctores, qui de illis tractaverunt. 153. Gladiatoris ſtatua a Michaële Angelo Bonarrothio ſarcitur ibid. a Creſila ſculpta. 153. contemptiſſium genus hominum Gladiatores. 153. perdite eis delectati ſunt Romani ibid. qua de cauſa eorum

eorum ludi ederentur. 154. Claudius Imperator vetavit ne pro ſua ſalute ederentur ibid. ſtatuae Gladiatoribus poſitae. 153. 154. aliquando nudi pugnabant. 154. aliquando armati. 154. 155. eorum umbratilis exercitatio. 154. ad pugnandum damnati. 155. crudelitas Romanorum. 155. eorum clypeus. 155. Thraces, & Threces Gladiatorum genus ibid. in eorum pugna utebantur tuba. 155. 156. funis collo eorum circumducta 156. torques an praemium Gladiatorum. 156. Gladiatores Laquearii. 156.

Globum Mundi ſymbolum. 125. ab Imperatoribus geſtabatur. 126.

Gorgonis caput quid denotet. 135. quare thoracibus Imperatorum apponi ſolitus. 135.

Gorius laudatus. 2. 22. ejus ſententia nimis allegoriae indulgens. 29. Columbarium Liviae illuſtravit. 149. inſcriptionem enarrat. 149. 150. 185.

Goſſipio utuntur ſacerdotes Ægyptii. 180.

Graeci artifices quomodo ſe geſſerint in ſculpendis coloſſeis ſignis. 2 Graeci quare Antinoum conſecrarint. 132. quare trophae ex marmore poni vetarent. 134.

Gryphi an ſint fabuloſi. 30. ſymbolum cuſtodiae. 34. quare in thoracibus Alexandri, Pyrrhi, & Julii Caeſaris expreſſi. 134. 135.

H

HAdrianus quare capite operto expreſſus. 130. ſacrificia religioſe curabat. 130. a Nigrino aggreſſus. 130. ſuperſtitionibus deditus. 130. ejus ſtatuae in templo Jovis Olympii. 131. Divini honores ei tributi. 131. cur Antinoum amaverit. 132. ad ejus uſque tempora Romani barbam radebant. 150.

Hadriani villa Tiburtina, 169. ejus ichnographia. 169.

Harpocratis ſignum cum anſere. 147.

Haſta pura nihil a ſceptro differt. 8. Jovi a Vulcano fabricata. 8. Necnon Junonis propria. 12. Cereri etiam quare conveniret. 18.

Havercampus notatus. 49.

Hebræi uſum praeficarum habebant. 144. homines quoque ad lugendum in funeribus conducebant. 144. unde hunc morem traxerint. 145. naenias quomodo appellabant. 145.

Hebraeorum ſacerdotum mitra cornuta. 158.

Hedera quare Baccho ſacra. 80.

Helena quibus orta parentibus. 100.

Hercules a quibus, & ubi natus. 62. infans dracones enecat. 62. quare dictus Hercules. 62. hujus nominis etymon. 62. 63. *Primigenii* nomine unde donatus. 63. quomodo apud Philoſtratum depictus. 63. fuit triplici dentium ſerie. 64 qua ratione immortalitate donatus. 64. ipſius corporis magnitudo. 64. adhuc puer quare leonis pelle indutus. 65. Herculis Aventini celeberrima ſtatua. 66. leonem Nemaeum occidit. 66. quot variis formis illius pelle indutus viſitur. 67. quo pacto mala ſuſtulerit ex Heſperidum hortis. 67. corona redimitus. 67. 68. quare dictus *Claviger*. 68. nec non Heros Aventinus. 68. a Dicaearcho quomodo deſcriptus. 69. ab Euripide. 69. Hercules quare dictus *Lernaeus*. 70. ejus labores a quibus expreſſi. 70. Ab Alcone quare ferreus effictus. 70. juvenili aetate hydram interfecit. 71. quot modis expreſſus. 72. *Ogmius* appellatus fuit. 72.

Hermarum forma antiquiſſima. 38.

Heroës comam negligebant. 113. quare nudi expreſſi. 124.

Hervetus emendatus. 69.

Heſperidum horti a dracone cuſtodiebantur. 67.

Hieroglyphica nota cordis. 169.

Hieroglyphici caracteres ubi inciſi. 175. qui illos ſint interpretati. 175. 184. an litterae ſacrae. 175. ubi ſculpti. 184.

Hilaria, & Phoebes Apollinis filiae. 26.

Hippopotami nomina varia. 183. ejus naturalis hiſtoria ibid.

Honoratus, quid hoc nomen deſignet. 150.

Hydra ab Hercule occiſa. 70. quomodo deſcripta. 71.

Hydria. *V. Vas*.

Hyemis ſymbolum anſer. 147.

Hygia ſalutis Dea, 7. a Rhodigino quare inter ignotos Deos recenſeatur. 77. quare comes Aeſculapio daretur. 77. duo ejus mirabilia ſchemata recenſita. 78.

I

IBis avis Ægyptius. 169. cordi ſimilis. 169. 182. cordis ſymbolum. 169. 182. aquam puram bibit 177 figura ejus, & color, & forma. 182. pugnat cum ſerpentibus 182. Mercurio ſacer. 182.

Ichneumon animal Ægyptium. 182. ejus hiſtoria naturalis. 182. 183.

Igeia paterae genus. 78.

Ilioneus quomodo exſculptus. 104.

Immunis quid hoc nomine deſignetur. 149. 150.

Imperatores globo, vel tympano quare ornati. 126.

Inſcriptio appoſita a Phidia Jovis ſimulacro. 10. a Cicerone ad baſim ſtatuae Minervae 22.

Iſis capite loti florem geſtat 159. & ſiſtrum ibid. Dea Ægyptia ibid. ejus veſtis ibid. linteata dicitur a Tertulliano 159. ejus origo, & myſteria ex Herodoto, Diodoro Siculo, Plutarcho. 159. quae, & qualis Dea 159. Sitellam tenet 160. multa alia bona confert. 160. victum praebet pictoribus 160. luxus inimica, & Typhonis 160. plurima numina ad eam referuntur 160. Iſis corpus Oſiridis inquirit 170. Iſidi Mercurius praeivit in Ægyptum 170. Iſis facie beſtiae expreſſa 172. 173. veſtis ejus peculiaris 173. capite turrito 173. eadem ac Cybeles, vel Ceres, vel Terra 173. mammoſa 173. Iſidis ornatus capitis 173. novaculam manu geſtat 174. ejus ſacerdotes radebant comam 174. flagellum in manu habet 174. perditum filium luget 174. ejus ſacerdotes ſeſe flagris verberabant 174. Iſidis veſtis peculiaris 175. ferulam geſtat 175. comata 175. humorem ſignificat 177. pedes Jovi disjungit 178. corpus Oſiridis abſcondit 179. templum Romae ubi fuerit 184. Iſidi anſer dicatus 147.

Iudith locus enarratur 151. 152.

Iulia a Tito nupta Sabino 129. quare a Domitiano recuſata 129. ab eo mox in matrimonium ducta 129. pudicitiam non ſervaſſe creditur 129. Auguſtae, & Deae titulum habuit 129. a Plinio laudata. 129.

Iuno ex quibus nata. 11. ejus hiſtoria tenebris referta. 11. ab Homero quomodo deſcripta. 11. oculi eminentes quare ei tributi. 11. quot variis formis delineata. 11. & ſeq. Iuno Soſpita Lanuvii imprimis culta 12. quomodo effingatur 12. Iuno Lucina cum lunula bicorni. 13. plurima ejus nomina unde orta. 13. plures num fuerint Junones. 13. Juno Regina. 14. Lanumvina quare ſic dicta. 14. Juno Dea nubium 15. ejus ſymbola communia cum Cerere 18. quare dracones immiſit ad Herculem enecandum. 62. illi ſacer anſer 147. mulieres eam pectebant in illius pompis 175.

Iupiter quare dictus Deorum maximus. 6. quibus variiſque modis expreſſus 6. & ſeq. ejus ſignum ſingularis artificii in Herculano repertum. 6. Jovis Olimpius quomodo a Pauſania deſcriptus. 6. quanta veneratione cultus. 8. Ægide armatus creditur 7. Jupiter Lobradenſis qua forma expreſſus 8. Horcius quare terribilis eſſet aſpectus. 8. 9. a Celtis quomodo adoratus. 8. quare cum Victoriae ſigno expreſſus 8. ſignum Jovis Hercëi cum tribus oculis 8. Jovis Philius. 9. Joves permulti fuere 9. Jovis ſymbola ad verum ſenſum reducta. 10. civitatum curator putabatur. 20. conjunctis pedibus natus 178.

Iugurtha in Marium impetum fecit. 121.

L

LAc libabant Sacerdotes Ægyptii. 177.
Lactantii opinio de Flora rejecta. 107. 108.

Lanificium a Minerva inventum. 23.

Lanivii monumenta. 14. Lanumuina quare ſic dicta Juno 14.

Larentia Romolum, & Remum nutrivit 108. ei quare parentalia inſtituta 108.

Laura Silenica quid deſignet. 99.

Latona quomodo ulta eſt Niobem 102.

Laurenrius Joſeph notatus. 148.

Lauri virtutes medicae tribuebantur 74.

Lecti antiqui, & recentioris forma 148. 150. & varia nomina 138.

Leda quomodo a Ioue decepta 100. eius proles 100. a Nemeſi num diſcrepet. 100. 101. cum cupidine expreſſa, 100. 101.

Leones marmorei egregie excuſi 184. a Lyſimacho ſculptus Leo 184. ornamenta fontium. 184. ad templorum fores collocati 184. cuſtodiae ſymbolum 184. patentibus oculis dormiunt 184. ad thronum, & templum Salamonis appoſiti 184. ad fores templi 185. ſedes Epiſcoporum, & Conſulum ornabant 185. etiam fontes ornant 185. nec non ſepulcra 185. de Leone.

Leporum venatio etiam in circo fiebat 140.

Libri ſacri Ægyptiorum quales 180.

Lidii modi unde venerunt 102.

Lilium unde natum. 64.

Litterae ſacrae, & populares apud Ægyptios 175.

Livia Auguſti uxor 150. quando ei templum dicatum ibid.

Lolius Lucius Pholomacum in regnum reduxit 118.

Lotus quales plantae genus 172. qui eo veſcantur 172. Cireneus 172,

Lucianus quomodo Minervae ortum deſrcibat 19. fuit Deorum irriſor 19. 87.

Lucillae ſub Cereris figura expreſſa 16.

Luna bicornis Dianae ſymbolum 36. Luna quare apellata Selenen 36. eadem eſt cum Ecate 36.

Luſus puerorum 146. quantum nobis voluptatem pariant ibid. ubi picti ac excuſſi ibid. Viri praeſtantes in iis ſe exercebant ibid.

Λυκοκ᾽τόνον quare ſic dictus Apollo 28.

Λυσιζώνη dicta Diana 158.

Lyſippus ſculpſit Alexandri ſtatuam 114.

Macria

M

MAcria gens quanto honore Alexandrum Magnum affecerit 115.
Maffejus Marchio notatus. *68.* 122. 125. a P. Martinio reprehenſus 91. ejus lapſus notatatus 92.
Maffejus Alexander notatus 94.
Magaudium inſtrumenti genus 97.
Marangonius Joh. laudatus 185.
Marci Aurelii ſtatua quare cum Victoria exculpta 134. plurima ejus bella 134. pontifici nomine decoratus fuit 134. ejus thorax miri artificii 134.
Marius iracundus, & ferox 120. in ſenectute obeſus evaſerat 120. a Caeſare multum in honore habitus 120. a Paterculo quomodo deſcriptus 121. illius animus invictus 120.
Marliani opinio a Nardinio rejecta 4.
Mars cum Venere expreſſus 45. cum Mercurio 46. a Romanis quare ſub Patris nomine invocatus 44. quare plerumque nudus expreſſus 46. ejus ſymbola 46. & ſeq. quare apellatus Κορυθάιολος 46.
Martinius Maffejum carpit 91. ipſe notatus. 91. 93. 175. de ſcabillis quae ſcripſerit 91. & ſequent.
Maximiani mors quomodo praeviſa 125.
Maximus Bulidarum Jupiter 6. quid ſub eo nomine intelligatur 6.
Medici quare pallium induerent 75. Agathini inſcriptio 152.
Megacle qua de cauſa occiſus 117.
Mercurius boves Apollini eripuit 26. lyram invenit 26. praeivit Iſidi dum in Ægyptum perrexit 170. in faciem canis mutatus 170. cynoproſopos appellatur 170. caduceus illius inſigne 170.
Minerva a dextris Jovis ſedere dicitur 19. habebant templum & altare commune 19. plures num fuerint Minervae 19. quomodo ex Jovis cerebro nata 19. hujus fabulae allegoria 20. Minerva Servatrix 20. quare ϖυλάϊτις appellata 20. 22. hoſpitalitatem curare putabatur 20. ejus cum Neptuno certamen 20. quare multis modis expreſſa 20. ejus praeſtantiſſimum ſimulacrum in Herculano repertum 20. caeruleos oculos cur habere dicatur 21. oleae inventrix traditur 21. raro ſedens expreſſa offenditur 21. fulmen num proprium habuerit 22. Minerva Ergane Romae maxime celebrata 22. Minervae Medicae templum 23. docuit artem lanificii 23. quare dicta Virago 23. ejus formae & cultus ſignificatio 23. Minerva ex Heraclide quid ſit 24.
Mitella ſacerdotium indicat 78. a Baccho, & Bacchis adhibebatur 94.
Mitra quid ſit 157. cujus uſui ibid. Paris, & Atis ea utebantur ibid. gemmis ornata 158. cornuta ibid.
Mitrochitones cur ſic dicti Syrites 158.
Muſis quare cicadae ſacrae dicantur. 96. Muſarum cultus in Graeciam a quibus invectus 96. tres Muſae elegantiſſimi operis laudatae 96. in fronte quare picae pennas gerant 97. earum ornatus recenſit 97.
Muſeus Capitolinus qua de cauſa conſtructus, & adornatus 184.
Muſica quare delectetur anima 51.
Myro pancratiaſten ſculpſit 141.
Myrtus Veneri ſacra 41.

N

NEmeſis eadem ne ſit ac Leda 100. 101. qua corona exprimi ſolita 100.
Neptuni filii quare dicti Cyclopes, Leſtrigones, & Aloides 5.
Nigrinus Hadriano conjurationem machinatus eſt 130.
Nimbus numinum capita exornat 170.
Niobe quare Latonae inviſa 102. illius ſupplicium 102. in lapidem converſa a quibus credebatur 102. de illo lapide commentum apud Graecos 102. Niobes fabula a Praxitele expreſſa 103. de illius filiorum numero variae opiniones 103. num omnes perierint 103. Niobes filiorum ſymplegma praeſtantiſſimum 103.
Novaculam cur geſtet Iſis 174.
November menſis ſub tutela Dianae 32.
Nuces in nuptiis ſpargebantur 53.
Numina maritima panni magnitudine notabiles 4. Numina Gentilium ſub qua primum forma expreſſa 37. 38. Numina capite beſtiarum expreſſa 172.
Nummi Commodi, & Treboniani cum quatuor anni temporibus 147.

O

OCeanus dictus deorum pater, ac rerum omnium origo. 1. quomodo expreſſus. 1. 2. illius horti in gemma inciſi. 2. noſtra ſtatua quare non ſit perfectiſſimi operis. 2. plurimum tamen commendata. 3. cui rei illam Clem. VIII. deſtinaſſet. 3. per eam num flumen repraeſentetur. 4. quare Marforii nomine appellata. 4. Oceano cornua num conveniant. 5.

Oleae corona quare Jovi tributa. 10. necnon Minervae. 21.
Oſiridi ſacer anſer. 147. Oſiris idem ac Sol. & Nilus. 177. Oſiridem lugent ejus ſacerdotes. 179. Oſiridis corpus a Typhone repertum. 179. illud Iſis celaverat. 179. ejus phallus in arca celatus. 179.

P

PAeana quid. 144.
Palla erat pallium matronale. 14. ea nonniſi patritiae utebantur. 106.
Pallium philoſophorum erat proprium. 136. a Graecis quomodo appellatum. 136. a quibus habitum contemptui. 136. a Cynicis quot modis geſtari ſolitum. 137. illo Chriſtiani, & Hebraei uſi ſunt. 137. commune erat viris, & mulieribus. 137. quomodo duplicaretur. 137. pallium quadrangulum cujus formae fuerit. 137. qui primus illud duplicaverit. 138.
Pan deus hirco ſimilis. 40. quid ſignificet. 40. a Luciano quomodo deſcriptus. 87. 89.
Pancratiaſtae qui. 141. num iidem fuerint ac *quinquertiones*. 141. iis ſtatuae ponebantur. 141. ſortes ex urna quare extraherent. 142.
Pancratium cujus generis foret exercitatio. 141.
Papaver quare Cereri ſacrum. 16. Terræ rotunditatem deſignat 16.
Papilio animam quare ſignificet. 50. *papilionis* vox pro anima ſumpta. 50.
Parma ſcuti genus gladiatorum proprium. 155.
Paſſer avis ſalaciſſima. 41.
Patrius Jovis co nomen. 9.
Pauſias celeberrimus pictor quomodo Amorem expreſſerit. 61.
Pedibus junctis cur ſimulacra Aegyptia excuderentur. 178.
Pedum a quibus geſtari ſolitum. 85. quare dictum λαγωβολόν. 139.
Pelta clypei genus. 111.
Peplum Junonis quid. 12. ubi, quando & a quibus texeretur. 12.
Petavius Dionyſius notatus. 137.
Phallus Oſiridis in capſula abſconditus. 179.
Pherecides animæ immortalitatem primum docuit. 51.
Phidias qua ratione Jovis cultum evertere dicatur. 10. affabre Minervam exculpſit. 21. quomodo Apollinem expreſſerit. 26. Dianam. 33. Venerem. 40. Aeſculapium. 74.
Philoſophi pallio utebantur. 136. num veſte linea induerentur. 136.
Pitiſcus laudatus. 150. notatus ibid.
Pitho ſerpens etiam Diana occiſus. 36.
Plato quare cum papilonis alis in gemma expreſſus. 49.
Plotina Trajani uxor Auguſtae nomen recuſavit. 129.
Polenius Marchio Joh. laudatus. 149.
Pollux ortus ex Leda. 100.
Polycletus qua forma Junonem ſculpſerit. 12. effinxerit ne Alexandrum Magnum. 114.
Pompa Iſiaca deſcripta. 177. 179. in ea libri deferebantur. 180.
Populus arbor ſacra Herculi. 71.
Porphyrius notatus. 7.
Praxiteles quomodo Jovem effinxerit. 9. Junonem. 12. Amorem 59. 61. Nioben. 103.
Priamus quando ad Jovis aram confugerit. 8.
Priapo anſer ſacer. 147.
Prometheus ignem e cœlo attulit. 30.
Prophetae appellati nonnulli ſacerdotes Aegyptii. 177.
Proſerpina a Cerere matre facibus quaeſita. 16.
Pſyche quid ſignificet. 49. ejus unio cum Amore quot modis expreſſa. 51. & ſeq. Pſyches, & Amoris nuptiae in gemma. 53. a Venere quomodo exagitata. 54. Pſyches & Amoris unio quam parum duret. 54. ab Amoris tyrannide quae experiatur mala. 55. 56. eidem quae damna rependat. 56. qua de cauſa ad Inferos miſſa. 57. quare manibus impeditis expreſſa. 57.
Ptolemaeus appellatus Phyſcon. 118. a quo nam in regnum reductus. 118. vultu obeſo, & ſenili expreſſus. 118.
Ptolemaei Apionis imagines. 118. quare cum ſyliphi flore expreſſus. 119. haeredem Populum Romanum inſtituit. 119. quare cum lauri ramo expreſſus. 119. poëtas fovit. 119.
Pudicitia Romae culta. 105. ejus templum ubi poſitum. 105. Pudicitia plebeja, & patritia. 105. ejus multiplex ornatus. 105. 106. quare cum muliere caduceum, & cornucopiae geſtante expreſſa. 106.
Pulchritudo quot partibus conſtet. 51. qua in re conſiſtat. 53.
Pyramis Venerem exhibens. 38.
Pyrrhi ſtatua celeberrima. 116. ejus animi dotes. 116. ſtudiis deditus fuit. 116. ab Athenienſibus quibus honoribus affectus. 116. primus elephantes in aciem protulit. 116. illius vis in venationibus. 116. ipſius ſymbola varia. 117. terribilis erat aſpectu. 117. ſplendida amabat arma. 117. illius templum in loco ſuae ſepulturae. 117. in ejus thorace quare gryphi expreſſi. 134.
Pythagoras tranſmigratione animarum quid ſignificare voluerit. 50. in epiſtolis qua uſus ſit ſalutatione. 77. ejus diſcipulorum ſymbolum. 77.

Quan-

Q

QUinquertiones iidem ne fuerint ac pancratiaſtae. 141.
Quirites quare ſic dictae Junonis ſtatuae. 12.

R

RAphael Urbinas antiquis formis ſemper adhaerebat. 2. pinxit deorum cœnam. 2.
Rheni ſignum ad Domitiani pedes collocatum. 3.
Riccius Linguae Graecae profeſſor laudatus. 152.
Romanae antiquae mulieres a vino abhorrebant. 95. in contrarium vitium delapſae. 95.
Romani quare maxime Minervam Erganen venerarentur. 22. Dianae atque Apollinis quomodo feſta celebrarent. 32. A Venere originem trahebant. 42. 44. illam ſub Genitricis nomine colebant. 44. qua ratione ſe invicem ſalutarent. 77. Larentiae quare parentalia inſtituerint. 108. qua de cauſa grati in Ptolemaeum. 118. eorum majeſtas. 122. Agrippinam magno in honore habuerunt. 128 in quibus ſacrificiis caput non obnuberent. 130.
Romulus, & Remus a quibus nutriti. 108.

S

SAcerdotes Ægyptii capite raſo 174. ſe ipſos flagellabant 174. vas deferebant 177. & cur 177. aqua pura aſpergebantur 177. prophetae appellantur 177. lac libabant 177. lineis, & non laneis, vel pelliceis veſtibus utebantur 178. 180 qualis eorum veſtis 178. aliquando nudi incedebant 178. junctis pedibus, & cur 178. in Ægypto omnes maſculi 178. alibi comati, at in Ægypto abraſi 178. calvi apellantur 179. libros geſtant 180.
Sacrificia capite operto celebrari ſolita 130. exceptis Saturni, & Honoris 130.
Salmaſius notatus 137.
Sanitas v. *Hygia*.
Satyri a Faunis diſtinguntur 84. a Luciano quomodo deſcripti 87. daemones habiti fuerunt 87. veri ne an ficti fuerint 87. & ſeq. vocem propriam habere crediti ſunt 88. illorum inſulae 88. quare pardi pelle ornati 89. vino dediti fuerunt 89.
Scabillum quare dictum etiam crupetium 91. ejus origo, atque uſus 91. illius nominis etymon 91. pedibus num alligaretur 92. ſcabillorum tria genera 92. 93.
Scarabaei maſculi omnes 169.
Σκιωμαχία quid ſignificet 154.
Σχίζίαν quid ſignificet 69.
Scipionis Majoris ſtatua in Capitolio 120.
Scopas qua forma Venerem ſculpſerit 40. & Martem 46. & Baccham 90.
Senecae liber De ſuperſtitione amiſſus 170.
Servius notatus 7.
Siſtrum muſicae inſtrumentum Ægyptium 171. varia ejus denominatio 171. dextra tenebatur 171. qui de eo diſſeruerint 171.
Sixtus V. ornavit fontem aquae Felicis 3.
Socrates Amoris formae detrahit 56. ludebat cum pueris 146.
Soleis Veteres domi utebantur 123.
Sol per Apollinem ſignificari creditus 27.
CωCΙΚΑΙ inſcriptio in Amazonis ſtatua quid ſignificet 112.
Sponius reiicitur 50.
Statii locus interpretatur 93.
Statuae ſedentes quare ſic expreſſae 122. ſtatuae nudae quid denotent 124. 125.
Stibadia quid ſint 148.
Stoſcius notatus 48.
Strophium faſcia pectoralis 158.
Stroppus quid 2.
Suppedaneum quare numinibus ſupponebatur 12. 123. interdum ſellae haeret 123.
Syliphus ſymbolum erat Cyrenaeorum 119.
Syrites cur mitrochitones dicti 158.

T

TAuri quare in fluviorum ſacrificiis mactati 5.
Teleſphorus convaleſcentiae numen 75.
Teſtudo ſilentii, ac ſolitudinis ſymbolum 40.
Thalia comœdiae praeſes 97. quomodo expreſſa 97.
Thoraces linei quando inventi 134. Thoraces duabus partibus conſtabant 135.
Thoria familia e Lanuvio oriunda 12.
Tiberius Agrippinam perſequutus eſt 127. ejus immanis crudelitas 128.
Tigris animal cur Bacchum reſpiciat 82. 85.
Titus Juliam Sabino nupſit 129.
Tragoedorum larvae 99.
Tuba utebantur gladiatores 155. 156.
Tympanum Imperatorum ſtatuis appoſitum quid ſignificet 126.
Typhon corpus Oiridis reperit 179.

V

VAs ferebatur a ſacerdotibus Ægyptiis, & cur 177. aliquando caelatum ibid. quid in eo repoſitum 177.
Vaſa vinaria hedera coronabantur 94.
Venationis ſymbola 34.
Venatores praedam Dianae offerebant 139. pedum geſtabant 139. iis ſtatuae erigebantur 140.
Venatoris ſtatua miri artificii ubi reperta 139. quare dextra leporem attollat 139.
Venus ſummi imperii Dea 38. ejus cultus antiquiſſimus 38. ad modum hermae exculpta ibid. ſub forma pyramidis expreſſa 38. ex Oceano nata 38. plures Veneres 38. illius ſimulacra ex navium roſtris extructa 39. a Daedalo qua forma effiſta 39. Venus Cypria quare barbata 39. Venus Gnidia quanta venuſtate praedita 39. quare dicta ἀφροδίτη 39. quot variantibus modis expreſſa 40. & ſeq. num illi Gratiae vel Nymphae potius miniſtrarent 40. ejus currus quare a paſſeribus tractus 41. myrtus illi ſacra . 41. ejus ſtatua cum compedibus quid ſignificet 41. Venus armata 42. Venus Victrix quare ſic appellata 42. quare cum caduceo exſculpta 42. Venus Cluacina 42. Veneris triumphus quomodo repraeſentatus 43. ſymbola Cereris, & Bacchi quare ei tributa 43. Venus Genitrix a Romanis culta 44. cum Marte quomodo expreſſa 45. Venus πάνδημος quid ſignificet 52. qua de cauſa Pſychen ad inferos miſerit 57. eadem eſt ac Flora 108. dicta eſt hortorum Dea 108.
Verus Lucius quare nudus exſculptus 125.
Veſtis feminarum antiquarum modeſta 157. peculiaris Iſidis 175. veſtes ſacerdotum Ægyptiorum quales 178. 180.
Victorius Eques Franciſcus laudatus 49.
Villae Hadriani ichnographia 169.
Virgilius maxime ſtuduit Platoni 54.
Vitulus, quem Hebraei adorarunt, Apim repraeſentabat 172.
Vulcanus quare ſupra omnes deos a Cherſonenſibus veneratus 8. Palladis amore captus fuit 24.

Z

ZEno Cynicorum princeps quo habitu expreſſus 136. 137.
Zoroaſter theologorum antiquiſſimus quid de anima docuerit 48.
Zeuſis quomodo Amorem pinxerit 61. & Herculem infantem 64.
Zopyrus a Pyrrho terrefactus 117.

FINIS.



Prospetto del Cortile nel Palazzo, ove si conserva il Museo Capitolino

Gio. Dom. Campiglia dis. *Giuseppe Vasi incisa*



Gio. Dom. Campiglia dis. OCEANO Carlo Gregori incise



Gio. Dom. Campiglia dis. GIOVE *P. A. Pazzi incise*



Gio. Dom. Campiglia dis. **GIOVE** P. Ant. Pazzi incise



Gio. Dom. Campiglia dis. GIOVE *Carlo Gregori incise*



Gio. Dom. Campiglia dis. **GIUNONE LANVINIA** *Carlo Gregori inc.*



Gio. Dom. Campiglia dis.

GIUNONE

Carlo Gregori incise



GIUNONE

Gio. Dom. Campiglia dis. ed inc.



Gio. Dom. Campiglia dis. e inc.

GIUNONE



Gio. Dom. Campiglia dis. **GIUNONE** Carlo Gregori incise



MINERVA

Gio. Dom. Campiglia dis.   Carlo Gregori inciſe




Gio. Dom. Campiglia dis. **MINERVA** P. Ant. Pazzi incise



MINERVA

Gio. Dom. Campiglia dis. P. Ant. Pazzi incise



Gio. Dom. Campiglia dis. **APOLLO** Nicola Billy incise



Gio. Dom. Campiglia dis. **APOLLO** *P. Ant. Pazzi incise*



APOLLO

Gio. Dom. Campiglia dis. P. Ant. Pazzi incise



Gio. Dom. Campiglia dis. **DIANA** P. Ant. Pazzi inciſe



Gio. Dom. Campiglia dis. ed incise

DIANA



Gio. Dom. Campiglia dis. **DIANA LUCIFERA** *P. Ant. Pazzi incise*


19



Gio. Dom. Campiglia dis. **VENERE** Carlo Gregorj inc.



Gio. Dom. Campiglia dis. **VENERE E MARTE** Carlo Gregorj incise



Gio. Dom. Campiglia dis. MARTE *P. Ant. Pazzi incise*

22



Gio. Dom. Campiglia dis.

AMORE E PSICHE

Carlo Gregorj incise



Gio. Dom. Campiglia dis. PSICHE *P. Ant. Pazzi incise*



J. Dom. Campiglia del. **AMORE** Carol. Gregorj ſculp.




ERCOLE BAMBINO

Gio. Dom. Campiglia dis. *Nicola Guttierez Sculp.*



Gio. Dom. Campiglia dis. ed inc. ERCOLE AVENTINO



ERCOLE LERNEO

Dom. Campiglia del. *Car. Gregorj Sculp.*



ESCULAPIO


Gio. Dom. Campiglia dis. P. Ant. Pazzi inciſe




Gio. Dom. Campiglia dis.

IGIA

P. Ant. Pazzi incise



Gio D Campiglia dis. **BACCO** C. Gregori sc.



Gio. Dom. Campiglia dis.

FAUNO

Carlo Gregorj incise



G. D. Campiglia dis.

FAUNO

Carlo Gregori incis.



Gio. Dom. Campiglia dis.

FAUNO

P. Ant Pazzi inciso



FAUNO

Gio. Dom. Campiglia dis. F. Ant. Pazzi incise



Gio. Dom. Campiglia dis. **SATIRO** *P. Ant. Pazzi ſculp.*

36



Gio. D. Campiglia dis. BACCANTE *P. Ant. Pazzi incis.*



BACCANTE

Gio. Dom. Campiglia dis.

Gennaro Guttierez inc.



MUSA

Gio. Dom. Campiglia dis. P. Ant. Pazzi incise



Gio. Dom. Campiglia dis. MUSA *Carlo Gregorj inc.*



Gio. Dom. Campiglia dis.

GENIO TRAGICO

P. Ant. Pazzi inc.



Gio. Dom. Campiglia dis. **LEDA** *P. Ant. Pazzi inciſe*



DUE FIGLIUOLI DI NIOBE

Gio. D. Campiglia dis. e inc.



Gio. D. Campiglia dis.

PUDICIZIA

Carlo Gregorj inc.



Gio. D. Campiglia dis. **PUDICIZIA** Carlo Gregorj inc.



G. D. Campiglia dis., e inc.

FLORA



Gio. Dom. Campiglia dis.

AMAZZONE

P. Ant. Pazzi incise



Gio. D. Campiglia dis.

ALESSANDRO MAGNO


P. Ant. Pazzi incis

48



Gio. D. Campiglia dis. **PIRRO RE D'EPIRO** Carol. Gregorj Sculp. Floren.

49



Gio. Dom. Campiglia. dis.

TOLOMEO

P. Ant. Pazzi incis.



MARIO

Gio. Dom. Campiglia dis. ed incise



OTTAVIANO AVGVSTO SEDENTE

Gio. Dom. Campiglia dis. ed inc.



Gio. Dom. Campiglia dis.

AVGVSTO

P. Ant. Pazzi incise



G. D. Campiglia dis. C. Gregorj inc.



Gio. Dom. Campiglia dis.


GIVLIA DI TITO

P. Ant. Pazzi inciſe




ADRIANO

Gio. D. Campiglia dis. Carlo Gregorj inc.



Gio. Dom. Campiglia dis. **ANTINOO** Carlo Gregorj incise



Gio. Dom. Campiglia dis.

ANTINOO

P. Ant. Fazzi incise




MARCO AVRELIO

Gio Dom. Campiglia dis. Carlo Gregorj incise




FILOSOFO

Gio. Dom. Campiglia dis. P. Ant. Pazzi incise



Gio. Dom. Campiglia dis. **CACCIATORE** Carlo Gregorj inc.



PANCRAZIASTE

Gio. Dom. Campiglia dis.

Carlo Gregorj incise



PREFICA

Gio. Dom. Campiglia dis. *P. Ant. Pazzi inc.*

63



FANCIVLLO CHE SCHERZA CON VNA COLOMBA

Gio. Dom. Campiglia dis. *Carlo Gregorj incise*



FANCIVLLO CON L'OCA


Gio. Dom. Campiglia dis. F. Ant. Pazzi inc.




BATILLO LIBERTO D' AVGVSTO

Gio. Dom. Campiglia dis. *F. Ant. Pazzi inc.*

MATRONA GIACENTE




G.V. Campiglia dis. P.A. Pazzi inc.



Gio. Dom. Campiglia dis.

GLADIATORE MORIBONDO

Carlo Gregorj incise



Gio. Dom. Campiglia dis. IL GLADIATORE MEDESIMO IN ALTRA VEDVTA *Carlo Gregorj incise*



Gio. Dom. Campiglia dis.

GLADIATORE

Carlo Gregorj incise



MEZZA FIGVRA FEMMINILE

Gio. Dom. Campiglia dis. ed inc.

71



MEZZA FIGVRA FEMMINILE

Gio. D. Campiglia dis, e inc.



MEZZA FIGVRA FEMMINILE RIDOTTA IN VNA DIANA


Gio. Dom. Campiglia dis. *P. Ant. Pazzi incise*



ISIDE COL SISTRO


Gio. Dom. Campiglia dis.

Carlo Gregorj inc.




ARPOCRATE


Gio. Dom. Campiglia dis. *Carlo Gregorj inc.*




Campiglia del. FIGVRA EGIZIA *Carol. Gregory*




Gio. Dom. Campiglia dis. **ISIDE** P. Ant. Pazzi incise



Gio. Dom. Campiglia dis. **ISIDE** *P. Ant. Pazzi inciſe*



Gio. Dom. Campiglia dis. ISIDE *P. Ant. Pazzi incise*



Gio. Dom. Campiglia dis.

ISIDE

P. Ant. Pazzi incise



Gio. Dom. Campiglia dis.

ISIDE


P. Ant. Pazzi incise



Gio. Dom. Campiglia dis.

ISIDE


P. Ant. Pazzi inciso



Gio. Dom. Campiglia dis.


CANOPO

P. Ant. Pazzi incise



IDOLO EGIZIO

Gio. Dom. Campiglia dis. *Filippo Morghen incise*



IDOLO EGIZIO

Gio. Dom. Campiglia dis.

P. Ant. Pazzi incise




Gio. Dom. Campiglia dis. ANVBI Carlo Gregorj incise



FIGVRA EGIZIA

Gio. Dom. Campiglia dis.

Carlo Gregorj incise



Gio. Dom. Campiglia dis.

SACERDOTE EGIZIO

Carlo Gregorj incise



Gio. Dom. Campiglia dis. SACERDOTE EGIZIO *P. Ant. Pazzi incise*



SACERDOTE EGIZIO

Gio. Dom. Campiglia dis. *Carlo Gregorj incise*



BASSORILIEVO EGIZIO DI TERRA COTTA

Gio. Dom. Campiglia dis. *Filippo Morghen incise*



LEONE

Gio. Dom. Campiglia dis. ed incise